








COMPENDIUM ERUDITIONIS,

COMPLECTENS
HISTORIAM SACRAM,
PROFANAMQUE, POLITICEN, JURIS PUBLICI ADUMBRATIONEM, GEOGRAPHIAM; RITUS VETERUM, ET CHRONOLOGIAM.

AD
CAPTUM JUVENTUTIS,
ET
USUM HISTORIOPHILORUM
COACTUM


P. ANSELMO DESING,
O. S. Bened.

EDITIO QUARTA
ITERUM CORRECTA ET AD HOC TEMPUS CONTINUATA.

CUM PRIV. CÆS. ET FACULT. SUPERIORUM.

Ingolſtadii & Monachii,
Sumptibus Joan. Fr. Xav. Crätz, Bibl. Acad.
& Thomæ Summer, Aug. Vind. MDCCLV.





APPROBATIO
CONGREGATIONIS BENEDICTINO-BAVARICÆ.
SUB TITULO
SS. ANGELORUM CUSTODUM.

Nos Ildephonſus Exemti Monaſterii Weichenſtephanenſis Abbas, & p. t. Congregationis præfatæ Præſes Generalis &c. hiſce licentiam facimus, ut præſens COMPENDIUM ERUDITIONIS ab Admodum Reverendo Patre Anſelmo Deſing, Congregationis Ejusdem in Exemto Monaſterio

ſterio Ensdorffenſi Profeſſo, & p. t. in Epiſcopali Lyceo Friſingenſi Profeſſore actuali absque ullo Fidei, vel morum offendiculo compoſitum, & pro uſu, captuque Juventutis in Quæſtiones redactum, prælo & luci publicæ committi poſſit. In quorum fidem præſentes manu propria, & conſueto Officii Sigillo munivimus. Weichenſtephanii Calendis Aprilis. Anno 1727.



ILDEPHONSUS
Abbas & Præſes Generalis.

FACULTAS
REVERENDISSIMI DOMINI, DOMINI
ABBATIS.

Nos Anſelmus Abbas Exemti Monaſterii ad S. Jacobum in Ensdorff, Congregationis Benedictino-Bavaricæ ſub titulo SS. Angelorum Cuſtodum Dilecto Conventuali noſtro R. P. Anſelmo Deſing p. t. in Epiſcopali Lyceo Friſingenſi Humaniorum Scholarum Profeſſori licentiam facimus, ut COMPENDIUM ERUDITIONIS in Tyronum gratiam a ſe compoſitum, & ab iis, quorum intereſt, approbatum prælo committere poſſit. In cujus rei fidem has literas manu & Sigillo noſtro Abbatiali munitas dedimus in noſtro Superioris Palatinatus Monaſterio Ensdorffenſi. Die 2. Mart. A. 1727.

(†)

Anſelmus Abbas.



PRÆFATIO.

Argumentum nactus infelix, ſed neceſſarium, neſcio an commendem illud magis, an in excuſando laborem? Tot enim noſtro hoc & ſuperiore ævo in lucem protruduntur compendia Hiſtorica, ut, qui

qui id iterum tentet & actum agat, jecur pene moveat peritioribus.

Quidquid id eſt, mihi integrum non fuit abſtinere manum, eo maxime, ut hæreticorum compendia, quibus quid poteſt eſſe vel obſcœnius, vel fabulis magis refertum? e juvenum quorundam Catholicorum manibus tandem eruantur. Ipſi enim mendacia orbi nota recoquere non ceſſant, & fœda quæque, incaſtosque amores pueris legenda objiciunt, idque pro virili agunt, ut ne poſſint animæ manere innocentes.

Nos ergo, ut animorum conſuleremus integritati, quædam vel in ſpeciem turpia, vel reapſe talia tuto ſilentio premenda duximus. Non enim eſt quidquam periculi, ne id agentes hiſtoriam ſua multemus veritate. Si quid enim illa ad veri-

tatem faciunt, poſſunt adultiores in Collegiis, aut e libris grandioribus affatim haurire, Nobis innocentia pluris fuit, quàm turpis veritas, aut potius vera turpitudo.

Styli cultu uti libuit, quantum quidem licuit. Non enim, cum ſcribimus compendia, locus eſt phaleris illis deſcriptionum, Orationum, Sententiarum. Quamquam tamen non perpetuo me Phœbum odiſſe, nec omnes ſermonis Veneres calamum meum exoſas fuiſſe autumem.

At præſtaret hæc vernacula ſcripſiſſe? Non. Edita enim ſunt vel eo etiam conſilio, ut juventus, cui volupe eſſet Latinam exercere, campum habeat ampliſſimum. Infirmioribus tamen explicatione aliqua præire decet: vix enim alias ſufficient.

Dif-

Difficile ais, intelligent? ſi nihil unquam in Latina fecerint, verum. Si vero a teneris fuerint exerciti, ac maxime in eo libello, quem nuper edidi, Porta Latinæ Linguæ dicto, nullo negocio etiam in hoc compendio proficient.

Ceterum omnia ſacræ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ judicio ex aſſe ſubjiciuntur.



ELENCHUS.



HISTORIÆ SACRÆ LIBER PRIMUS.

ENARRATIO NIMIRUM VETERIS TESTAMENTI,

Seu

A Naſcente mundo ad Naſcentem mundi Salvatorem Meſſiam.

CAPUT I.

A Condito Orbe ad Diluvium.

QUæſtio I. *In numerum mihi mitte annos, qui ab incunabulis mundi (An. Mun. 1. Ant. Chriſt. 3960.) ad usque Chriſti natales abierunt.*

Reſponſio. Plus minus quatuor ſunt annorum millia. Nam Chronologis non adeo convenit, ob impeditas quasdam rationes, quæ evolutionem omnem reſpuant. Nos annos cogimus 3960.

Q. II. *Quo anni tempore condebatur Orbis?*

℞. Autumno reor. Cum enim terræ frugibus veſci

 juſſus

jussus fuerit recens creatus homo, oportuit sane easdem fruges jam maturuisse; id quod autumno fit.

Q. III. *Sex dierum intervallo productum mundum novi. Tu recense, quid quoque die factum?*

℟. 1. *Primo* die cælum & terram esse Deus jussit.

2. Die *altero* Firmamentum: quo nomine venit, quidquid a nubibus ad extimum Cæli fornicem protenditur. Aquæ etiam divisæ, quæ hactenus toto spacio, quo nunc aër, continebantur, eæque partim super stelliferum cælum traductæ nomen nactæ sunt Cæli crystallini.

3. *Tertia* luce aquæ terrestres ripis coërcitæ; inde maria orta. Posthæc terra germinare, atque mox fruges quoque edere jussa.

4. *Quarto* die Sol atque Luna Firmamento inserti.

5. *Quinto* Pisces & Aves ex eodem elemento aquæ producti.

6. *Sexto* e tellure progenitæ sunt animantes terrestres. Atque parato jam mundi isthoc hospitio unus deerat, qui his omnibus vel imperaret, vel uteretur. Itaque eodem die ex argilla Damasceni, ut creditur, agri fictus a Deo *Homo* est, & inspirata eidem anima, dictus *Adam*, atque importatus est Paradiso.

Q. IV. *Quem ais Paradisum?*

℟. Locus erat Orientem solem spectans, ad omne delicium factus. Qui an hactenus quoque perseveret, anceps quæstio est, ac nemini soluta, forte nec solvenda.

Q. V. *Quid rerum in Paradiso Adamus?*

℟. Sopore mersus a Deo est, eique detracta costarum una, atque in mulieris formam traducta; quam *Evam* nuncupavit ipse Adamus.

Q. VI.

Q. VI. *Quamdiu in paradiso moras traxere hi recentes conjuges?*

℞. Incertum est. Sub vesperum tamen eos migrasse credimus; cum DEUS *post meridiem* (Genes. cap. 3. vers. 8.) eos de perpetrato peccato conventos hoc exilio multarit.

Q. VII. *Quodnam illud peccatum?*

℞. Medium Paradisi arbor occupabat fronte augusta, ac ceterarum velut regina. *Scientiæ boni & mali* arbor dicebatur. Hac una os, manumque abstinere jussus est Adam, ni mallet morte luere gulam. Paruit ille: Sed Mulier Eva nitore invitata pomi (suadente etiam serpente, & promittente, fore, ut velut dii efficerentur, si gustarent) carpsit manu primum, dein & morsu: quin Adamum etiam ad epulum pellexit.

Q. VIII. *Quid effecit hoc prandium?*

℞. Cum essent ante innocentes, nil sinistri, infantium in morem, aut noverunt, aut senserunt. Comeso vero pomo nudos se cernentes simul ac erubescentes, foliis arborum velarunt sese. At DEUS præcepti sui temeratores indignatus, exesse eos una cum serpente jussit. Angelum vero pro aditu excubare præcepit, qui eos paradisi ingressu perpetuo prohiberet.

Q. IX. *Quis ille Serpens?*

℞. Aut dæmon fuit personatus; aut verus quidem serpens, sed a diabolo nonnisi pro instrumento habitus.

Q. X. *Cum Deus in serpentem dixit sententiam, memini eum dicere :* Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius, & ipsa conteret caput tuum. (*Gen.* 3. *v.* 15.) *Quid hoc sibi velit, dic sodes!*

℞. Vaticinium est ad sacram Historiam valde pertinens. Prædixit enim, dæmonem seu serpentem semi-

ni, id eſt, proli mulieris inſidiaturum, eo quod ex ea aliquando naſciturus eſſet homo talis, qui ſerpentis caput contereret, id eſt, diaboli poteſtatem. Atque hic eſt promiſſus *Meſſias.* Idque promiſſum in poſteros diligenter transmiſit Adam, ſervatumque eſt in ſtirpe Hebræa, quæ propterea vera Eccleſia fuit, quia fidem in verum DEUM, huncque promiſſum Meſſiam tenuit.

Q. XI. *Septimo die quid effecit Deus?*

℟. Nihil a DEO hoc die creatum; ſed requievit, id eſt, ceſſavit. Atque inde dies ſeptimus ſeu Sabbathum ab opere ſervili vacans DEI honori præcipue conſecrari præceptum eſt. Chriſtiani vero nos Solis diem hoc ritu colimus, ob Domini Reſurrectionem eo die factam: atque ob eandem hic dies dictus eſt *Dominicus dies.*

Q. XII. *Dicis de Diabolo. Eſtne etiam ille a Deo creatus? Et quid tandem de Angelis ſentis?*

℟. Diabolus & ipſe paulo ante Beatorum Angelorum unus erat, quos una cum firmamento condidit DEUS. Sed quomodo in miſerrimam Diaboli ſortem redactus fuerit, accipe. Luciferi ſplendido nomine vocabatur. Lucifero igitur cum per divinam ſapientiam eſſet indicatum, fore, ut homo paulo poſt creandus, a peccato ſuo ſit abſolvendus, non aliter, quam ut Deus humanam ſuſciperet conditionem. Ille injuriam ſibi fieri ratus, & Angelicam conditionem a Deo ſperni, contra Deum ſeſe extulit, vocata in partes ſuas cæterorum Angelorum parte tertia. At Michaël Archangelus divino juſſu eum cælo pepulit, æternisque ignibus addixit. *Hæc occaſionem dedere antiquis Gigantum cum Diis prælia comminiſcendi.*

Q. XIII. *Quinam fuere Adami & Evæ infelicium parentum nati?*

℟. Primogenitus *Cain*, alter *Abel.* Cain rus exercuit; Abel greges pavit. Cum DEO aliquando litarent ambo,

ambo, illeque nonnisi marcidos fructus, hic vero opima pecorum offerret, Cain Deum sibi iratum, Abeli propitium conspexit. Concepta igitur invidia ausus est fratrem morti dedere. Quin & desperans de venia, etsi Deus blande eum invitaret, meruit profugii pœnam: ut nullibi valens consistere, sed per omnes terras vagatus, documento posteris esset non temerandi in fratres amoris.

Q. XIV. *Nunquid alios postea liberos ex Eva suscepit Adam.*

℞. Imo plurimos mares æque & fœmellas. Sed sacræ literæ masculorum tantum nomina produnt, quæ sic habeto.

Nascitur *Seth* (A. M. 130. ant. C. 3830.) vixit annos 912.

Enos. (A. M. 235. ant. C. 3725.) vixit 905.

Cainan. (A. M. 325. ant. C. 3635.) vixit 910.

Malaleel. (A. M. 395. ant. C. 3565.) vixit 895.

Jared. (A. M. 460. ant. C. 3500.) vixit 692.

Henoch. (A. M. 622. ant. C. 3338.) vixit annos 365. Tumque translatus est in Paradisum, ut creditur. S. Augustinus (Lib. 2. contra Pelagium) incertum esse, ubi nunc sint Henoch & Elias, neque ad fidem pertinere.

Mathusalem. (A. M. 687. ant. C. 3273.) vixit annos 969.

† *Adam annorum* 930. *obit.* (A. M. 930. ant. C. 3030.)

Lamech. (A. M. 874. ant. C. 3086.) vixit annos 777.

Noë. (A. M. 1056. ant. C. 2904.) vixit annos 950.

Sem a Noë generatur (A. M. 1558. ant. C. 2402.) cum jam ante Cham & Japhet geniti essent. Vixit annos 600.

CAPUT II.
De Diluvio.

Quæst. I. *Quid ais, cum* Diluvium *ais?*

℟. Inundationem aquarum incredibilem, qua totus terrarum orbis sepultus fuit ob enormia carnis præcipue crimina.

Q. II. *Nemo hominum evasit?*

℟. Noë cum tribus filiis, eorumque uxoribus, ac sua quoque conjuge. Homines simul octo. Hi Arcæ cuidam inclusi evasere.

Q. III. *Qualis illa Arca?*

R. DEI jussu fabrefacta est a Noë uno ex omnibus viro probo. Longitudine erat 300. cubitorum: Latitudine 50. Altitudine vero cubitorum 30. Distincta intus in contignationes. Non aperta superius, sed tecta. Fenestra nonnisi una, unoque ostio instructa. Bitumine probe perlita: cætera ad modum navis composita.

Q. IV. *Tantæ molis arca pro octonis tantum hominibus?*

R. Imo pluribus ea patuisset, si cuiquam libuisset intrare. Nam centum omnino annos in condenda hac machina consumpsit Noëmus: totoque illo tempore ad pœnitentiam hortatus est corruptissimæ vitæ mortales; prædicens imminentem ruinam. At cum omnes eum sannis exciperent, DEUS occulta vi brutas animantes ursit, ut binæ e quovis genere, mascula una, unaque fœmella ad hanc arcam properarent. Quibus receptis, & Noë sua cum familia in eam se contulit.

Q. V. *Narra mihi hujus Diluvii seriem?*

R. Noë jam in septimum diem incluso mirum in modum illuserunt omnes, tanquam fatuo. Cum ecce! erum-

erumpens ex universis fontibus immanis aquarum vis, & emota suis e sedibus æquora omnem late tellurem occultant. (An. Mun. 1656. ante Christ. 2304.) Accessere quadraginta dierum, noctiumque perpetui atque spississimi imbres. Tantum vero crevit undarum moles, ut quindecim cubitorum altitudine summis etiam montibus incumberet. Septimo deinde mense decrescentibus sensim aquis Arca super juga montium in Armenia resedit. Post Noë aperta fenestra emisit corvum, qui cadaveribus delectatus, minime in Arcam reversus est. Deinde & columbam, quæ vestigiis ponendis locum non inveniens revisit ad Arcam. Altera vero columba, post septendium emissa, virentem olivæ ramusculum retulit. Quo signo accepto, & expectatis diebus septem aliis, Noë cum suis Arcæ valefecit, ac in novam quasi terram descendit. Illi, omnibusque benedixit DEUS, addita sponsione, nunquam deinceps diluvio mortalium genus perditum iri. Cujus promissi signum perpetuum statuit Arcum in nubibus, seu iridem, pluvia maxime tempestate sese ostentantem. *Diluvium uti res maximam sui relinquens memoriam, plurimarum gentiles inter fabularum materia fuit; quas in Mythologia videre licet.*

CAPUT III.

A Diluvio ad Abrahamum.

Q. I. *Quæ fuit a Diluvio rerum facies?*

Resp. Tum carnium esus hominibus a Deo indultus; cum ante nonnisi terræ frugibus vescerentur. Nam marinæ aquæ tellurem tamdiu salsedine sua macerantes infœcundam reddiderunt, ut hominibus pascendis sola vix suffectura esset.

R. 2. Noë vineam colere cœpit, vinique potu pro aqua uſus eſt. *Eamque ob cauſſam Liber Pater, ſeu Bacchus ethnicis creditus.*

R. 3. Multi opinantur, a diluvio primum pluvias extitiſſe; cum ante ſolis fluminibus, rivisque ſaturarentur prata, viretaque.

Q. II. *Quomodo hominum genus eſt dilatatum?*

R. Tres Noëmi Filii orbem inter ſe partiti ſunt. *Japhet* occidentales plagas, Europam nempe petiit. *Cham* exteriora Aſiæ, ac poſtea Africam incoluit. *Sem* in interioribus Aſiæ remanſit.

Q. III. *Sed qua tandem via ad Americanas terras, ſeu nuper repertum novum orbem delapſi ſunt?*

R. Navi eo ſunt appulſi, recente adhuc memoria tenentes exemplum Arcæ. Quin & animalia ſecum eo deportaſſe ſimile vero eſt ſancto Auguſtino, *de Civ. Dei.*

Q. IV. *Quæ præcipua fuit diſceſſus hujus cauſſa.*

R. Cum multitudo, cui alendæ una provincia jam par non erat: tum & linguarum confuſio, quam paſſi ſunt mox, ubi *turrim* illam *Babel* excitarunt.

Q. V. *Explica mihi hoc, quod de turri, deque linguis dixiſti.*

R. Ut eſt mortalium natura ſui ſemper ſtudioſa, Dei nimis quam facile oblita, hi recentes adhuc a diluvio, divini vero promiſſi immemores, rebus ſuis optime conſultum fore exiſtimabant, ſi ingentis molis turrem eveherent, (A. M. 1757. an. Ch. 2203.) quæ eos ab omni deinceps exundationum vi tutos præſtaret. Jamque nubes ipſas feriebat ædificium: cum Deus temerariis conſiliis clavum figit: idque tam nullo negocio, quam ſummo illorum cum dedecore. Accidit enim, ut operi intenta hominum non pauca millia, quisque, quæ ad rem ſuam

ſuam faciebant, peterent; Cœmentum ille, ille lapides. Qui vero hæc petebantur, aut hærere & ſtupere, aut longe alia apportare; Verbo alter alterius linguam non capere. Hoc modo cæptis deſiſtere coacti ſunt. Ideoque turrim illam Hebræi *Babel* dixere, quod noſtra lingua *confuſionem* ſonat. *Atque hæc ipſa potuit eſſe occaſio fabulæ de Gigantibus, qui montes montibus imponendo diis bellum faceſſere auſi ſint.*

Q. VI. *Quot linguæ tum natæ ſunt?*

R. Ajunt 70. Nam tot fere gentes ſecundum linguas ſuas emigraſſe dicuntur a S. Scriptura.

Q. VII. *Quæ lingua ante obtinuit?*

R. Hebræa creditur.

Q. VIII. *Quis Religionis ſtatus?*

R. Noë quidem transtulit veri Dei ab Adamo acceptam notitiam, cultumque ad filios & nepotes. At cum in diverſa abirent populi, hic quoque cultus in oblivionem abiit. Omnia paulatim occupavit Idololatria; ac de rebus, quæ tum in diluvio, tum in primo mundi ortu acciderunt, veræ primum narrationes in poſteros transmiſſæ; deinde vero e narrationibus procuſæ fabulæ eo plures, eoque deteriores; quo longius fama ferebantur. Denique cum majorum ſuorum deſiderio & admiratione tenerentur, nimirum Noëmi, Nemrodi; vel cum regibus ſuis adulari certatim vellent, eorum quasdam effigies adornarunt, aut Civitates ſeu alias ædificiorum moles eorum nomini dicarunt, atque illos reges, quos ſic colebant, deos eſſe aut crediderunt, aut ſaltem voluerunt, & hoc pacto *dimiſerunt DEUM, a quo facti erant, & colebant illa, quæ ipſi fecerant,* S. Auguſtin. in Pſalmum 84.

Q. IX. *Sed quomodo Noëmi poſteros enarras?*

R. Semi filius fuit *Arphaxad.* (A. M. 1653. ant. C. 2302. natus) Vixit annos 338.

Sale. (A.M. 1693. ant. C. 2267.) vixit 433.

Heber. (A.M. 1723. ant. C. 1237.) vixit 464. Ab hoc Patriarcha nomen Hebræorum fluxit.

Phaleg. (A.M. 1757. ant. C. 1203.) vixit 239. Hic cum naſceretur anno hoc mundi 1757. linguarum confuſio contigit.

Rehu. (A.M. 1787. ant. C. 2173.) vixit an. 239.

Saruch. (A.M. 1819. ant. C. 2141.) vixit 230.

Nachor. (A. M. 1848. ant. C. 2112.) vixit 148.

Thare. (A.M. 1878. ant. C. 2082.) vixit 205.

Abram. (A.M. 1948. ant. C. 2012. natus) vixit 175.

CAPUT IV.

Ab Abraham ad Moſen, & egreſſum populi ex Ægypto.

Q. I. *Clari nominis virum Abram nemo non novit. Tu ejus geſta perſequere.*

℞. I. DEO præcipiente e patria ſua migravit (A. M. 2023. ant. C. 1937.) in regionem Chanaan, promiſſo accepto, eam ſuam, ac poſterorum ejus futuram. Quare dicta eſt *terra promiſſionis.*

II. Loth nepotem Abrami ex fratris Sodomis degentem, occupata urbe, abduxerant hoſtes. Eo comperto Abram cum ſubditis ſuis eorum premens veſtigia profligavit illos, Loth cum ſuis libertati reſtituit. In reditu benevole acceptus a Melchiſedech, oblato pane ac vino.

Q. II. *Quis iſte Melchiſedech?*

℞. *Ajunt Hebræi, hunc eſſe Sem Filium Noë* (S. Hieronym. QQ. Hebra. in Gen.) Diciturque fuiſſe rex in *Salem* oppido, quod dein excrevit in illam civitatem

tem *Jerufalem*. De hoc conftat; Sacerdotem fuiffe. Itaque figura Chrifti eft: quod David Pfalmo 109. clare afferit. *Panis* ac *vinum* ab eo oblato non aliud certe præfignificarunt, quam *SS.Euchariftiæ* Sacrificium.

Q. III. *Nulli fuere Abræ filii?*

℞. Fuere. Sed duo cumprimis memorandi. Prior *Ifmaël* ex Agar ancilla fufceptus. (A. M. 2034. ant. C. 1946.) Quo genito nomen *Abram* a DEO mutatum eft in *Abraham*; ac circumcifio præcepta, quæ Baptifmatis loco Judæo populo erat. Tum etiam alter filius, eidem ex Sara conjuge futurus, promiffus eft vaticinio a tribus viris, quos forte hofpitio Abraham exceperat.

Q. IV. *Qui fuere tres hi viri?*

℞. Angeli fuerunt viatores induti. Hi Abrahamum certiorem fecere imminentis Sodomorum excidii. Deprecatus eft hanc plagam Abrahamus, fi faltem 50. incolarum jufti forent. Negavit Deus, tot reperiri: imo Abrahamo exorare pergenti repofuit, nec vel decem in civitate dari probos.

Q. V. *Quid pœnæ inflictum?*

℞. Flammam pluit cælum, & Sodomam, Gomorrham, Adamam atque Seboim civitates cum finitima regione miferando bufto condidit. Ita, ut in hunc diem, putidis obfeffa paludibus, poma quidem nonnulla ferat, non indecora afpectu, fed quibus intus præter fœtidos cineres nihil fit.

Q. VI. *Conflagrarunt omnia?*

℞. Angeli illi trium virorum fpecie ab Abraham digreffi a Lotho excepti fuerant, hi poftridie eum manu tractum cum uxore, binisque filiabus extra portas eduxere, cum mandato, ne circumfpicerent. Uxor porro, metu an curiofitate ducta, refpiciens in

ſalis ſtatuam continuo eſt deformata. Quam poſt bis mille fere annos ſibi adhuc viſam eſſe confirmat *Joſephus Flavius, L.* 1. *Antiquitatum Judaicarum, cap.* 19.

Q. VII. *Sed age ad Abrahamum revertamur, ejusque prolem.*

R. Huic centenario, & Saræ nonagenariæ natus eſt *Iſaac.* (A. M. 2048. ant. C. 1912.) Illum, ephebos nondum egreſſum, juſſus a Deo ſibi victimam cædere, in montem abduxit, ligna ad Sacrificium ſuismet humeris portantem. Jamque ſtricto ferro, cervici filii imminebat, cum eum ab ictu Angelus prohibet, mandatque arietem inter vepres eo loci hærentem cremare.

Q. VIII. *Quid mirabili hoc facto portenditur?*

R. Homo, ſive hominum genus perdendum erat ob peccatum. Vetuit illud Numinis clementia, ac divinum Filium hædum agere juſſit, id eſt peccata hominis & naturam ſuſcipere, ſicque in Crucis ara eadem eluere.

Q. IX. *Iſaaci etiam poſteros mihi adnumera?*

R. Rebeccam nuptialibus tædis ſibi ſociaverat. (A. M. 2088. ant. C. 1872.) quadrageſimum jam annum agens. Hæc diu infœcunda tandem geminos enixa eſt Eſau & Jacob (A. M. 2108. ant. C. 1852.) Quorum longè diſparia fata extiterunt. Eſau tandem primogenitus quidem, at hiſpidus membris, & animo acer, cum venatum exerceret e ſilvis aliquando redux Jacobum domi lentis pulte genialiter veſcentem reperit. Invitatus ergo & fame & nidore pabuli, illud ſibi mercatur, dato in pretium jure *Primogenituræ.*

Q. X. *Et quodnam iſtud Jus?*

R. Multi ſane momenti. Etenim familiæ primogenitus quaſi rex quidam, & judex, quin & Sacerdos id temporis erat.

Q. XI. *Jacobi gesta persequere?*

R. Miti ingenio erat, ac matri præcipue in amore. Fuit, ut Esau venatum pergeret, Isaaco Patri allaturus obsonium. Eo comperto Mater, Jacobi sui studiosissima, mactatum hædum dapsiliter coquit, atque pro Patris gula. Jacobum dein hædina pelle tectum Esavis etiam vestibus induit, Patrique, præ senio jam cæcutienti, admovet, quasi esset Esau. Isaac in voce gnati hærere primum, deinde hispidos ejus artus manu tentare. Tum vero ratus, eum esse Esau ipsissimum, amplissima eum Benedictione auget. Porro reversus Esau immanes hac de re querelas miscet. Cujus ingenium verita mater in Mesopotamiam Jacobum dimittit, propinquos ibi suos, & peregrinas terras visum.

Q. XII. *Nihilne hic mysterii latet?*

R. Multum sane. Esau enim Populum Hebræum & Synagogam notat, *vetere Testamento* a Deo electam, dilectamque, ac quasi DEI primogenitam. Jacob vero *Novi Testamenti* Ecclesiam: quæ, ætate licet secunda, primas tamen præripuit Judææ genti, ac nunc quoque, illa exautorata, obtinet.

Q. XIII. *Jacobi posteros in numerum mitte?*

R. In Mesopotamiam lecturus sibi conjugem perrexit. In Mesopotamiam appulsus Rachelem uxorem duxit commendatissimæ formæ viraginem. E qua & Lia ejus sorore duodenos succedente tempore Liberos suscepit.

1. Ruben.	7. Gad.
2. Simeon.	8. Aser.
3. Levi.	9. Issachar.
4. Juda.	10. Zabulon.
5. Dan.	11. Joseph.
6. Nephtali.	12. Benjamin.

Hi *duodecim* fuere principes atque parentes gentis Judææ, in totidem *tribus* divisæ.

Q. XIV. *Unde dicti* Judæi?

℟. A Juda, cujus tribus deinceps præcipua evasit, regibus totius populi ex ea delectis.

Q. XV. *Sed memini illos etiam* Israëlitas *dici. Sodes unde?*

℟. Jacobo e Mesopotamia revertenti sub noctem repente vir quidam ignotus latus texit, imo ad luctam provocavit, diuque luctatus tandem tacto femoris nervo claudum Jacobum effecit. Tum eum vir ille (Angelus revera erat) *Israël* dici voluit, quod nobis est: *Videns Deum.* Idque nominis deinceps Jacobo hæsit, in posteros etiam propagatum.

Q. XVI. Hebræi *autem cur dicti?*

℟. Ab *Heber* Noëmi nepote, quem videsis supra cap. 3. Q. 9.

Q. XVII. *At nonne celeberrimus filiorum Jacob fuit Joseph?*

℟. Fuit. Hic albæ gallinæ filius erat patri. Reliqui ergo fratres, invidia aliquamdiu animo pressa, tandem ad pascua forte tendentem inito consilio vinciunt, Madianitisque institoribus viginti argenteis produnt (A. M. 2216. ant. C. 1744.) tunicam hædi mactati sanguine madidam patri ferunt, a feris confectum juvenem mentientes.

Q. XVIII. *Quonam delatus Joseph?*

℟. In Ægypto venditus cuidam Putiphari militum Magistro. Hic agens in heri animum penetravit, remque familiarem curare jussus est. At hera vetitis in eum amoribus capta per mariti absentiam ad stuprum hominem invitat. Quod ille detestatus fugit, relicto pallio. Lena se spretam indignata, eum apud herum insimulat ejus criminis, quod ipsa tentaverat; testem exhi-

exhibens pallium. Nec mora carceri mancipatur Joseph. Ibi pincernæ, nescio qua de caussa eundem in locum detruso, pristinam regis gratiam ex somnio vaticinatus est. Accidit deinde, ut regi per somnum offerrentur septem boves opimæ, quas mox aliæ macie squallentes devorarunt: septem item spicæ tritico graves, a septem aliis tenuibus attritæ, absumptæque. Nemine ænigma evolvente, Joseph rem tetigit, septem bobus, spicisque pinguibus septem futuros annos frugibus uberes, contra septem macris septem itidem annos steriles portendi interpretatus. Rex admiratione juvenis tactus, eum in regno a se secundum esse jussit, omnemque Ægyptum ab ejus ore ac nutu pendere. (A. M. 2229. ant. C. 1731.)

Q. XIX. *Nunquamne deinceps in Patris, fratrumque notitiam venit Joseph?*

℞. Ille septem annorum fruges caute recondidit. Septem reliquis annis fame pressi plerique accolarum ad Josephum confluxerunt fami suæ consulturi. Alios inter advolarunt decem Josephi fratres, annonam sibi emptum. At ille dissimulato affectu pro exploratoribus eos teneri jussit. Solum vero Simeonem custodiæ mandans cæteros cum frumento (pecunia clam in singulorum saccis reposita) pergere jussit, hac lege, ut & natu minimum secum reducerent. Reducunt. At Joseph Prorex laute rursum habitos omnes dimittit. Vix uno ab urbe lapide agebant, cum adest satelles citato equo, scyphum, quem clepsissent, argenteum expostulans. Negare illi, ac pernegare, dum in ore sacci, qui Benjamini erat, crater ipse reperitur. Hic enimvero deprehensi revertuntur, Proregis iræ se permissuri. Iis demum aliquamdiu in ancipiti habitis, Joseph personam posuit, celando affectui jam impar.

Q. XX. *Quo solatio eos affecit?*

℞. Jussit Patrem, omnemque familiam in Ægy-

ptum tendere. Benigne a Pharaone suscepti sunt, optimaque terrarum iisdem indulta.

Q. XXI. *Jacobi deinde mors nihil memorandum attulit?*

R. I. Jacob extremo vitæ articulo proximus singulis filiorum fatidicam benedictionem impertiit. Judam porro hoc vaticinio compellavit; *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Genes. 49. v. 10. Quo prædictum fuit, tum demum Messiam promissum in propinquo fore, cum reges e stirpe ac tribu Judæ deficerent: id quod evenit Herode Idumæo regnum occupante.

R. II. Tunc etiam Jacob ambos Josephi filios Manassem & Ephraim adoptavit, & voluit ab iisdem, eorumque posteritate duas tribus constitui.

Q. XXII. *Ergo tredecim sunt tribus?* 1. Ruben. 2. Simeon. 3. *Levi.* 4. Juda. 5. Dan. 6. Nephtali. 7. Gad. 8. Aser. 9. Issachar. 10. Zabulon. 11. Manasses. 12. Ephraim. 13. Benjamin.

R. Tribus *Levi* partem hæreditatis & regionem propriam nullam accepit, sed civitates hinc inde dispersas cum decimis, victimis, & oblationibus. Atque hinc in sorte tribuum vulgo non numeratur.

Q. XXIII. *Nihil aliud, quod sacræ Historiæ sit, id temporis accidit?*

R. Job maximi nominis vir, patientiæ exemplum. Hic nepos Hus, qui filius fuit Nachor fratris Abrahæ, dum providentia divina rerum momenta temperante ingentibus cladibus ad incitas esset redactus, & nudus in sterquilinio degere cogeretur, omnibus his malis æquo animo defunctus aliud non reposuit: nisi, *Dominus dedit,*

dit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Job. 1. v. 21. *Non dixit Dominus dedit; diabolus abstulit; sed: Dominus dedit, Dominus abstulit.* S. Augustin. in Psal. 77. Ejus Historiam, quæ sacris libris continetur, texuisse creditur Moses, stylo sane præ omnibus Scriptoribus augusto, & ad miraculum exquisito.

CAPUT V.

A Mose & Exodo usque ad Josue, & Judices.

Quæst. I. *Quæ fuere populi Israëlitici fata a morte Joseph!*

R. Pharaones succedentes (Nota, Ægyptiis tum omnes suos reges dictos fuisse *Pharaones*) Populum istum exosi omnem moverunt lapidem, ut eum e medio tollerent. Jussi itaque sunt omnes partus masculi Nilo mergi. At obstetricum pietas multos subduxit exitio; interque eos pusio quidam tres natus menses, juncino innexus corbi Nilo impositus est; a longe eum prosequente sorore (A. M. 2373. Ant. Chr. 1587.) Hunc conspicata, litus forte obambulans Pharaonis filia Thermut, in tuto reponi, quin regio gynæceo inferri nutriendum mandavit.

Q. II. *Quis hic puer & nomine & vita?*

R. *Moses* dictus est, id est *de aqua sumtus.* Adhuc dum in teneris regium diadema sibi forte impositum indignatus terræ afflixit. Omnibus quidem disciplinis imbutus, contracta tamen invidia, ab aula exulare apud Madianitas coactus fuit.

Q. III.

Q. III. *Quæ ejus ibi negotia?*

℞. Agnos pavit. Quadam die in monte Horeb rubum ardentem, nihil tamen labis ab incendio trahentem conſpexit. Accedens, ut propius arbitraretur arcanum, a Deo in mandatis tulit, Pharaonem accederet, ac Iſraëlitici populi libertatem flagitaret. Diffiſus ſibi Moſes, ac linguæ cauſſatus balbutiem portento animatus eſt. Scipionem enim ſuum in terram mittere juſſus eſt, eundemque in colubrum repente commutatum acceptum cauda priſtinæ formæ reſtituere.

Q. IV. *Quid effecit Moſes?*

℞. Surdas Pharaonis aures pulſavit; Donec neſcius ludi Deus ingentibus plagis omnia contrivit. Denæ maxime numeratæ ſunt.

1. Flumina, fonteſque in ſanguinem merum converſi.
2. Ranæ omnia fædantes.
3. Cyniphes ſeu muſcæ caninæ exſugentes corpora.
4. Muſcarum omne genus Ægyptum obſidens.
5. Peſtis.
6. Ulcera, quæ omnes Ægyptios a ſummo vertice ad calcem occuparunt.
7. Grando omnia occidens.
8. Locuſtarum immanis exercitus.
9. Tenebræ tantæ ſpiſſitudinis, ut palpando eſſent.
10. Mors omnium primogenitorum tam ex hominibus, quam e jumentis.

Q. V. *Iſraëlitæ ab his plagis immunes?*

℞. Prorſus. Quin ſuprema nocte, quæ primogenitos Ægyptiorum abſtulit, myſticam cœnam omnes epulati ſunt. (A. M. 2453. ant. C. 1507.)

Q. VI. *Quodnam hoc epulum?*

℞. Agnus nempe Paſchalis. Quo veſci oportebat aſſato. Panis, quem addere licebat, toto ſeptendio non niſi Azymus eſſe potuit, id eſt, absque fermento piſtus.

Q. VII.

Q. VII. *Explica mysterium hujus agni?*

℟. Divinatione non eget. Agnus indicabatur ille sine macula, Christus in Cruce occisus, ut nos educeremur de Ægypto, seu peccato, ac servitute Pharaonis, id est diaboli.

Q. VIII. *Quare* Pascha *dictum? Et quid est* Exodus?

℟. Pascha idem est, ac *Transitus*; quod nempe mors primogenitorum Ægyptios flagellans Israëlitarum domos transierit.

2. Exodus idem est, atque *Egressus*; quod eo die egressi sint ex Ægypto.

Q. IX. *Quis fuit ille egressus, aut qua re memorandus?*

℟. 1. Ducem itineris præbuit columna in aëre diu nubila; noctu candens & ignea.

2. Mare rubrum virga illa Mosis tactum cessit, siccam populo viam sternens.

3. Quadraginta omnino annis, quibus per solitudines vagati sunt, nullius calceus aut vestis corrupta est, cumque pueris crevit ipse amictus.

Q. X. *At Pharao impune eos abire passus est?*

℟. Contractis omnibus copiis fugientium tergis imminuit. Donec eorum premens vestigia etiam mare rubrum subire ausus sit; haustus tamen ab illo cum universo exercitu.

Q. XI. *Quot fuere Israëlitarum?*

℟. 600000. id est sexcenta millia lectæ tantummodo pubis, & ferendis armis idoneæ: nam senes, mulierculæ, pueri atque servi in hunc numerum non venerunt.

Q. XII. *Quid toto illo itinere accidit?*

℟. 1. Manna roris in modum quot diebus cælum depluit,

depluit, hujus indolis, ut, quem quisque optaret, saporem indueret.

2. Populus, Mose in Monte Sinai jejunante, vitulum adorat ex auro conflatum. Quare 23000. a Levitis Mosis jussu trucidantur.

3. Promicantibus a fronte radiis Moses de monte redux Decalogi lapideas tabulas Dei digito exaratas refert.

4. Arca fœderis fabricatur, duos cubitos ac semissem longitudinis, unum cum dimidio latitudinis, totidemque altitudinis habens. Vestita undique auro; instrataque effigie duorum Cherubim alatorum, seu Angelorum mutuo sese aspectantium.

Q. XIII. *Quid hac arca asservatum?*

℟. 1. Tabulæ Decalogi.

2. Mensura quædam de illo Manna.

3. Virgo Aaron Amygdalina, quæ eodem tempore flores & fructus subito dederat, in signum, Aaronem non alium a Deo in Sacerdotium electum fuisse.

4. Liber Deuteronomii a Mose scriptus.

Q. XIV. *Perge cetera in diserto patrata edicere?*

℟. 5. Aaron Sacerdos consecratus. Filii porro ejus Nadab & Abiu consecratione insuper habita arripientes sibi acerram, & adolere Deo incensum ausi, igne erumpente exusti sunt.

6. Sacerdotibus & Levitis Decimæ ac primitiæ omnium frugum atque fœtuum, oblationes etiam, & victimæ adjudicatæ. Aliæ insuper leges latæ.

8. Populus carnes esuriens impetrat, coturnicibus sponte se offerentibus. At male cessit esca; ingenti multitudine hinc interemta.

8. Murmuranti populo hæc a Deo pœna decernitur, ut nullus eorum omnium, qui ab Ægypto egressi fuere, terram promissam attingeret, Josue & Caleb exceptis. Sed soli, qui post egressum in ipso deserto nati fuissent.

9. Core,

9. Core, Dathan, & Abiron seditionem in Mosen & Aaron moventes dehiscente ipsis terra vivi hauriuntur cum omnibus, qui eorum e partibus stabant. Aliis insuper 14700. incendio absumptis.

10. Murmurantem ac pessimi ingenii populum igniti serpentes depasti sunt; donec Moses, jubente DEO serpentem æneum e cruce sublimem palam ostenderet, saluti futurum iis, qui eum aspicerent. Quæ, sole clarior est figura sanctæ Crucis, Christique in ea ad nostram salutem suspensi. *Joan.* 3. *v.* 14.

11. Balaam quidam Ariolus, a Balac rege Moabitarum evocatus ad maledicendum Israëlitis, distinetur ab Angelo iter obsidente. Et mirum! asina, qua vehebatur, vocem edens humanam de sessore queritur. Balaam tamen populo ex condicto maledicturus, Deo linguam temperante, in benedictiones erumpit vel invitus. Quin & *Stellam* ex Jacob seu Israëlitica gente orituram vaticinatur. Dum interea Balac rex ira & invidia rumperetur.

Q. XV. *Quis tandem exitus diuturni itineris? Et quo fine Moses desiit?*

℟. Exitus itineris fuit ingressus in terram promissam Abrahæ; seu in regionem Chanaan. Id quod sequente capite te docebo. Moses vero centum ac viginti natus annos, suffecto sibi in populi Ducem Josue, ac scripto Deuteronomii libro fatis concessit. (A. M. 2493. ant. C. 1467.

Q. XVI. *Nihil aliud scripsit Moses?*

℟. Imo jam ante memini Jobi Historiam ab eo esse compositam. Insuper Historiam mundi totius a primis incunabulis ad suam ætatem delineavit sequentibus sacris libris, *Genesis*, *Exodi*, *Levitici*, *Numerorum*, ac demum *Deuteronomii*; Quos una *Pentateuchum* dicimus.

Q. XVII.

Q. XVII. *Si fas est mihi, rogabo, unde hauserit Moses hanc rerum ab orbe condito, tam remotam notitiam?*

℞. Minime id mirabere, si consideraveris Mosen non adeo fuisse remotum ab ætate seu tempore primorum in terra mortalium. Nam *Adam* vixit usque ad annum mundi 930. Is Nepoti suo *Lamech*, qui natus anno mundi 874. tunc, cum Adam obiret, annum ætatis quinquagesimum sextum agebat, huic inquam Lamecho Adam omnia narravit. Lamech porro Noëmo filio suo. *Noë* vixit adhuc anno mundi 2006. id est quinquaginta sex annis post natum Abrahamum, ita ut Abraham omnem historiam ab ipso Noëmo potuerit discere. Abraham tradidit *Isaaco*, imo etiam *Jacobo*: siquidem Jacob quindecim jam erat annorum, cum Abraham moreretur Anno mundi 2123. Jacob tradidit filio suo *Levi*, Levi tradidit filio item suo *Caath*, Caath *Amramo*: atque hujus Amrami filius fuit Moses; qui certe a Josephi Ægyptii morte non distabat nisi sexaginta quatuor tantum annis: ut adeo nihil mirum sit talem notitiam ad Mosen pervenisse. Præterquam quod *Divino* etiam *Spiritu* ad talem Historiam scribendam fuerit excitatus.

CAPUT VI.

A Josue ad David regem.

Q. I. *Josuen mox dixisti ad clavum rei publicæ Hebrææ admotum esse a Mose. Nunc quid factis dignum gesserit fac sciam?*

℞. 1. Jordanem miraculo divisum, & exsiccatum cum omni populo trajecit, atque in Chananæa regione pedem fixit. (A. M. 2493. ant. C. 1467.) Eo tempore

pore Manna evanuit, cæperuntque Iſraëlitæ frugibus illius terræ veſci.

2. Jerichuntem civitatem delevit, muris ejus ſponte ruentibus, cum ſepties circum eam deportaretur Arca.

3. Collatis cum hoſte ſignis Victor Joſue diem cædibus defuturam videns, ſolæ ac lunæ ut ſtarent, imperavit. Paruere ambo, ac unius plane diei moram in ſua quisque ſtatione hæſit. Regionem vero omnem armis ſubactam in duodecim tribus ſorte diviſit; ac in pace obiit.

Q. II. *Cæteros enumera Duces?*

℞. *Secundus* fuit Othoniel. (A.M.2507. ant. C.1453.) præfuit annis 40.

Tertius Aod, (A.M. 2547. ant. C. 1413.) per 80. annos.

Quarto loco Debbora Prophetes fœmina (A. M. 2627. ant. C. 1333.) cujus auſpiciis Jabin rex Chananæus Azoritarum devictus eſt, & Siſera Belli Strategus, cum ex fuga in ædiculam Jahelis mulieris, quæ lacte propinato eum refecerat, divertens ſomno mergeretur, clavo a Jahele per tempora adacto periit. Judicium exercuit annis 40.

Quintus Gedeon (A. M. 2667. ant. C. 1293.) Cum primum a Deo deſignaretur dux, diffidens ſibi ſignum agnino in vellere duplex petiit & accepit. Primo enim vellus extentum ſolum rore inebriatum eſt, tellure circum arente: dein reliquis madidis vellus ſolum intactum relinquebatur. Sedit pro tribunali annis 40. Interregnum 9. annorum.

Sextus Ordine Abimelech cæſis Gedeonis ſeptuaginta filiis Tyrannide occupavit tribunal. (A.M. 2716. ant. C. 1244.) Theben oppidum corona cingens jactu lapidis molaris a muliere periit eliſa cervice.

Septimus Thola (A.M. 2718. ant. C. 1241.) an. 23.

 Octa-

Octavus Jair (A.M. 3742. ant. C. 1218.) annis 22.

Nonus Jephte (A. M. 2764. ant. C. 1196.) annis 6. Hic ancipiti prælio votum nuncupavit, quidquid sibi victricia signa domum referenti primum occurreret, Deo immolandi. Occurrit filia cum Virginum choro patrem cum plausu exceptura: quam ille dejecta cervice victimam fecit.

Decimus Abesan (A.M. 2770. ant. C. 1190. annis.

Undecimus Ahialon (A.M. 2777. ant. C. 1183.) annis 10.

Duodecimus Abdon, sive Labdon (A. M. 2787. ant. C. 1173.) annis 8.

Decimus tertius Heli Summus Pontifex, (A.M.2795. ant. C. 1165.) cum quo imperium commune aliquamdiu tenuit Samson.

Q. III. *Samsonis gesta compendio recense?*

℞. 1. Leonem elisis faucibus inermis discerpsit.

2. Injuria a Philistæis hostibus affectus trecentas vulpes cepit, easque binas a caudis colligatas cum faucibus in segetes hostium egit, omnesque exussit.

3. Mille hostium nonnisi maxilla asini armatus stravit.

4. Ut est secreti prodigus vesanus amor, meretrici succubuit Samson, qui hostibus omnibus superior fuerat. Hæc lenociniis ab eo extorsit, quod tandem esset tanti roboris summum momentum: id cum in crinibus situm esse prodidisset atque in lupæ sinum demerso capite obdormisceret, ligatus a Philistæis, orbatus oculis, molam agere jussus, diuque ludibrio palam habitus est. Demum productus in scenam 3000. Philistæorum neci dedit. Etenim propylæo nobilium turba in cachinnos effusa incumbebat: Samson succrescente paulatim coma pristino restitutus robori columnas ambas, quibus unis tota moles nitebatur, comprimit, ac secum omnes ruinis illis condit. *Herculis labores plurimam partem ex hac historia traxere poëtæ.*

Q. IV. *Jam & de Heli, si quid habes, narra?*

℟. Hic filios graviter delinquentes mitius castigans, pœnas dedit, ambobus orbatus, adverso contra Philistæos prælio: quo eodem & Arcam suo jussu in castra ductam hostis cepit. Quo ille nuncio accepto, supinus e sella corruens repente extinctus est.

Q. V. *Reliquos Hebræorum Judices da?*

℟. *Samuel* unus superest (A. M. 2835. ant. C 1125.) Hic vaticiniis ac prudentia clarus populo in vigesimum secundum annum jura temperavit. At cum rerum summam in filios divideret, hique populo graves essent, is regem petiit, more aliarum gentium.

Q. VI. *Quem porro regem nacti sunt?*

R. *Saul* e tribu Benjamin insigni specie virum, totoque vertice ac humeris reliquæ turbæ eminentem. (A. M. 2857. ant. C. 1103.) Hic olei unctione inauguratus a Samuele in Philistæos primum, dein & in Amalecitas movit. At mox spretus a Deo est duplici de caussa. 1. Quod deleto hoste victimas fecerit præter mandatum Prophetæ. 2. Quod profligatis Amalecitis opima spoliorum reservaverit; cum jussus a Deo fuerit internecione omnia delere. Abhinc in deterius illius res abire, ipseque malo genio agitari cæpit. Davidem a Deo sibi sublectum calide diu exagitavit. Demum sinistro adversus Philistæos prælio saucius necem sibi ipse conscivit.

CAPUT VII.

A David ad Divisionem regni Israëlitici.

Quæst. I. *Quibus auspiciis David ad solium accessit?*

℞. Isai, seu Jesse natus patre, viro Bethlemita e tribu Juda, Pastoritiam vitam agebat, manu promtus adeo, ut & ursum & leonem greges invadentem conficeret. Hic a Samuele Propheta Rex unctus est. (A. M. 2897. ant. C. 1063.) sed sceptrum non capessivit, nisi ab obitu Saulis.

Q. II. *Quæ inter hæc gessit?*

℞. 1. Saulem malo genio tortum pulsu citharæ compescuit.

2. Pastor adhuc ad castra delatus Goliathem stravit gigantem Israëlitas quosvis ad singulare certamen fastuose provocantem. Huic funda David frontem perfregit. Ejus caput & acinacem triumpho reportanti David turba accinuit: *Percussit Saul mille, & David decem millia.* Qua voce actus in invidiam Saul perpetuas in Davidem iras coxit. Sed David etsi non semel ejus etiam vitam in potestate haberet, dimisit tamen salvum, regiam in eo Prophetæ unctionem suspiciens.

Q. III. *Saule peremto qui se David habuit?*

℞. 1. Amare ejus sortem deflevit. Ceterum regnum auspicatus est, tribu Juda eum regem salutante: nam ceteræ tribus Isbosetho Saulis filio sacramentum dixere, donec is a tribunis suismet obtruncaretur.

2. Jerusalem civitatem, & arcem ejus Sion hactenus a Jebusæis, quæ Chananæorum reliquiæ erant, occupatam sibi vendicat, ibique regiam figit.

3. Ma-

3. Manes tamen & ipse suos passus est, vitio semel, ut sunt homines, obnoxius. Etenim Bethsabeam suo in horto lavantem forte e solario regiæ conspexerat, cujus captus forma, eam adulterio vitiat. Uriam porro mulieris conjugem cum litteris mittit ad Joabum, quem bello in Amonitas decreto præfecerat, jubetque hominem in fronte aciei collocatum certæ neci exponi. Ob duplicatum hoc piaculum cædis & adulterii acriter in eum invectus est Nathan Propheta. David vero animum ingens pœnitudo subiit, qua Deo iterum esse cordi meruit.

4. Absolon filius David mortalium formosissimus, populi favore abusus coacto milite Patrem ac regnum petebat. Eoque jam deventum erat, ut David civitatem mutare cogeretur; cum Joab Strategus directa acie profligat Absalonis militem. Ipse vero parricida Absalon per fugæ impetum passis crinibus (eas prolixissimas alebat) quercus ramo implicitus pependit, donec a Joab superveniente tribus lanceis confixus pœnas dederit.

5. Alias David insuper habito Numinis interdicto, populi universi numerum iniri jussit. Correptus, atque e tribus plagis peste, fame ac bello alteram eligere jussus a Gad Propheta, elegit pestem, *melius* sibi ratus *incidere in manus Dei (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quam in manus hominum.* 2. Reg. 24. Nec diu post fatis sanctissima morte concessit.

Q. IV. *Quis eum in regno excepit?*

℞. *Salomon* filius (A. M. 2937. ant. C. 1023.) post hominum memoriam sapientissimus rex, idemque ditissimus. Quippe per somnum ei oblatum Numen quidvis petendi copiam fecit. Petiit sapientiam: eamque obtentam mox memorando indicio prodidit.

Q. V. *Quod illud indicium?*

R. Rege pro tribunali ſedente mulieres duæ una enectam, altera vivam prolem attulerat, deque ea efflictim altercabantur. Rex conſilium in arena capit, infantemque vivum enſe diſtingui in ſpeciem mandat. Eam ſententiam laudat mulierum altera, altera hæc inter pene exanimata. Hic poſterioris affectus argumento fuit Salomoni materni animi, huicque infantem vivum addixit.

Q. VI. *Opibus etiam abundantem ajebas Salomonem: ergo ejus mihi ſplendorem ob oculos pone.*

R. 1. Regiam ſibi ſtruxit ex auro, cedroque fere totam. Solium eburneum exquiſitiſſimi operis, auroque ſinceriſſimo veſtitum ſex gradibus elevatum conſpiciebatur: quos duodecim arte facti leones hinc inde obſidebant. Tantamque paſſim auri copiam videre erat, ut argenti vix ratio haberetur.

2. Præter vectigalia & exterarum gentium tributa, claſſis Salomonis ad Inſulas Ophir quotannis pergens auri talenta 666. ærario intulit.

3. Regia tanto miniſtrorum numero referta, ut in diurnam annonam triginta cori ſimilæ & ſexaginta cori farinæ, decem quoque boves pingues, ac decem alii paſcuales, centumque arietes mactarentur; præter cervorum, caprearum, aviumque copiam. Equorum curulium quadraginta millia alebat; militarium vero nonniſi millia duodecim, ut nempe pacis tempore. Hac pompa cum circumflueret rex, divino etiam aliquo opere divitias ſuas exponere in animum induxit.

Q. VII. *Quod illud divinum opus?*

R. Templum omnibus retro ſeculis memorandum: (A.M. 2941. ant. C. 1019.) cujus ſeriem ſic accipe.

1. Operariorum, qui ligna cædebant, *triginta millia*

lia numerabantur. Eorum, qui onera portabant, *ſeptuaginta millia.* Latomorum *millia octoginta.* Quibus omnibus præfecti erant officialium tria millia, atque trecenti.

2. Excitabatur lapide quadro, perpolito, 15. cubitorum longitudinem ſæpe excedente: idque absque cæmento.

3. Interius cedro primum ac ſupra etiam auro tecta omnia. In ſupellectili templi Joſephus Flavius numerat Phialarum aurearum decem millia, paterarum ejusdem æris octoginta millia, thuribulorum viginti millia: nam argentea vaſa duplici ſemper numero aderant.

Templum porro medium pretioſo *velo* diſtinctum erat: pars interior ſeu adytum dictum eſt *Sancta Sanctorum*, quo nemini, niſi Summo Sacerdoti quotannis ingredi fas: pars extima populo cedebat. Id porro *velum* eſt illud, quod ſciſſum in partes abiit, cum in Cruce animam Chriſtus ageret.

4. Structura ejusmodi erat. Longitudo 60. cubitos æquabat; latitudo 20. Altitudo 60. impoſitumque eſt aliud ædificium convexum ſeu teſtudo (Cupl dicunt noſtri) ſexaginta itidem cubitorum. Exteriori templi faciei per circuitum adhærebant plurimæ ædiculæ in morem tabernaculorum ad ſummum usque porrectæ, ita ut turris ampliſſimæ ſpeciem præberet tota moles. Ceterum triplici ampliſſimo ambitu ſeu palatiorum ordine per gyrum ſtipatum erat. Non præbuerat mons Sion tantam aream: quare ingentes aliquot valles exæquandæ erant, operoſiſſimisque ſtructuris firmandæ, ut & areæ præbendæ, & geſtandæ ædificii moli ſufficerent.

5. Dedicatum illud templum a Salomone, mactatis integro octiduo boum viginti millibus. Ovium vero millibus centum & viginti. Vetitumque Judæis tem-

templum alibi excitare, aut alibi gentium Sacrificium libare.

Q. VIII. *Quis fuit exitus tanti nominis, inquam, Salomonis?*

℞. Sapientiam regis corrupit veſanus mulierum amor, quo in transverſum actus fœdiſſimis idolis poplitem curvavit. Obiit dein (A. M. 2977. ant. C. 983.) cum 40. annis regno moderatus eſſet: dubium relinquens poſteris, num ad meliorem frugem unquam redierit? Scripſit e ſacris Libris ſequentes, Proverbiorum, Eccleſiaſtis, Canticorum, & Sapientiæ etiam, ut multis creditur: cum aliis videatur a Philone Judæo eſſe ſcriptus.

Q. IX. *Quomodo aut qua de cauſſa diviſum eſt ejus regnum?*

℞. Primum in pœnam idololatriæ Salomonis, & populi. Deinde ſtultitia ejus filii Roboami. Hic enim ab obitu Patris juvenibus conſiliariis incaute uſus, immania tributa imperavit populo, nec quicquam eum dehortantibus ſenioribus. Commotæ itaque decem tribus defectionem a Roboamo faciunt, in leges Jeroboami, privati ante hominis, jurant: cum interim Tribus Juda & Benjamin in poteſtate ac fide Roboami manerent, unde biceps regnum Hebræorum extitit, iſtud *Judæ*, alterum *Iſraëlis* dictum.

CAPUT VIII.

De regno ac regibus Iſraël a Jeroboamo usque ad captivitatem, & hujus regni exequias.

Q. I. *Reges Iſraël ordine recenſe?*

℞. *Primus.* Jeroboam (A. M. 2977. ant. C. 983.) Hic

Hic æmulus Roboami duos vitulos aureos adorandos propoſuit, ut populum ſuum ab Hieroſolymitano templo abſtineret, regnat 22. ann.

Secundus. Nadab filius (A. M. 2999. ant. C. 961.) annis 2.

Tertius. Baaſa. (A.M. 3001. ant. C. 959.) regn. an. 24.

Quartus. Ela (A.M. 3025. ant. C. 935.) regnat an. 2.

Quintus. Zambri, (A. M. 3027. ant. C. 933.) ſeptem tantum diebus ſolio abuſus eſt. Obſeſſus enim ab Amri Domum regiam una ſecum ipſe exuſſit.

Sextus. Amri (*An. eod.*) Samariam civitatem condidit. Idololatra, regnavit an. 12.

Septimus. Achab filius (A. M. 3039.) Ejus uxor Jezabel filia regis Sidoniorum, monſtrum muliebris nequitiæ. Baal idolum populo propoſuit, templo & ara in civitate Samaria extructa. Hac ætate celebre eſt nomen Eliæ Prophetarum facile principis: cui multum cum impio Achab negocii interceſſit. Regnat ann. 22.

Q. II. *Quæſo Eliæ res præclare geſtas in digitos mihi mitte?*

℞. 1. Cælum velut in poteſtate habuit, prohibens pluvias quanto tempore vellet, easdemque denuo proliciens.

2. A Muliere vidua Sareptana exceptus hoſpitio, ejus caniſtro, ac olei lecytho benedixit, ut nunquam deinceps defecerint. Ejus etiam filium vitæ reddidit, quem nonnulli credunt Jonam extitiſſe poſtea Prophetam.

3. Convocatis 450. Baalis Sacrificulis imperat, toto inſpectante populo, ipſoque rege, ut aram ſuo deaſtro excitent, victimis ligniſque inſtructam: ſe idem facturum Numini æterno. Hac lege, ut cujus victimæ ſponte arſiſſent, is DEUS verus ab omnibus haberetur. Annuunt illi, & ara inſtructa a primo mane ad meridiem idolum ſuum in vota

vocant cultris ſe proſcindentes, pro more illius gentis poparum. Incaſſum tentatis omnibus, inſigniter eos riſui habet Elias, altius ut inclament, acerbe hortatur; nam Deum eorum forte in itinere aut diverſorio occupatum, aut merſum ſomno eſſe! Ipſe vero aræ ſuæ atque victimis aquam largiſſimam tertia vice affundi jubet, ne quis eſſet ſuſpicioni locus, ac ſi fraude rem ageret. Dein vix tribus verbis Deum vocaverat, cum ecce ignis ex alto promicans victimas una & aram, utut probe unda pertinctas ſpecioſe abſumit. Populo in clamorem effuſo Propheta Popas illos ad unum omnes neci dedi jubet.

4. Denique igneo curru per aëra abreptus, translatus in Paradiſum creditur: Eliſæo vero diſcipulo, dum raperetur, pallium reliquit, cum pari, imo duplici prophetiæ ſpiritu.

Q. III. *Regum Iſraël ſeriem pertexe?*

℟. *Octavus.* Ochozias Achabl filius. (A. M. 3061. ant. C. 899.) Idololatra. regn. an. 2.

Nonus. Joram, frater Ochoziæ. (A. M. 3063. ant. C. 897.) Sub hoc Eliſæi virtus ac fama increbuit. Reg. 12. an.

Q. IV. *Eliſæi hiſtoriam compendio accipere geſtio?*

℟. 1. In duos & quadraginta pueros, ejus calvitiei illudentes, binos urſos evocavit, a quibus diſcerpti ſunt.

2. Naaman Syriæ Satrapa lepra laborans, medicinam morbo quærens, ab Eliſæo juſſus eſt ſepties in Jordane lavari. Lavit, ac redditus eſt ſanitati. Tum muneribus Prophetam auctum ibat: ſed quæ ille detrectavit. Giezi tamen famulus clam Hero nonnihil munerum exigens lepra cum tota ſua poſteritate punitus eſt, quod miraculum quaſi vendidiſſe videretur. Id ſcelus hodie Simoniam dicunt.

3. Sa-

3. Samariæ a Syris oppugnatæ annona defecit adeo, ut caput asini veniret 80. argenteis, & quadrans cadi stercoris columbarum (quo pro sale utebantur) argenteis quinque. Quid quod matres suas ipsarum proles improba gula coctas alvo condiderint? Elisæus tamen prædixit, postridie abunde alimentorum fore. Id quod evenit: nam hostis panico timore correptus obsidionem sponte solvit, castraque cum omni commeatu diripienda reliquit.

Q. V. *Jam qui reges Joramum exceperint, prosequere?*

R. *Decimus.* Jehu (A. M. 3075. ant. C. 735.) Regnav. 28. an.

Undecimus. Joachaz (A. M. 3103. ant. C. 857.) Regn. 17. an.

Duodecimus. Joas (A. M. 3120. ant. C. 840.) Tum mortuus est Elisæus. Cujus sepulcro deinceps cum forte occisum a se hominem latrones ab exploratoribus occupati intulissent, ille tactis Prophetæ ossibus vitæ redditus est. Regn. an. 16.

Decimus tertius. Jerobeam II. (A. M. 3136. ant. C. 824.) Reg. 41. annis. A cujus obitu undecim fere annorum interregnum extitit. Ejus etiam ætate Jonas Propheta miris innotuit.

Q. VI. *Quibus ain' miris?*

R. Ninive tum erat Assyriorum Monarcharum regia, cujus insanam peccandi libidinem castigaturus Deus hunc Prophetam mittit, qui præsens ei exitium minitetur. Jonas ad Ninivitas, ut gentiles, pergere Judæus ipse metuens aliorsum navi fugit. Suborta vero decumana procella, suspicati nautæ, esse quempiam in navi hujus calamitatis autorem, ex condicto inter se sortes mittunt: Sorte itaque proditus Jonas fluctibus objectus est: quem tamen Balæna ingenti fauce exceptum vivum hausit. Triduo hoc bolo satur piscis demum concepta nausea stomachum movit, Jonam-

Jonamque in litus evomuit. Ille in Niniven penetrans civibus succlamavit: *adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Quo clamore ad regem delato indictum jejunium est, & numen prece placatum.

Q. VII. *Quomodo illud interregnum Israëlis solutum est? & qui secuti reges?*

℞. *Decimus quartus.* Zacharias Jeroboami nihili filius regno potitus est, (A.M. 3188. ant. C. 772.)

Decimus quintus. Sellum.

Decimus sextus. Manahen (An. eod.) regn. an. 10.

Decimus septimus. Phacee. (A.M. 3201. ant. C. 759.) Theglathphalassar rex Assyriæ tribum Nephtali captivam abduxit. Regn. 29. an. Sub eo Abdias Propheta vixit.

Decimus nonus. Osee (A. M. 3230. ant. C. 730.) Cum tergiversaretur tributum Assyriis pendere, ac Ægyptiorum auxilia sollicitaret, datus est in vincula (A.M. 3239. A. C. 721.) anno regni sui nono; ac reliquæ etiam novem tribus regni Israël in Babylonem deductæ, unaque hoc regnum penitus extinctum est, ob neglectum divinæ legis, ob ingratitudinem in Deum summam, & idolorum etiam cultum.

Q. VIII. *Ergone omnis illa regio in solitudinem abiit?*

℞. Non equidem, sed e media Babylone eo deductæ coloniæ gentiles. Qui cum omnem veri Numinis cultum spernerent, a leonibus passim discerpti sunt. Itaque a rege Assyrio submissus illis est e Sacerdotibus Hebræis unus, qui illos in vero cultu instituit. Inde orti sunt *Samaritani*, qui cum idolis suis, juxta etiam DEUM Judæorum coluerunt, cumque multis Judaicorum rituum, linguam etiam partim susceperunt.

CAPUT IX.

De regno ac regibus Juda a Roboamo usque ad Captivitatem, & Sedeciam regem.

Q. I. *Quot fuere reges Juda?*

℞. Roboam *Quartus* a Saule (A. M. 2977. ant. C. 983.) 17. annos purpuram gessit. Atque hoc potissimum rege *Excelsa*, toties in sacris literis damnata, constructa sunt. Regn. an. 17.

Q. II. *Quæ sunt illa* Excelsa?

℞. Nimirum aræ, ac loci in editis ut plurimum collibus excitatæ, absque quidem delubris, ac sæpe absque idolo certo; at non absque superstitioso cultu.

Q. III. *Qui Roboamo Successores fuere?*

℞. *Quintus* regum Juda Abias, filius Roboam malus: (A. M. 2994. ant. C. 966.) Regn. an. 3.

Sextus. Asa filius (A. M. 2997. an. Chr. 963.) Bonus rex. Regn. an. 41.

Septimus. Josaphat filius, (A. M. 3038. ant. C. 922. pius. Regnat an. 25.

Octavus. Joram filius degener, (A. M. 3063. ant. C. 897.) Athaliam Achabi regis Israël filiam uxorem duxit, cumque ea numinis iram. Regn. an. 8.

Nonus. Ochozias filius, (A. M. 3071. ant. C. 889.) non bonus a Jehu rege Israël peremtus. Regn. an. 1.

Decima. Athalia Mater Ochoziæ audita filii nece omnes nepotes suos, Ochoziæ filios e medio tollit. (A. M. 3072. ant. C. 888.) Joas tamen natu

natu minimus, adhuc dum pusio, furori belluæ subducitur a Josabeth Ochoziæ Sorore, Jojadæ summi Pontificis uxore. Parvulus sex annis in adytis templi clam educatus, septimo productus a Jojada, diademate inauguratus est applaudente populo. (A. M. 3079. ant. C. 881.) Athalia vero excita clamore, in templum penetrans, inde a Jojada ejici, ferroque necari jubetur. Jojada quoque agente Baalis idolum, fanumque dejectum a populo est.

Undecimus. Joas. Hic initio bonus, Jojadæ deinde monitorum oblitus in deterius ruit. Regn. an. 40. occisus conjuratione in eum facta.

Duodecimus. Amasias, filius (A. M. 3118. ant. C. 842.) Regnav. an. 29. occisus a suis.

Decimus tertius. Ozias, Usias, vel Azarias (A. M. 3147. ant. C. 813.) Hic ausus Sancta Sanctorum in templo subire, adolere incensum, Sacerdotis in munus involare, lepræ pœnam retulit. Itaque coactus est seorsum degere; Joathan filio interea jus dicente. Id temporis Propheta Oseas celebratur. Regnavit annis 52.

Decimus quartus. Joathan (A. M. 3199. A. C. 761.) Bonus; sed excelsa non dejecit. Regn. an. 16. Michæas Propheta claret.

Decimus quintus. Achaz filius impius. (A. M. 3215. ant. C. 745.) Regnat an. 16. Sub eo etiam Joël, Amos, Nahum, & Isaias Prophetæ innotescunt.

Decimus sextus. Ezechias pius rex (A. M. 3231. ant. C. 729. Fana evertit. Æneum serpentem a Mose olim in deserto erectum comminuit; quod populus ei adolere incensa hactenus solemne haberet. Assyrii dum Solymam tentant, interimque fidentius in Deum Judæorum blasphemant, Esaiæ & regis precibus eadem nocte centum & octoginta quinque millia deleti ab Angelo sunt. Regnat an. 29. Hac tempestate Sibylla Erythræa laudatur.

Q. IV.

Q. IV. *Quæso, de ea ne sileas, si quid est. Suspicor enim, eam etiam ad sacram hanc historiam nonnihil pertinere.*

℞. Non ex vano auguraris. Ac ne nescias, plures diverso tempore Sibyllæ fuerunt: quarum hæc Erythræa, aut etiam Cumæa, sive Cumana celebratissima habetur. De Christo plurima futura diserte cecinit; recitabo tibi nonnulla, ut ea Sanctus Augustinus e Lactantio collegit. Ait: *In manus iniquas infidelium postea veniet: dabunt autem Deo alapas manibus incestis, & impurato ore exspuent venenatos sputus: dabit vero ad verbera simpliciter sanctum dorsum. Et colaphos accipiens tacebit, ne quis agnoscat, quod verbum, vel unde venit, ut inferis loquatur, & corona spinea coronetur. Ad cibum autem, fel & ad sitim acetum dederunt, &c. Templi vero velum scindetur: & medio die nox erit tenebrosa nimis tribus horis. Et morte morietur tribus diebus somno suscepto: & tunc ab inferis regressus ad lucem veniet primus, resurrectionis principio revocatis ostenso.* S. August. Lib. 18. de Civitate Dei, cap. 23. Et hæc:
Judicii signum tellus sudore madescet.
Et Rex adveniet per Secla futurus: Scilicet in carne præsens, ut judicet orbem, &c. Sanct. Augustinus ibidem.

Q. V. *Tempus est, ut ad reges Juda revertamur.*

℞. *Decimus septimus.* Manasses filius Ezechiæ (A. M. 3260. ant. C. 700.) Esaiam Prophetam serra lignea medium secari jussit. Regn. an. 55.

Decimus octavus. Amon (A. M. 3315. ant. C. 645.) Interfectus regni anno 2.

Decimus nonus. Josias (A. M. 3317. ant. C. 643.) Devotus, fidelis. Regn. an. 3. Ejus anno 13. vaticinia sua exorsus est Jeremias Propheta.

Vige-

Vigesimus. Joachaz (A. M. 3348. ant. C. 612.) Regnat menses nonnisi 3.

Vigesimus primus. Joakim Joachazi frater dictus ante Eliacim ab Ægyptiis designatus rex, a Nabuchodonosor vero (Nebucadnezar alii dicere malunt) Babylonico Assyriorum monarcha id indigne ferente in vinculis Babylonem ductus est cum primoribus gentis, interque hos Daniele postea Propheta, (A. M. 3352. A. C. 608.) anno regni sui 4. Adhuc tamen succedentes anni septem ejus regno adnumerantur.

Q. VI. *Dic, amabo, quando famosa illa gentis Judææ* Captivitas, *& transmigratio acciderit?*

℟. Ipsissima est, quæ anno regni sui quarto Joakimo imposita est, atque adeo hinc numerabis 70. annos, usque ad solutionem captivitatis a Cyro factam.

Q. VII. *Fuit ergo tum gens Judæorum diademate penitus exuta?*

℟. Nondum equidem. Sed Joachim, sive Jechonias Joakimi filius manum sceptro utut jam marcido *Vigesimus secundus* rex admovit: brevi tamen retrahendam: nam tertio mense vix exacto patrem sequi ad vincula Babylonem debuit, stipatus viginti millibus ejusdem sortis tribulibus suis.

Vigesimus tertius. Sedecias (Matthaniam ante dixere) patruus Jechoniæ, summæ Judæorum rei præfectus ab ipsis Assyriis: (A. M. 3359. A. C. 701.) quorum votis cum non responderet, Nabuchodonosor in eum expeditionem suscipit. Triennio obsessa civitas. Demum Sedecias ex fuga retractus, nati sub ejus ipsis oculis trucidati, ipseque orbatus luminibus est. Urbs porro misere excisa: Templum solo æquatum: Incolæ aut deleti, aut in Babylonicas plagas traducti. (A. M. 3370, A. C. 590.)

CAPUT X.

De Septuagenaria Captivitate.

Q. I. *Quid toto hoc tempore literis dignum accidit ?*

℞. 1. Jeremias Propheta, capta urbe, ab hoſtibus honorifice habitus eſt, facta ei, ubi vellet, habitandi poteſtate. Elegit ruinas patriæ, easque coram lugens, ſuas ibi *Lamentationes* ſcripſit. Paulo poſt a ſuismet popularibus in Ægyptum cum famulo ſuo Baruch & ipſo Propheta abreptus, cum ſceleribus eorum obſiſteret, indigna multa perpeſſus, demum interemtus eſt.

2. Daniel nobilis Hebræi ſtemmatis ſurculus cum Joackim rege ſuo Babylonem raptus eſt/non tam ad carcerem, quam ad Aulam (A. M. 3352. A. C. 608.) E captivis enim quatuor præſtantiſſimæ formæ adoleſcentes Daniel, Ananias, Miſaël, & Azarias in Ephebos Nabuchodonoſoris adlecti ſunt. Accidit forte, ut rex fatidici ſomnii, quod anxie eum ſub noctem habuerat, oblitus, ejus tamen evolutionem a magis ſuis expoſtularet. Illis cauſſantibus, rem Dei ſolius eſſe, trucidari omnes juſſit. At vero Daniel a Deo doctus, hunc in modum regem allocutus eſt : Statuam o rex videras, mole ſua gravem terris, aſtris minantem. Caput rigens auro incumbebat pectori argenteo: æs ventrem faciebat, & femora; tibiæ ferreæ; imi pedes in lutum ferro miſtum deſinebant. Lapis vero de monte abſciſſus, ac ſponte cadens, ictis Statuæ plantis, totam in favillas disjecit, ipſeque lapillus excrevit in montem, ac demum terram omnem contexit. Notaſis ergo ô rex ſuccedentium temporum Imperia hoc viſo abumbrari. Hoc præſens, cui tu jam moderatis, caput eſt, aureum, quia ſummi ſplendoris

doris & magnificentiæ. Succedet regnum alterum minoris momenti, argenteo pectore designatum. Venter, femoraque ærea ad tertium Imperium spectant. Quartum jam erit ferreum, quod ipsum sub finem in lutum degenerabit ferro mixtum. Porro in lapide illo aliquid supremi mysterii latet; etenim *in diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur: comminuet autem & consumet omnia regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* Dan. 2. v. 44.

Q. II. *Orexin acutissimam mihi peperit hæc narratio. Sed hanc interpretationem planiorem mihi facias, velim.*

℟. Quatuor sunt Monarchiæ, quæ hactenus orbi imperarunt. 1. *Assyria.* 2. *Persica.* 3. *Græca.* 4. *Romana.* Nec addo verbum: cum in Historia profana hæc redeant. Id solum ne te lateat, lapide illo & regno æternum duraturo Christi Ecclesiam toto orbe diffusam indicari.

Q. III. *Recense ulterius, quæ de Daniele memoriæ prodita sunt.*

℟. Alterum erat Regis prodigiosum somnium Arbor comas altum surrigens, cælitus jussa succidi. Id interpretatus Daniel, Arbore præcelsa Nabuchodonosor regem ipsum notari dixit, eumque paulo post a forma humana alienum bubulam speciem induturum. Respondit eventus: rex bovem seu indutus, seu se indutum credens, ac mente captus septennio ipso abstinuit consortio humano, pabuloque ferino usus est.

Q. IV. *Quam vero sortem tres Danielis sodales nacti sunt?*

℟. *Ananias; Misaël & Azarias* commutato nomine dicti sunt a rege *Sidrach, Misach & Abdenago.* Cumque effigiem suam aspero auro fabrefactam statui, ac prone adorari jussisset rex, idque detrectassent tres

hi

hi juvenes, Dei solius honorem cordi habentes, in fornacem flammarum globos late spargentem præcipites dantur. At illos divina virtute tutos nec allambuit flamma; quin potius in suave melos vocem sustulerunt, ovantium ritu.

CAPUT XI.

Ab Solutione captivitatis Judaicæ ad usque Christi nativitatem.

Q. I. *Reditum Judæorum in terram promissam refer.*

℞. 1. Cyrus Persarum Rex occupata Babylone, & regnis late sub jugum missis Judeos dimisit: (A. M. 3422. ant. C. 538.) quod legisset, Isaiam dudum de *Cyro* Babylonem occupaturo nominatim vaticinatum fuisse.

2. E decem tamen reliquis tribubus nemo Patriam repetiit, solæ tribus Judæ ac Benjamin reduxerunt trecentos sexaginta supra quadragesies bis mille viros, cum vasis aureis, argenteisque a Nabuchodonosor olim sublatis 5409. numero.

3. Tum e ruderibus templum excitant, ac Urbis mœnia instaurantur, Zacharia & Aggæo Prophetis alas addentibus.

Q. II. *Quæ fuit Imperii facies in colonia ista postliminio reducta?*

℞. Zorobabel quidem Dux iter temperabat, ac templi ædificium. Cetera Esdras fere exegit. Hic de gente Sacerdotum, ac Scriba, seu præfectus cancellis, sacros libros injuria temporum magnam partem deperditos, memoriæ fere beneficio restituit. Literas Hebræas novas, easque quibus nunc utuntur, constituit, eo potissimum, ut Judæos a Samaritanis distingueret, pristino

 cha-

characterem genere adhuc dum gaudentes. Cæterum rei summa in Sacerdotibus summis erat.

Q. III. *Illos ordine mihi enumera Sacerdotes.*

℞. 1. *Josue* cum ipsis captivis redux.

2. *Jojackim* filius.

3. *Eliasib.*

4. *Jojadas* filius.

5. *Jonathan* filius.

6. *Jeddoa*, seu *Jaddus.* Hic Alexandro Magno Jerosolymam petenti obvius cum ostendisset, Danielem eidem Imperium vaticinatum fuisse, Judæis libertatem impetrat. (A. M. 3628. ant. C. 332.)

7. *Onias* filius. Spartanis fœdere junctus.

8. *Simon* filius.

9. *Eleazar* Simonis frater. Sub hoc Ptolomæus Philadelphus Sacra Biblia Græco Idiomate donari fecit. (A. M. 3691. ant. C. 269.)

Q. IV. *Celebre est hoc factum: tu, quam potes strictissime id mihi prode.*

℞. Ptolomæus ille Ægypti rex Bibliothecam condiderat septingentis librorum millibus instructissimam quorum quidem quadraginta postea in cineres abierunt, busto omnibus doctis cumprimis flebili. Rex itaque omnes alicujus nominis libros, nihil sumtui parcens, conquiri jubet; cum ei fama etiam de sacris Judæorum libris loquitur. Missis itaque legatis a Pontifice Eleazaro & libros illos petit, & una interpretes. Mittit ille septuaginta duos promtissimæ doctrinæ senes. Hi a rege separatis singuli domibus inclusi Græcam tamen translationem talem adornarunt, quæ omnibus plane verbis sibi respondit, divino certe miraculo. Hæc translatio Græca hodiedum dicitur *Septuaginta Interpretum*; numero rotundo.

Q. V.

Q. V. *Jam reliquos Pontificum prosequere.*

℞. 10. *Menelaus* frater Eleazari. *Manassen* alii dicunt.

11. *Onias II.*

12. *Simon II.*

13. *Onias III.*

14. *Jason* seu *Josue* ejus frater ab Antiocho Epiphane Syrorum rege Summum Pontificatum muneribus emit, Onia depulso.

15. Mox idem de Jasone tentat *Menelaus*. Quæ res in apertum bellum erupit. Occasione usus Antiochus Solymam cæpit, cæsis 80000. totidemque sub hasta venditis, quin 1800. talentis e templo sublatis. (A. M. 3792. ant. C. 168.) Paulo post sacra supellex direpta, SS. Biblia Vulcano tradita, Bacchi sacra in templo celebrata, porcusque immolatus. Eleazar Pontifex rogo datus, templum Jovi Olympio dicatum, circumcisione Judæis interdictum. Donec Mathathias senex, Sacerdos e Macchabæorum familia ad vindicanda Sacra, gentisque decorem suos populares adhortatus præsidium Antiochi cæciderit. Obiit non multo post. (A. M. 3795. ant. C. 165.)

16. *Judas Macchabæus* Mathathiæ filius ab eodem morituro bello gerendo præfectus, quater profligato Syrorum exercitu, templum gentili superstitione repurgat, (A. M. 3798. ant. C. 162.) Summusque Sacerdos salutatur. Inde rem adversus Syros strenue gerere pergit, Judæosque in Populi Romani societatem recipi curat. (A. M. 3800. ant. C. 160. Demum virorum strenuissimus adverso contra Syros prælio cadit. (A. M. 3801. ant. C. 159.)

17. *Jonathas* frater Judæ, ex insidiis occisus a Triphone regnum Syriæ usurpante.

18. *Simon* itidem frater.

19. *Joannes Hyrcanus* Simonis filius. Cum Rex Syriæ Antiochus Sedetes Solymam obsideret, Hyrcanus

canus aperto Davidis tumulo 3000. talentorum inde sustulit, parteque Antiocho data solvi obsidionem impetravit. Samariam sub jugum misit, ejusque templum ad invidiam Solymæi ducentis abhinc annis a Sanaballat exstructum diruit Principem se dixit, ac præfuit an. 31.

20. *Aristobulus I.* Hyrcani filius natu maior Sacerdos Summus, sumto diademate primus *a Captivitate* se regem salutari mandavit. (A. M. 3857. ant. C. 103.) Quo honore potitus est anno unico. Cæterum Pontifices deinceps ipsi una reges erant.

21. *Alexander Janneus* prioris frater. (A. M. 3858. ant. C. 102.) Regn. an. 27.

22. *Alexandra* Jannei vidua Hyrcano filio Pontificatum permisit, (A. M. 3885. ant. C. 75.) ipsa regni habenas arripuit, tenuitque annos 9.

23. *Hyrcanus* deinde rerum potitur. (A. M. 3894. ant. C. 66.

24. *Herodes I.* Magnus Ascalonita (A. M. 3920. ante æram vulgarem 40.) Idumæus gente occasio fuit implendi vaticinii de regno Juda, atque adventu Messiæ: quod vide supra *Cap.* 4. *Qu.* 21. Hic Machabæorum stirpem excidit. Templum Solymæum instauravit, magnoque sumptu absolvit. Denique computrescente corpore morti proximus; primores Judæorum convocatos uni loco includit, sororique Salome in mandatis dat, mox ubi extremum ipse spirasset, una omnes interimeret: caussam addidit, *ne morti suæ lacrymæ deessent.* Sic periit (A. M. 3957. post verum Christi natalem, qui incidit in annum M. 3955.) anno secundo; sed triennio ante æram vulgarem Dionysiam, quæ convenit cum anno M. 3960. ut quidem multi nunc Chronologi opinantur.

CA-

CAPUT XII.

De rebus Judæorum usque ad reipublicæ eorum occaſum.

Q. I. *Non, ſpero, dedignaberis auctarii loco, quibus paſſibus ad exitium ſuum tetenderit Judæorum reſpublica, enarrare?*

℞. 1. Herodis filii ſententia Auguſti ita hereditatem paternam diviſerunt, ut *Archelao* Judæa atque Samaria: *Herodi II.* Antipæ dicto Galilæa; *Philippo* Trachonitis Provincia cederet.

Archelaus accuſatus Tyrannidis ab Auguſto ſolum vertere juſſus (An. Chr. 14.) Viennæ in Gallia obiit. Ejusque duæ Provinciæ per Romanos Præſides adminiſtratæ.

Philippus etiam cum e vivis exceſſiſſet, Trachonitis in Provinciam Romanam redacta eſt. (A. C. 37.)

Herodes II. Antipas. (A. 27.) Philippi fratris ſui uxorem vetito conjugio duxit Herodiadem nomine. Increpatus a D. Joanne Baptiſta, eum in vincula conjecit; cumque aliquando natalem ſuum ſplendidis epulis celebraret, Herodiadi juniori filiæ in choreæ elegantius ductæ mercedem caput Joannis a cervice revulſum donavit. (A. C. 29.) Hic idem eſt Herodes, qui *Salvatorem* alba indutum veſte ludibrio expoſuit Jeroſolymis. (A. C. 33.) Demum Romanorum ſibi indignationem conſcivit, atque a Caligula Imp. in Galliam Lugdunenſem relegatus (A. C. 40.) interiit.

3. *Herodes III. Agrippa*, filius fuit Ariſtobuli, quem Pater Herodes Magnus laqueo necari fecerat. Hic in Caligulæ animum penetrans Trachonitidem, Galilæam, Judæam ac Samariam Regio nomine impetravit: Anno 44. Jacobum Apoſtolum capite trun-

cari jussit. Eodemque ipse e vivis sublatus est, cum se in aperto pegmate Deum salutari a populo passus fuisset.

4. *Agrippa II.* Trachonitidis rex. (A. C. 49.) Ad Paulum in judicio prædicantem contestatus est, non procul abesse, ut Christi fidei subscribat. Cum interim rerum summa ad Præsides Romanorum pertineret, populus jugi impatiens illi se subducere vi omni annisus est, pulso simul Agrippa. (A. C. 65.) Ea seditio ansa fuit exscindendæ totius gentis.

Q. II. *Non semel audivi insolentia signa hanc cladem Judæis portendisse.*

℞. Nempe, ut cetera silentio premam, vacca jam aris admota, & nunc securim exceptura agnum peperit. Per aëra totæ armatorum acies oberrare visæ. Noctu in templo audita vox clamantium: *Fugiamus hinc! Fugiamus hinc!* Integro ante excidium septennio vir quidam e trivio dies noctesque lugubri voce ejulavit *Væ! Væ! Væ! tibi Jerusalem!* Nec ullis etsi dirissimis modis sopiri potuit, donec in ipsa obsidione insistens vallo ac clamans: *Væ etiam & mihi!* balista trajectus animam cum voce emiserit.

Q. III. *Jam reliquum funestæ hujus catastrophes brevi filo pertexe.*

℞. 1. An. C. 67. Nero Imp. Vespasianum bello Judaico præfecit. Hic in Galilæam movet; cui præfectus erat nobilis ille Historiographus *Josephus Flavius.* Qui Jotapatam civitatem adversus 60000. Romanorum exercitum mira virtute atque astu defendit. Prodita demum a transfuga urbe cum 39. promtissimis civium in specum inaccessam se condidit. Ii deditionem sui facere jussi a Romanis, maluerunt suis invicem mucronibus cadere, missa sorte, uter alteri manus inferret? Trigesies octies aleam jecit Josephus, ac toties

ties evasit. Cum ultimo superstite rem composuit ac Romanorum se potestati permisit. Vespasiano cum Imperium vaticinatus fuisset, ab eodem in honore habitus est.

2. Anno 68. Civilibus motibus omnia susque deque Jerosolymis ibant.

3. Anno 69. Vespasianus Augustus salutatur.

4. Annus 70. Solymæ exitium attulit. Titus enim Vespasiani filius corona cinxit Urbem. Fame confecti incolæ clam campos visebant radicibus saltem sese foturi: comprehensi vero a Romanis, ac uno sæpe die 500. eorum in crucem acti e regione mœnium.

Captivorum quidam aurum deglutierat, idque suo in stercore post requirebat. Hoc conspicati milites eadem nocte 2000. Judæorum vivos secuerunt auro ab iis devorato potituri: donec Titus ea sævitia iis interdiceret.

Annona indies arctiore non solum corio, bovino stercore, aliisque indignis vesci in deliciis habuerunt obsessi; sed & mulierum aliqua non infimæ sortis suummet filiolum gulæ, ac rabidæ fami destinavit.

Ultima impressione, etsi Titus templo abstinere manus militibus præcepisset, unus tamen subjecto clam igne illud Vulcano dedit. Inde civitas in cineres abiit, soloque æquata est, ut ne vestigium superesset, præter tres turres memoriæ ergo relictas.

Toto illo tempore obsidionis undecies centena Judæorum millia desiderati sunt: Nonaginta septem millia in servitutem acti.

Q. IV. *Quo loco deinceps res Judæorum versabantur?*

℞. Prorsus iniquo. Etenim omnes in omnem terram dissipati, omnibus exosi nullo hactenus pacto collapsam rempublicam instaurare potuerunt;

 nul-

nullibi regnum, regionem, terram, aut civitatem propriam numerant, toto orbe exules.

Equidem Julianus Imperator Apostata odio Christianæ gentis, copiam Judæis fecit resuscitandi templi. [A. C. 362.] Jamque materiam omnem paraverant, cum ecce! crucis notæ eorum vestibus insederunt, nulla arte evellendæ: quin residua prioris templi fundamenta ipsimet eruerunt, nova jacturi: at quidquid interdiu operis absolvissent, noctu occulta vi ejectum est. Cum neque sic cœptis desisterent, flamma ex imo erumpens & operas, & instrumenta, unaque lapides absumsit. An. C. 363.

CAPUT XIII.

De Fructu Historiæ Sacræ Veteris.

Q. I. *Hactenus seriem sacrorum fastorum avida aure bibi. Edissere jam, quid in ea præ ceteris observandum, animoque fideli sit imprimendum?*

℟. Forent id genus pene infinita: nullum enim tot insignium gestorum, quæ per sacras præsertim literas memoriæ prodita sunt, doctrina ac mysterio vacat. At ego te ulteriore meditatione lubens absolvam, si hisce sequentibus pressiore vestigio institeris.

1. Dei *Justitiam* clamat Protoparentum e Paradiso exilium, ob esum unius pomi. Cataclysmus mortalium genus omne absorbens. Sodomorum incendium in vindictam fœdissimæ libidinis sulphureo imbre excitatum. Pharaonis ac totius Ægypti decem illæ immanes plagæ. Populi Hebræi in deserto murmurantis castigationes. Ejusdem populi in terra promissionis pedem jam figentis excidium & captivitas ob ingratitudinem potissi-

potissimum, & idololatriam. Denique totius gentis exitium ac dissipatio funestissima; quam sibimet ipsi consciverunt, cum Salvatorem crucifigi petierunt, insanis clamoribus personante foro: *Sanguis ejus sit super nos, & super filios nostros.*

2. DEI *Providentiam* videri est cum ubique, tum maxime, quando Noëmum cum suis per Arcam a diluvio immunem fecit: quando hominum linguas confudit, cum cœlo minitari tentarent altum excitata turri Babylonica: Quando Josephum, fratrum perfidia in servitutem actum, ex ipsis carceribus ad regni clavum sustulit, ut fratribus etiam terrori esset; Quando populum Israëliticum in fide veri DEI immotum ex Ægypto tot tantisque miraculis salvum perduxit in terram promissam Chanaan: Quando populum eundem omnia Dei monita, minas omnes surda aure, animoque impervio prætereuntem denique exilio, ipsoque excidio damnavit. Quibus tamen ipsis in calamitatibus nunquam defuere aut Prophetæ, aut viri sanctitatis, doctrinæque laude decori, aut Sacerdotum & Pontificum continuus ordo.

Q. II. *Religionis vero quæ fuit facies?*

℟. Semper eadem, quod quidem ad intima religionis momenta attinet: etsi aliam atque aliam exterius speciem ei induerit ipse Deus; ut nimirum hominum genus atque usus ferebant. Cape ergo. Anima religionis est Fides in Deum sempiternum, & Salvatorem. Membra velut cetera sunt quædam exteriora signa ad Dei hujus cultum, & mortalium salutem relata a Deo Religionis auctore proposita: atque hæc vulgato jam nomine *Sacramenta* vocamus.

Q. III. *Dic ergo tandem, num una fuerit ab orbe condito religio?*

℟. 1. Religio fuit *Eadem* semper ac sibi constans: quan-

ſtans: quantum ad internam fidem ſpectat. Etenim uti Adam Deum verum, & Salvatorem ſibi a Deo promiſſum Chriſtum credidit, ita in hac fide ac ſpe vixerunt ejus poſteri a Setho ad Noëmum & Abrahamum: & ex hoc denuo ad Moſen & ceteros poſt ipſum Judæos. Donec Meſſia tandem reapſe mortales inter agente hæc ſpes impleretur, eaque impleta fides multo clarior in & ab ipſomet Meſſia Chriſto monſtraretur.

2. Sacramenta autem, aut exterior cultus divini figura diſcolor extitit, & hactenus quidem triplex. *Prima* dicitur: *Lex naturæ*, qua uſi homines ab Adamo ad Abrahamum usque, aut certe usque ad Moſen. Cum præter immolationes quasdam a fideli ſuo populo ſeu Eccleſia nihil exigeret Deus, niſi ut natura duce, ac ſana ratione faciem ubique prætendente, virtutem colerent, *Altera: Lex ſcripta.* Cujus initium ab Abrahamo petitur, tum, quando circumciſio in omnes ejus poſteros ſancita. Aut a Moſe, qui leges a Deo traditas literis commendavit. Hujus Legis Sacramentorum præcipua duo fuere *Circumciſio*, & *duodecim panes propoſitionis* quot hebdomadibus in tabernaculo recentes coram Arca propoſiti. *Tertia: Lex Gratiæ:* quando ſcilicet Meſſias, ille ob cujus fidem & cultum antiquiora illa omnia patrata fuerant, ipſius advenit: tunc enimvero oportuit gratiæ omnes vias & aditus aperiri: omniaque præſtantiora evadere, qua Sacramenta, qua ritus, qua doctrinam & vitæ modum.

Q. IV. ***Poſt hanc, legem quartam nullam ſperare licet.***

℞. Nullam: cum non ſit, quod ſperetur ultra Chriſtum, in quo ſunt profecto omnia.

Q. V. ***Non ſemel audivi nominari*** **Teſtamentum vetus:** ***dic quid hoc ſibi velit?***

℞. *Teſtamentum vetus* aliud nihil eſſe ſcias, niſi illam ipſam

ipsam *Legem scriptam*, & quidquid per ejus decursum in una illa, veraque Judæorum Ecclesia contigit cum expectatione promissi Salvatoris. *Testamentum* deinde *novum* Lex est, seu doctrina aut Ecclesia a Salvatore instituta.

Q. VI. *Judæorum* Ecclesiam *dixisti; cum omnibus certum sit, Judæos a sincera religione alienos esse?*

℞. Nempe Judæos post institutum a Christo Testamentum novum: Quia hoc semel instituto, vult Deus vetus illud Testamentum abolitum esse. At ne dubites ante hujus novi Testamenti promulgationem veram Ecclesiam ac religionem penes Judæos extitisse: Quia illud Testamentum pro illo tempore a Deo erat præceptum.



LIBER



LIBER SECUNDUS HISTORIÆ SACRÆ, SEU HISTORIA ECCLESIASTICA.

A partu Virginis usque ad præſens ævi.

* *
*

Monitum Studioſo.

I. Hiſtoriam iſtam non definimus ſingulis ſeculis; quod quidem hodie fieri ſolemne eſt: at mihi plura capita ac diviſiones crearet, quam juventuti fore commodum exiſtimem. Ergo temporis tales periodos deſigno, quibus ſpeciale quidpiam in Eccleſia contigit, ac immutatum eſt. Verbi cauſſa: Prima

ma periodus ad Sylveſtrum usque Papam extenditur: per hunc enim caput e ſquallore ſuſtollere Eccleſia cœpit, gentilium ritibus palam a Conſtantino M. Cæſare damnatis, templis Deo ubique terrarum conditis &c.

2. Hæ periodi atque capita in ſuos articulos ſeu Paragraphos diſcernuntur.

Primus ſeriem Romanorum Pontificum eorumque geſta.

Alter Dilatationem Eccleſiæ in varios Epiſcopatus &c.

Tertius Perſecutiones.

Quartus Doctrinam, Diſciplinam, ritus &c.

Quintus Hæreſes, & Schiſmata.

Poſtremus Claros Pietate ac Doctrina viros exequitur.

* *Hoc ſolum animadverſo, quod in primo Capite ſuum ſibi paragraphum ſeorſim exigat Hiſtoria Evangelica, ſeu Chriſti, & deinde Apoſtolorum.*

LIBER

LIBER SECUNDUS HISTORIA ECCLESIASTICA.

CAPUT I.

Prima Periodus a Chriſti adventu ac morte, itemque a Pontificatu Petri Apoſtoli usque ad Pontificatum Sylveſtri I.

Sive

Ætas Martyrum.

Quæſt. *Cur dicitur ætas Martyrum?*

℞. Quia ad Sylveſtrum usque Papam, & Conſtantinum M. Imperatorem, aſſidua Gentilium Tyrannide exagitata eſt Eccleſia, & infinito Martyrum ſanguine tincta.

§. Se-

§. Separatus.

Hiſtoria Chriſti Salvatoris & Apoſtolorum.

Q. I. *Quæ ſunt præcipue de Salvatore noſtro animo imprimenda?*

℞. Omnia quidem ejus ſunt adamante notanda: cum vero pleraque ſint decantata, nec vel parvulis ea ignorare liceat, ea modo afferam, in quibus cardo totius rei vertitur, & quæ nonnullis ſunt ignotiora.

1. Antequam triginta tres natus annos eſſet, publico fere abſtinuit: trigeſimum quartum cum ageret, tum prodiit qua doctrina; qua miris mortales ad ſe pellecturus, ac cetera, quorum cauſſa mundum ſubierat, acturus. Ante omnia vero a Joanne, ad Jordanem tunc auſteram vitam agente, ac plebem ad pœnitendum de peccatis hortante, baptizari & ipſe voluit. (Ær. Ch. an. 29.) In quem procul adhuc agentem digitum intendit Joannes, cum dicto: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Dum vero flumine mergeretur JESUS, Divinus Spiritus columbæ ſchemate ejus vertici imminuit, ac recedentibus cælis vox inſonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Q. II. *Quid hic myſterii ſubeſt?*

℞. 1. Tres Deitatis perſonæ hac ratione ſunt proditæ: Filius baptizatus, Spiritus Sanctus deſcendens, Pater loquens.

2. Præterea exemplum Baptiſmi Chriſtus dedit, unaque materiam deſignavit, *aquam* nempe: nam verborum formulam tum primum docuit, cum a reſurrectione ſua Apoſtolos in omnem terram deſtinaret cum mandato, ut docerent homines, *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.*

Q. III. *Perge cetera.*

℟. 2. Discipulos legit duodecim, omniumque *primum Petrum.* His cum velut nunciis uteretur, dicti sunt græco verbo *Apostoli*, sive *missi*.

Q. IV. *Cum ex omni turba hos unos traxerit, nullus ambigo, quin aliquid longe præstantius eos voluerit.*

℟. Sane: Nam relictis patriis laribus, bonisque fere nudis, ut se sequerentur, suasit: nullaque rerum caducarum sollicitudine agi, nullo amore præcepit. A nuptiis vero, omnique carnis illecebra voluit esse alienissimos. Ac demum, constituto in eis regimine, alterum alterius dicto audientem esse, alterumque alteri servire eos docuit.

Q. V. *Quid sibi volunt ista?*

℟. Sunt ipsissima illa tria capita, quibus imitari Apostolos conantur Religiosi quique. *Paupertas* nempe, *Castitas*, & *Obedientia.* Atque hæc quidem alias dici amant *Consilia Evangelica*, quod Salvator ea non in vulgus præceperit, sed consuluerit tantum iis, qui ejus vellent esse Apostoli, ac in familiaritatem ejus intimius penetrare.

Q. VI. *Quid deinceps?*

℟. 3. Plurimis jam in suas partes contractis, mori denique nostræ salutis ergo petiit (anno Æræ vulgaris 33. *ætatis suæ* 37. *ut nonnulli Chronologi tradunt.*) Qua de morte non est, quod verba faciam: sed de Cœna illa mortem præcedente, cui Apostolos suos adhibuit. Pane enim sumto conceptis verbis testatus est, id suum esse *Corpus*: Idemque de vino faciens, *sanguinem* suum dixit. Nec satis: Idem ut etiam deinceps Apostoli ipsi actitarent, in mandatis dedit.

Q. VII. *Sed quid ista portendunt?*

℟. Bina Ecclesiæ suæ Sacramenta hoc facto Christus dedit. *Eucharistiæ*; Unaque *Sacerdotii*: data nempe Apostolis potestate Eucharistiam, seu Corpus Christi

conse-

consecrandi ex pane & vino: quibus ipsis Apostolis, paulo post Anastasim suam, copiam dimittendi peccata fecit, Sacramentum *Pœnitentiæ* & sacrum confessionis tribunal instituens.

Q. VIII. *Novi jam universa Sacramenta numero 7. a Christo originem trahere, si addideris etiam* Unctionem *extremam &* Confir*mationem, quorum hactenus nullam mentionem injecisti.*

℞. Dubio vacat, quin & illa Christus discipulos docuerit. Nam Jacobus Apostolus sua in Epistola præcipit, ut ad ægrum vocentur Presbyteri, eum uncturi. Quod, nisi a Salvatore accepissent, nunquam ausi fuissent Apostoli, Domini sui institutorum tenacissimi. Ejusdem opinionis te esse de Confirmatione volo: qua sane Apostoli donare consueverunt recens baptizatos, manibus eorum vertici impositis. Quæ caussa fuit, ut id Sacramentum vulgo diceretur *Manuum impositio*. Nec id mysterio, aut numine divino vacasse credas: etenim haud raro sic confirmatis divinum Pnevma illapsum est ita, ut sub omnium oculos caderet: ea efficacia, ut repente peregrinis linguis uterentur, aut animo præsentarent futura, aut alia quævis mira patrarent,

Q. IX. *Qui fuere Apostoli?*

℞. Piscatores plerique, aut certe homines amusi. Idque divino consilio, ne dicerentur doctrinæ suæ vi mundum in suam sententiam adduxisse, & ad Fidem Christi traxisse.

Q. X. *Quot illorum erant?*

℞. Duodecim. At Judas dictus Iscariotes, Domino suo fidem fefellit, eumque prodidit. Quare cum laqueo sibi gulam ipse fregisset, Episcopatum ejus seu Apostolatum Petrus, reliquis assentientibus, in Mathiam contulit. Huic duodenario accessit post Saulus, quem ad tor-

 quen-

quendos Christianos accinctum Christus e cælo spectabilis in meliorem sententiam traduxit (An. Ch. 36.) *Paulum* eum, ac suum deinceps Apostolum dicens. Demum etiam Barnabas est accensus reliquo Apostolorum Choro.

§. I.
Romani Pontifices a Petro Ap. ad Sylvestrum I. an. 314.

Q. I. *Quare a Romanis Pontificibus normam historiæ, ac modum capis? cur non potius ab Antiochenis, aliisve?*

℟. Cum sit lippis & tonsoribus notum, hos ceterorum principes esse; successores nempe Petri, quem Salvator ipse *petram* illam esse pronunciavit, super quam Ecclesia constituenda sit, adeo, ut nec *portæ inferi* adversus eam valituræ unquam sint.

Q. II. *Sed illud de Petro Christus dixerat, non de futuris Romæ Pontificibus?*

R. Christus enim non ad aliquot annos Ecclesiam instituit, sed perpetuam: atque adeo non uni modo personæ Petri principem hanc potestatem conciliavit, sed omnibus eum jure ac legitime deinceps excipientibus. Aut profecto si alterius cujus demum provinciæ Pontifices principatum hunc sibi asserere optent, necesse est, ut instrumenta & sigilla proferant, quibus demonstrent, se a Salvatore constitutos esse in vertice summo totius Ecclesiæ.

Q. III. *Sed quæso, priusquam promoveas pedem, dic, quare non* Papas *eos indigites?*

R. *Papæ* nomen *Patrem* sonat, ut sane frustra illud in Catholicorum dedecus vertere nitantur insipientes hujus

hujus tempestatis hæretici: neque ego id nominis dissimulavi, quod minus decere Pontificem suspicarer: sed quod prima illa ætate Ecclesiæ omnes Episcopi Papæ dicti sint. Donec succedentibus seculis Romanus Pontifex *Papa Apostolicus* passim diceretur. At denique majore in hanc Sedem reverentia ducti ceteri Episcopi Titulo hoc cesserunt.

Q. IV. *Jam ad enumerandos Pontifices summos accede.*

℞. 1. Primum ergo Ecclesiæ clavum *Petrus* tenuit. Hic primo quidem Antiochiæ in Syria pedum fixerat, cum id exigerent negocia Ecclesiæ Asiaticæ seu Orientalis: post vero ubi Romæ Christianæ fidei amplior locus datus est, ibidem Summi Pontificatus fundamenta jecit. (A. C. 54.) Simonem magum devicit: de quo vide §. 5. Sub Nerone Imp. in crucem actus est, inverso tamen corpore: idque eodem, quo S. Paulus, die (An. Ch. 65.)

2. S. *Linus*, patria Volaterranus, Martyrii palmam cepit (An. Ch. 67.)

3. S. *Clemens I.* Romanus. Martyr. (An. 76.)

4. S. *Cletus*, Romanus. Martyr. (An. 83.)

5. S. *Anacletus*, Atheniensis. (An. 95.)

6. S. *Evaristus*, Græcus, Martyr. (An. 108.)

Hic antiquis Ecclesiarum *Titulis* novos addidit, crescente fidelium copia.

Q. V. *Quid est* Titulus?

℞. Domus, vel locus, ad agendos conventus Christianorum destinata. Harum enim foribus præpendebatur cortina, vel tabula, imaginem, aut alias notas præferens, ut eas domos quivis Christiani agnoscerent. Hos itaque titulos divisit septem Diaconis, plebis curam per suas Diaconias habituris. Atque hæc ipsa origo est

Cardinalium Ecclesiæ, qui istis titulis hodieque præficiuntur.

7. S. *Alexander I.* Romanus M. (A. 116.)

8. S. *Sixtus I.* Romanus M. (A. 126.)

9. S. *Thelesphorus*, Græcus, Martyr. (A. 137.) Hic præcepit Missam solemnem fieri media nocte Natalitia Domini.

10. S. *Higinus*, Græcus M. (A. 141.)

11. S. *Pius I.* Aquilegiensis, M. Traditum erat ab Apostolis, Pascha celebrandum esse die Dominico. Id cum nonnulli insuper haberent, Pius præcepto illud sanxit. (An. 151.)

12. S. *Anicetus*, Syrus M. Sub hoc increbuit lis cum Orientalibus de Paschate celebrando (An. 161.)

13. S. *Soter*, Campanus, M. (A. 170.)

14. S. *Eleutherus*, Græcus. Primus Pontificum naturali morte defunctus. Ab hoc Lucius postremus Britanniæ regum Fidei elementa, ac Christiana Sacra petiit & impetravit (An. 585.)

15. S. *Victor I.* Afer, Orientales Pascha secus atque imperatum fuerat a Pio I. agentes sacris interdixit. Quod illi indigne ferentes semina conceperunt Schismatis, diu licet post erumpentis. Martyrio coronatus est *Victor* sub Antonino Severo Imper. [An. 197.]

16. S. *Zephirinus*, Roman. [An. 217.]

17. S. *Calixtus I.* Romanus. Martyrio immolatus sub Alexandro Severo Imp. illatusque cæmeterio, ejus nomen hodie gerenti [An. 222.]

18. S. *Urbanus I.* Martyr. [An. 230.]

19. S. *Pontianus*, Romanus Martyr persecutione Maximini [An. 235.]

20. S. *Antherus*, Græcus M. [An. 236.]

21. S. *Fabianus*, Romanus, cujus vertici columba imminuit, cum de subrogando summo Papa ageretur. Martyr, persecutione Decii [An. 250.]

Hic

Hic iterum Ecclesiarum curam in septem Diaconos distribuit.

† Hoc anno 251. Roma Pontifice orba fuit: Clero Romano interim omnia exterarum Ecclesiarum negocia temperante.

22. S. *Cornelius*, Romanus, a Gallo & Volusiano Impp. relegatus Centumcellas, damnatusque ad operas portus ibidem construendi, cum uxorem custodis sui paralysi liberasset, milites complures eo miraculo ad Fidem adegit, cum quibus & capite truncatus est (A. 252.)

23. S. *Lucius I.* Romanus M. septem modo menses Pontifex sedit (An. 253.)

24. S. *Stephanus I.* Romanus. Hic cum duceretur, Martis fanum oratione profligavit. Fugientibus militibus in Cæmeterio Lucillæ Sacris operatus est, atque a supervenientibus capite multatus. (A. 257.)

25. S. *Sixtus II.* Græcus M. (An. 258.)

† Vacat sedes Romana anno uno. (An. 259.)

26. S. *Dionysius*, Græcus Monachus. Vixit in pace (An. 269.)

27. S. *Felix I.* Romanus Mart. (An. 274.)

28. *Eutichianus*, Tuscus, patria Lunensis. (A. 283.)

29. S. *Cajus*, Dalmata, Diocletiano Imp. sanguine junctus: Martyr. (An. 296.)

30. S. *Marcellinus*, Romanus. Hunc Donatistæ hæretici finxerunt tormentis imparem idolis adolevisse, sed facti pœnitentia ductum concilio episcoporum se stitisse judicandum. Sed hac eum calumnia absolvit S. Augustinus testis omni exceptione major, ac temporum illorum vicinus. Ut adeo Romanis Pontificibus nunquam Fides sancta defecerit. *Vid. Baronium* ad annum 302. num. 90. &c. Martyrio vitam consecravit S. Marcellinus. (An. 304.)

† Sedes Pontifice destituta mansit annos 3. (An. 307.)

31. S. *Marcellus* I. Romanus. (A. 310.)
32. S. *Eusebius*, Græcus. (A. 310.)
33. S. *Miltiades*, seu *Melchiades* Afer. Damnavit Donatistas hæreticos in Concilio Romano. (A. 313.) Unde hi concepto odio commenti sunt, eam, & Marcellum atque Marcellinum PP. idolis litasse.

§. II.
Dilatatio Ecclesiæ.

Q. I. *Dixeras Apostolos terrarum orbem subegisse Fidei Christianæ : jam, qui res ista deinceps successerit, ne tace.*

℞. Equidem Apostolis Martyrio sublatis ethnici ad ingenium frequenter redierunt : cum quod deessent sacerdotes, tum quod voluptatibus carere diutius nescirent. Nihilominus per omnem late Asiam, Africam, atque Europam ingens populus in officio ac fide retentus est, habenas moderantibus tribus præcipuis Episcopis *Romano* in Europa, & universim in tota Ecclesia: *Antiocheno* in Asia : *Alexandrino* in Africa : Antiochenus deinceps distinctus est in Constantinopolitanum etiam, & Hierosolymitanum. (An. 381.) Synodo Generali Constantinopol.

§. III.
De Persecutionibus.

Q. I. *Unde tot tantæqui in Christianos persecutiones.*

℞. I. Judæi omnibus exosa gens erat. At initio Christiani pro Judæis habiti sunt; quia e Judæis erant tum Salvator ipse, tum Apostoli, primique Christiani.

2. Cum

2. Cum paulatim ascenderet ac passim Christianorum numerus, nemo fere erat, qui Idolorum sacra frequentaret. Id indignius ferebant gentiles Principes atque populus; calcar furori addente dæmone.

Q. II. *Immania sæpe, & quæ fidem pene superent, audivi de Martyrum suppliciis.*

℞. Imo omnibus illis superior fuit Martyrum Fides. Dies me deficiat omnia persequentem; paucissima dabo.

1. Scorpionibus cæsi sunt: id est carnes eorum uncis frustillatim decerptæ.

2. Cæsi quoque plumbatis: loris nempe, quibus extrema parte plumbeus globus annexus erat, eousque mactati, dum eos vita deficeret.

3. Ocreis clavatis induti ac currere sine interquiete jussi.

4. Manuum pedumque ungues violenter eruti; aut subulis arundinibusque suffossi.

5. Effracti illis dentes, oraque lapidibus contusa.

6. Pice oleoque ferventi perfusi.

7. Pix liquens infusa faucibus.

8. Ligneis palis confossi, pice, sevoque circumliti, itaque de vertice accensi, ut pro facibus servirent ad spectacula nocturna.

9. Assati in craticula.

10. Excoriati, saleque conditi.

11. Dissecto ventre intestina trochis extracta.

12. Binas intra tabulas compressi, itaque serris divisi.

13. Vivi denique defossi.

Nihil adhuc dixi de taureis, de catastis, de rogis, de Crucibus, de Phalaridis tauris, de Leonibus, sexcentisque aliis.

Q. III. *Quid demum evicit Tyrannis.*

℞. Hoc nempe, ut in immensum augeretur Christianorum genus, cum ante rari per provincias

essent. Nam Constantia Martyrum argumento fuit fidei veræ, inque sui stuporem amoremque egit Ethnicos cordatiores ; cum utraque manu palparent, divinam aliquam subesse vim, quæ etiam feminas atque pueros immanibus tormentis pares efficeret.

Q. IV. *Jam ne taceas, quoties, quibusve temporibus furor iste persecutorum incaluerit?*

℞. *I. Persecutio.* Nero, qui populo Romano cervicem *unam* optabat, quo eam posset uno securis ictu demetere. Urbi clam submitti ignem mandaverat: ipseque flammam novendio fœde grassantem velut ovans spectabat. (A. C. 64.) Omnibus tyrannum in suspicionem adducentibus, ipse invidiam declinaturus subornavit, qui Christianos excitati incendii insimularent, gentem nimirum alias Romanis invisam ; eoque & aliis nominibus gravissime in eos animadverti jussit.

II. Persecutio, a Domitiano Cæsare humani generis hoste impetrata Anno Chr. 93. alii volunt an. 84.

III. Persecutio, Trajani Imperatoris, a qua eum Plinius nonnihil dehortatus est. (A. 112.)

IV. Persec. Hadriani Imp. (A. 135.)

V. Persec. Antonini Philosophi. Imp. (A. C. 167.)

VI. Persec. Severi Imp. (An. 201.)

VII. Persecut. Maximini Imp. (A. 235.)

VIII. Persecut. A morte Maximini quieti restituti Christiani nonnihil a pristino fervore remiserunt. Inde providentissimum Numen acrem iis stimulum adhibuit per tyrannum Decium Imp. [A. C. 249.] At multi pacis tempore effeminati bonorum ac prædiorum suorum amore fidei renuntiarunt.

Id temporis Septem fratres sanguine clari tormentorum metu in proximam specum sese abdiderunt. Illic sopore mersi delituerunt usque ad Theodosii

Junio-

Junioris tempora annis fere ducentis. Quo tempore prodeuntes in publicum universos in stuporem egerunt, ac sanctissimis fatis demum concesserunt. Dicti ab hoc eventu *septem Dormientes*.

IX. Persecutio. Valeriani Imp. [A. C. 275.]

X. Persecutio. Acerbissima Diocletiani Imp. [A. 302.] nullo non furoris genere Christianos calcavit in annum secundum [A. 305.] Abdicato deinde Imperio Diocletianus privatus egit. Constantius vero Chlorus, & Galerius Maximianus Augusti tyrannidem executi sunt in annum [Ch. 312.]

§. IV.

Doctrina, mores, ritus, seu Disciplina hujus ætatis.

Q. I. *Ut quid de Doctrina Ecclesiæ primævа sigillatim me admones?*

℟. Quia nostri ævi hæretici jactant, puram Ecclesiæ Doctrinam successu temporis esse adulteratam: eamque a Luthero demum integritati suæ esse restitutam. Quare, ut eos noveris mentiri, caput id esse debet in historia Ecclesiastica.

Q. II. *Nihil ergo hactenus mutatum ais?*

℟. Nihil, quod quidem ad fidei doctrinam a Salvatore præceptam attinet. At non pauca mutationem subiere ex illis, quæ ad ritus tantum, & externam disciplinam spectant.

Q. III. *Cedo mihi exemplum hujus rei.*

℟. Prisco illo ævo solemne fuit plerisque locis, accedentes ad S. Synaxin non hostiam modo, seu panis spe-

species; sed Calicem quoque, seu species vini sumere. Quod deinde abrogatum est: cum sane ad Fidei integritatem nihil pertineat, neque sumentibus quidquam gratiæ deficiat; cum sub sola hostia Christum, quantus quantus est, percipiant.

Q. IV. *Eccur vero ritus alii atque alii obtinent?*

℞. 1. Ritus ac disciplina ad hominum ingenium debent esse facti. Cum ergo mortalium genus certis ætatibus certas etiam vices patiatur, pronum est, ut diversis etiam ritibus atque moribus ad pietatem ducatur.

2. Prima Ecclesia maximam partem Judæis constitit. Hi non uno ictu deduci a suis ritibus poterant: itaque multa salubri consilio, ac connivente oculo primum sunt permissa, post vero sublata. Ita illis initio non mox interdicta circumcisio; modo ne eam tanquam sacramentum novæ Ecclesiæ usurparent &c.

3. Cum subnascentes paulatim Hæreses dogmata a veritate abhorrentia spargerent, Ecclesiæ data est ansa contraria dogmata aperte evulgandi; de quibus ante non fuerat admodum sollicita.

4. Adde, quod in nonnullis, ut fieri amat, abusus irrepserunt, tollendi adeo per Ecclesiam. Sic in sumtione calicis effusiones, aliaque nonnunquam acciderunt, quæ minus e dignitate tanti Mysterii erant.

Q. V. *Quinam fuit Ecclesiæ exterior status id temporis?*

℞. 1. Bona ac ditiones Ecclesiæ initio nullæ esse poterant, ob persecutiones. Sed ditiores Christiani frequentes Eleemosynas ad Episcopum detulerunt; imo alii Deo se totos consecraturi, neque pauci illi, omnes facultates suas ad Pontificum pedes abjecerunt. Hi dein-

deinde subrogatis sibi Presbyteris, maxime vero Diaconis, Subdiaconis, & viduis ita totius Ecclesiæ necessitatibus moderabantur, ut unius familiæ. Victitabant e bonis in medium collatis, uti nunc in claustris Religiosi. Eratque universæ multitudinis *cor unum, & anima una.*

Post etiam immobilia bona ac fundi adjecti sunt. *Vide Baronium ad annum* 57. *num.* 82. &c. Ac præsertim Romana Ecclesia reliquis ditior atque potentior evasit. *Vid. Baronium ad annum* 175. *num.* 8. &c.

2. Officia potissima ac dignitas in Ecclesia Romana fuere illorum Presbyterorum, ac Diaconorum, quibus *Tituli* certi seu regiones ab Evaristo Papa, & Fabiano consignati sunt. Qui deinceps *Cardinales* sunt dicti.

3. Clericorum habitus initio a ceterorum amictu parum aut nihil distinctus. Ceterum plerique omnes Christiani nigro utebantur. Sub annum vero Christi 58. comam radere cœperunt Clerici, cum reliqui eam promitterent.

4. Officia divina, Sermones exhortatorios, sacramque Synaxin agebant in domibus, quas Episcopi designâssent. Persecutionis vero tempore in cemeteriis martyrum. Erant illa subterraneæ cryptæ amplissimæ, multis fornicibus distinctæ, ac civitatis cujusdam speciem præferentes. Quales vel hodie Romæ cernere est.

Q. VI. *Fueruntne iis sui etiam dies festi?*

℞. Ne dubita. Dominicus quidem dies status erat. Cumque jam plurimorum Martyrum sanguine maderent omnia, ipsorum etiam memorias festivas habere cœperunt, tertio præcipue seculo, seu post annum Christi 200. defervescentibus primis persecutionibus.

Q. VII. *Quo plausu peracta hæc festa?*

℞. Re

℟. Re Divina locis suis peracta, ac maxime horis, quas vocant, canonicis decantatis. Etenim noctu atque interdiu convenientes non soli sacerdotes, sed omnes devoti Christiani Hymnos decantarunt & Psalmos, ter noctu, semel mane, ac dein per diem, eo ritu, quo jam Monachi, atque Canonici in Choro psallunt.

Q. VIII. *Etiamne imagines cultu prosequebantur?*

℟. In omnibus locis, quibus conventus agebant, certa colebatur Crucis imago: eademque etiam alibi passim, ac ubique vere visebatur. At aliæ imagines raræ erant, ea de caussa, quod satis multi hæretici atque magi errores suos, atque præstigias per nonnullas icunculas Angelorum, atque ipsius Salvatoris exercerent: id quod Christianos cautos imaginum fecit. Præterquam quod idolorum cultus adhuc dum passim receptus non permiserit Christianis sacras icones habere celebres, ne viderentur imprudentibus cum ipsis idololatris facere.

Q. IX. *Cœpisti nuper de Paschatis festo; nunc quæso, planius mihi rem totam expedi?*

℟. Apostoli, ac præcipue D. Petrus docuerant suos, uti pascha celebrarent non luna 14. mensis Martii &c. quemadmodum Judæi lege veteris Testamenti, sed die Dominico proxime illam lunam 14. tam sequente. Idque ideo, quia Salvator tali die, nempe die Solis, post Pascha Judæorum, gloriosa Anastasi mortem triumphavit. Isque mos in Ecclesia Romana solemnis semper fuit.

At in Oriente, ubi plures erant Judæorum, alii Apostoli ad continendos in officio Judæos, permiserunt Christianis Pascha eodem die cum Judæis celebrare.

Pius vero I. PP. sub annum Christi 142. salubrem D. Petri doctrinam præcepit per totam late Ecclesiam exten-

extendi. Asiatici tergiversari, S. Polycarpus discipulus S. Joannis Romam tendere ad Anicetum Pii Successorem, rei componendæ ergo [A. 162.] At rediit re infecta, hactenus tamen, ut mutua utrique amicitia sarta tectaque constiterit.

Victor I. Orientales diutius jam, quam par erat refragantes Sacris interdicit in Concilio a se Romæ celebrato, utut S. Iræneus Lugdunensis in Gallia Episcopus Pontifici suaserit mitiora. [A. 193.] Res ad intestinas turbas spectare videbatur; nisi paulatim fuisset sopita: Orientalibus tamen sua sententia stantibus, semina hæc esse putantur Græci illius Schismatis, de quo alio loco redibit sermo.

Plurimi sane ex Orientalibus Episcopis Romanæ Ecclesiæ victas manus dederunt: ceteri pertinaces hæresis damnati sunt, dictique vulgo *Quartadecimani*: qui post Concilium Nicænum fere sunt extincti.

Q. X. *Nihil habes de SS. Eucharistia, quod me moneas?*

℟. Sane habeo. Nam 1. Ne mireris, si haut adeo frequens fiat mentio hujus mysterii in Antiquiorum scriptis. Etenim cum hoc arcanum sit tironibus, aliisque necdum Christiana doctrina imbutis captu difficilius, caute id exposuere primi sancti Patres. Profecto S. Augustinus & S. Chrysostomus in publicis ad Populum sermonibus aperte cavent, ne sibi quidpiam de sacra Eucharistia excideret. Quæ ipsa caussa fuit, quod Catechumeni perlecto Evangelio a Missa abesse jussi fuerint. Atque hæc est, quæ a Scriptoribus vocatur *Disciplina Secreti.*

2. Sacro hoc epulo pascebantur Christiani fere quot diebus; cum pietatis ergo, tum ut semper essent parati martyrio. Eadem de caussa multis concessum fuit sacram Eucharistiam domi suæ servare.

Q. XI.

Q. XI. *At quid de Pœnitentia?*

℞. Præter occultam, & auricularem, quam vocant, publicam etiam, eamque multo rigidissimam noxarum expiationem subire mos atque lex erat. Quatuor sic pœnitentium ordines numero.

1. *Flentium*, quos oportebat præ foribus Ecclesiæ indutos saccis humi jacere, pedibusque transeuntium esse obnoxios, ceterum ingressu Ecclesiæ plane abstinere.

2. & 3. *Audientium* & *Prostratorum*, qui admissi in Ecclesiam finito tamen Evangelio cum Catechuminis foras expellebantur.

4. *Consistentium*, quibus licebat sacris ex integro interesse, a sacro tamen convivio penitus abstinere necesse erat.

Atque non erat modici temporis hæc pœna, sed septem, decem, imo quindecim ipsos annos toleranda pro crimine, exempli caussa, furti, homicidii, aut alius.

Q. XII. *Quid de Baptismo?*

℞. In more repositum erat nondum infantes baptizare, nisi morbo, aut fato urgente; alias vero, dum adolescerent, expectabatur. At cum hæretici, interque eos Pelagiani contenderent, Baptismum parvulis non esse necessarium; ut mendacium opprimeret Ecclesia, cæpit paullatim omnes parvulos sacro fonti admovere, nec amplius adultiorem expectare ætatem.

Nomina in Baptismo hauriebantur plerumque parentum. At seculo quinto, seu sub annum Christi 400. jam passim obtinuit sanctorum Martyrum nomina adscisci; eo certe nomine S. Chrysostomus in parentum quosdam invehitur, qui malebant gentilium nomina, Hectoris, Æneæ, &c. quam Apostolorum & Martyrum. Germanis tamen nostris id serius in usu fuit nempe sub annum primum 1400.

Q. XIII. *Nihil ais de Jejunio?*

℞. 1. Quarta & ſexta feria, id eſt die Mercurii atque Veneris jejunia agi, inde ab Apoſtolis traditum eſt. Romana vero Eccleſia ſemper etiam Sabbathum adjunxit.

2. Quatuor temporum jejunium ſolemne fecit S. Calixtus Papa ſub An. C. 218.

3. Quadraginta dierum jejunio Salvatorem ipſum imitari, primis Chriſtianis antiquiſſimum fuit, quod ſponte ſua religioſiſſime ſervabant univerſi. At tepeſcente poſt multorum fervore, ne res ſalubris, atque á Chriſto & Apoſtolis tradita daretur oblivioni, S. Teleſphorus P. Quadrageſimam publica lege ſancivit.

§. V.

Hæreſes illa ætate ſubnatæ.

Q. I. *Quid ſit hæreſis, craſſiore ſaltem Minerva mihi adumbra.*

℞. Eſt opinio, ſeu dogma erroneum, & aliquem fidei articulum in Eccleſia Catholica receptum impugnans, quod dogma qui tenet, aut ſpargit, illud *pertinaciter* contra Eccleſiæ Catholicæ authoritatem tuetur?

Q. II. *Qui potuere falſæ ejusmodi ac pertinaces opiniones illa ſimplici ætate pullulare?*

℞. 1. Noſti, neminem phreneticum ſomniare quidquam tam nefandum, quod gentiles de ſuis diis non fingerent, aut certe etiam plenis buccis creparent. Itaque audiendis rebus abſurdiſſimis a puero innutriti gentiles non pauci, faciles erroribus aures accommodarunt, etiam tum, cum jam Chriſtianis ſacris nomen ſuum dediſſent: hi maxime, qui aut minus ſerio fidei negocium agebant,

bant, aut vitiis nimium assueti erant; aut certe albæ mentis homines.

2. Alii Christiani meliore zelo acti, sed impari doctrinâ, gentilibus Philosophis Religionem Christianam impugnantibus obviam ituri, cum se eorum sophismatis expedire haut valerent, inciderunt in absonas explicationes, & figmenta: quæ semel prodita revocare, superbia vetante, nolentes, pertinaci errore iisdem inhæserunt: quæ res in hæresin abiit.

3. Cum adhuc in vivis agerent Apostoli, rari extiterunt hæretici, cum vererentur a vivis illis testibus nimis quam aperte in ruborem dari, atque convinci. A morte vero illorum nudo, ut ajunt, vertice veritati sese opponere ausi sunt aliquam multi.

4. Philosophi non pauci (quæ gens erat Sectæ suæ tenacissima, & Sophismatum studiosa) etiam Christicolis jamjam adnumerati, scita sua invehere adnisi sunt, eaque cum Christianis regulis conciliare. Infeliciter plerisque cessit negocium, ac spurius inde partus prodiit. Quod peccatum præ reliquis peccarunt Stoici ac Platonici. At non Peripatetici, id temporis admodum ignoti.

5. Cum adhuc passim gentilis superstitio obtineret, factum est, ut minus nonnulli caperent Apostolorum doctrinam.

6. Superbi quidam homines cum vel honorum, ad quos aspirârunt, repulsam essent passi; aut Aristarchi; aut qui sibi sapere videbantur, & quibus alii videbantur cæcut re, pestem hæreseos efflârunt.

7. Denique, quod S. Hieronymus plurimis exemplis probat, nulla fuit hæresis sine femina adjutrice.

Q. III. *Quosnam hæreticos evomuit orcus primo Ecclesiæ seculo?*

℟. Agmen duxit *Simon Magus* gente Samaritanus: hic

hic a Philippo Diacono ſalutaribus undis tinctus, cum videret Spiritum ſanctum deſcendere ſuper Chriſtianos illos, quibus manus impoſuiſſet S. Petrus, eosdemque omne genus mira patrare, dato argento eandem poteſtatem a D. Petro licitari voluit; a quo tamen præter maledictum nil aliud tulit. Atque hæc eſt hæreſis, quam hodie dicunt *Simoniam*, quæ ſacra venalia habet. Inde Simon a Fide palam deſciſcere, præſtigiis ſibi nomen conciliare; ipſosque Romanos ſibi devincire, adeo, ut ſtatuam eidem velut *Deo* locarent. Cumque Nero Imp. in deliciis haberet magos, Simon quoque ceteris verſutior in ejus familiaritatem penetravit, eidemque raptum Medeæ ſagæ in ſcena exhibere geſtienti volaturum ſe per aëra, Cæſaremque voti damnaturum adpromiſit. At Divus Petrus Apoſtolus fuſis ad DEUM precibus dæmonum vires fregit, & Simon Magus ex alto præceps impiam animam ſub orcum egit. (A. C. 65.)

Q. IV. *Dic hæreſes ſecundi ſeculi.*

℟. Sublatis e vivorum numero SS. Apoſtolis audacior ſtyx ſuos Apoſtolos hæreticos magno numero emiſit, principes erant *Gnoſtici*, indeque *Valentiniani*.

Q. V. *Quænam fuere horum dogmata?*

℟. Nolim mireris, ſi & hæc & ceterorum deinceps hæreticorum ſomnia ſilentio premam: ſunt enim eousque putida, ut animus qui vel micam ſalis ſapit, non poſſit non refugere. Audi vel unum: ſed riſum an bilem teneas magis, ignoro. Gnoſtici deorum populum finxere omni pene numero ſuperiorem, quorum alii alios edidiſſent, eorumque poſtremus mundum fabricatus eſſet &c. Ut taceam libidines, iidem puſionem recens natum in mortario contundere, eoque aromatibus condito (pro ſcelus!) Euchariſtiæ loco veſci ſolitabant. MARIAM DEI genitricem habebant contemtui. Ut

 videas,

videas, quosnam viros imitandos sibi sumserint nostræ tempestatis Hæretici Lutherani, aliique: & quam pie se jactent integritatem primævæ Ecclesiæ conservare.

Q. VI. *Etiam tertium sæculum vidit suas hæreses?*

℞. Quam maxime. Præter enim *Novatiani* errores, illius qui Schisma in S. Cornelium Papam concitaverat, *Anabaptistarum* Secta altas radices egit, proscripta a S. Stephano Papa. Contendebant, omnes, qui ab hæresi aliqua ad Ecclesiam Catholicam reverterentur, iterum esse baptizandos, etsi legitimo baptismo jam ante fuissent abluti. Fuerunt, qui hujus Sectæ erant primo Catholici, & ejusmodi quidem, qui Catholicam Ecclesiam sanctiorem fore existimabant, si ad eam reversi hæretici denuo sacro latice expiarentur; at dum inconsulto, & contra Apostolorum traditionem, contraque Pontificis sententiam pii esse *pertinaciter* nituntur, evadunt hæretici.

Q. VII. *Quibus argumentis in hæreticos usi sunt SS. Patres?*

℞. Non alio frequentius atque efficacius, quam hoc: Provocabant ad Ecclesias ab Apostolis institutas, & quibus Apostoli, aut eorum discipuli præfuerunt; maxime ad *Ecclesiam* D. Petri Apostolorum Principis *Romanam*: Has ajebant germanam fidei doctrinam, ac religionis Christianæ disciplinam accepisse ab iisdem Apostolis, qui eam hausere ab ipsomet Salvatore: Quisquis ergo doctrinam afferret diversam, a doctrina & disciplina Apostolicarum illarum Ecclesiarum, cumprimis *Romanæ*, hunc errare asseverabant, hujus doctrinam spuriam detestabantur.

§. VI.
De Viris illustribus ejus ævi.

Q. I. *Non id te volo, ut omnium illorum magni nominis virorum gesta evolvas: intelligo enim nimii id operis fore, sed paucos selige, quos mihi non ignotos esse velles; ac primum quidem* e primo *Ecclesiæ* seculo?

℞. *Dionysius Areopagita,* Athenis oriundus, cum Heliopoli forte degeret, solemque præter naturæ leges deficere cerneret ad comitem exclamavit: *Aut DEUS naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur!* Fuit ea ipsissima Eclypsis, quæ Salvatore in cruce animam agente contigit. Post Athenas venerat Paulus Apost. urbeque lustrata, offenderat in aram *Ignoto DEO* jam olim ab Atheniensibus dicatam. Mox in Areopagum penetravit (is est illius civitatis Senatus, ad quam rerum summa pertinebat) ignotum illum DEUM *Christum* esse prodidit, Fideique Christianæ rationem ea vi reddidit, ut hunc Dionysium cum aliis Senatus illius Patribus faciles sibi dexteras Christoque nomen dare coëgerit. (A. C. 52.) Dionysius constitutus primum Athenarum Episcopus, mox in Gallias missus Parisiorum Episcopatum instituit. Sub Trajano vero Cæsare annosissimus Senecio ferro jugulum præbuit, quo resecto truncum corpus suummet caput aliquot passuum millia in montem extulit. Ejus sacra Lipsana e Galliis ad Germanos clam allata in Asceterio Benedictino S. Emmerami Ratisbonæ condita esse dicuntur.

Q. II. *Quem mihi laudas ex secundo seculo?*

℞. S. *Justinum,* Senatorii ordinis virum, Philosophia celebrem, qui apologia duplici in senatu recitata Christianorum patrocinium ingenti animo

suscepit; ob eam tamen caussam capitis damnatus, sub annum 165. Cujus relicta nobis ingenii ac pietatis monimenta nuper in publicum evulganda sibi sumsit P. Maran Benedictinus Gallus. Inde *Tertullianus* ingenio stiloque acer, Carthagine in Africa natus; (An. 207.) Sed qui demum Montani haeretici erroribus subscripsit.

Q. III. *Unum mihi alterumve tertii seculi prode.*

℞. 1. S. *Cyprianus* Ciceroni eloquentia haut longe impar habitus, Episcopus Carthagine; qui cum ob constantem verae Fidei confessionem duceretur, Carnifici suo 20. aureos numerari jussit. (An. 258.)

2. *Origenes* Alexandrinus, sublimi ingenio vir, ac eruditione nemini secundus; ob improbum scribendi laborem dictus *Adamantius*, velut *adamantinus*. Scholae Alexandrinae moderari jussus, cum & feminas docendas nactus esset, sinistros mores declinaturus se ipse eviravit. Multis pro Fide Catholica perfunctus laboribus, denique extra rhombum saltavit. Cum enim Platonicae Philosophiae plus justo deditus esset, vafras doctrinas invexit, multarumque haeresum semina sparsit, quae Arius, Pelagius, & fere universi post illum haeretici propagarunt. Tandem pro concione dicens, populoque Psalmorum arcana evolvens in versum illum offendit: *Peccatori autem dixit DEUS: quare tu enarras justitias meas? &c.* Suum ergo peccatum atque errores in memoriam revocans: primum velut in vado haesit, moxque obortis lacrimis librum complicuit, digitoque labris imposito e cathedra descendit: qua re ita tactus fuit populus, ut tota Ecclesia fletu personaret. Ex vivis abiit (An. 253.) Ejus in S. Scripturam doctissimi labores in publicum producti sunt a P. Bernard. Montfaucon, Benedictino, (A. 1713.)

3. Decii

3. Decii persecutio S. *Sebastianum* sustulit inter Prætorianos ducentem ordines. Alligatus palo, telisque confixus ab Irene sancta muliere clam sanitati redditus Tyranno sese denuo stitit, ac demum fustibus occisus est (A. 249.)

4. Viris addendæ Viragines S. *Catharina* Alexandrina, Magistro cælo ad miraculum erudita, quinquaginta Philosophos undique gentium excitos ad eam conflictu verborum devincendam, in eas angustias redegit, ut ejurato idolorum cultu Christianæ veritati colla submitterent. Parata ipsi feralis rota elicito de cælo fulmine tacta in partes abiit. Amputata demum Virginis cervix non cruorem modo sacrum, sed & lac sudavit. Corpus ab Angelis sublatum in jugo montis Sinai reconditum est. (A. 307.)

4. S. *Apollonia* Alexandrina provectæ ætatis Virgo, excussis maxillis deducta ad rogum, sponte sua insiliit. (An. 250.)

CAPUT II.

A Sylvestro I. PP. an. 314. ad Gregorium I. Magnum an. 590.

Secunda Periodus seu Ætas Doctorum.

Quæst. *Quid ita ætatem Doctorum ais?*

R. Quia Ecclesia paci reddita, atque a persecutione tyrannorum fere immuni pro-

 dierunt

dierunt Sancti Patres doctrina, zeloque potentes: Quos divino quodam numine afflatos fuisse facile intelligit, quisquis libros, quos exararunt sapientissimos, vel primis labris gustaverit.

§. I.

Summi Pontifices a Silvestro I. ad Gregorium I. Magnum.

Q. I. *Nondum memoria mihi excidit, Melchiadem Romana mitra fuisse insignem defervescente Diocletiani persecutione. Jam ceteros Pontifices ordine producito.*

℞. 34. *S. Silvester I.* Romanus. Pontifex inauguratus anno Christo 314. Constantinum M. Imp. salutari Baptismatis fonte tinxit Romæ, multisque ab eodem honoribus auctus est. Concilium primum œcumenicum, seu universale Nicææ Bithyniæ civitate cogi fecit a Constantino Imp. Diem extremum clausit A.C. 335.

35. *S. Marcus*, Romanus. (Ob. An. 337.)

36. *S. Julius I.* Romanus. (An. 352. Ob.)

37. *Liberius*, Romanus. Sanctum Athanasium adversum Arianos gnaviter tutatus est. Quare a Constantino Imperatore Ariano relegatus in Thraciam, subrogato interim *S. Felice II.* qui Liberii antea Diaconus fuerat. Verum Liberius ærumnis victus post bienne exilium proscriptioni S. Athanasii calculum suum adjecit. Cum vero Romæ redditus esset, Felicemque exegisset, pœnitentia ductus, Athanasium denuo suscepit, hæresimque Arianam palam proscripsit, quam tamen nunquam amplexus fuerat. E vivis excessit. A. 366.

38. S.

38. S. *Damaſus I.* Hiſpanus. Humanis rebus valedixit. A. 384.
39. S. *Siricius*, Romanus. (A. 389.)
40. S. *Anaſtaſius I.* Roman. (A. 401.)
41. S. *Innocentius I.* Albanenſis. Pelagium hæreticum damnavit. At Romam Gothorum prædam videre debuit. (A. 410.) vixit A. 417.
42. S. *Zoſimus I.* Græcus. (A. 418.)
43. S. *Bonifacius I.* Roman. Obiit A. 422.
44. S. *Cœleſtinus I.* Campanus. (A. 432.)
45. S. *Sixtus III.* Roman. (A. 440.)
46. S. *Leo I.* Magnus, Etruſcus. Divinæ facundiæ Vir, qua etiam Attilæ Hunnorum regis furorem fregit, eumque a diripenda Urbe abſtinuit. Vivere deſiit A. 461.
47. S. *Hilarius*, Sardus. (An. 468.)
48. S. *Simplicius*, Tiburtinus. (An. 483.)
49. S. *Felix III.* Felici fato functus A. 492.
50. S. *Gelaſius I.* Afer. (An. 496.)
51. S. *Anaſtaſius II.* Roman. (An. 498.)
52. S. *Symmachus*, Sardus; Anaſtaſium Imperatorem diris devovit hæreſis cauſſa. Ob. An. 514.
53. S. *Hormisdas*, Campanus: Eccleſiam Orientalem aliquo abhinc tempore a Romana diſſidentem ad unionem revocavit. Mortuus An. 523.
54. S. *Joannes I.* Thuſcus. Eum Theodoricus Gothorum rex in carcerem detruſum ærumnis ac pædore confecit. A. 526.
55. S. *Felix IV.* Beneventanus, Clero Romano a rege obtruſus: qui tamen Clerus pacis ergo eidem ſuffragatus eſt. Pie vixit. A. 530.
56. S. *Bonifacius II.* Roman. (A. 532.)
57. *Joannes II.* Roman. (An. 535.)
58. S. *Agapetus I.* Roman. Coactus a Theodato Gothorum in Italia rege Conſtantinopolim perrexit regi exoraturus pacem a Juſtiniano Imp. Ibi cum

ageret, Anthimum Constantinopoleos Patriarcham ab Hæreticorum partibus stantem sede movit, suffecto Menna Catholico. Obiit in eadem Urbe. A. 536.

59. *S. Silverius*, Campanus. Benedictinus. Theodora Augusta hæresin spirans Vigilium antipapam, in Silverium concitat, istumque per Belisarium Ducem Urbe Roma ejici mandat. Vitæ finem & exilii fecit *Silverius*. An. 538.

60. *Vigilius*, Romanus. Hunc tandem, emortuo Silvero lubens excepit Clerus Romanus. Isque mox mutatus a pristino errores, quos in favorem Augustæ foverat, detestatus est, seque ad sanctiores leges composuit. Humana reliquit. A. 554.

61. *S. Pelagius I.* Roman. (A. 560.]

62. *Joannes III.* Roman. (A. 573.)

63. *Benedictus I.* Romanus, Græcis dictus *Bonosus*; Benedictinus. Obiit A. 578.

64. *Pelagius II.* Roman. Benedictinus. Obiit An. 590.

§. II.
Dilatatio Ecclesiæ.

Q. I. *Quid incrementi sumsit Ecclesia sæculo* quarto?

℟. 1. *Æthiopia* amplissima terræ portio India citerior alias dicta, in Christi leges juravit, non sine miro eventu. Meropius Philosophus Tyrius cum filiis Frumentio & Ædesio ad eas oras forte delatus occisus a Barbaris est; at duo pueri, quos forma commendabat, ad regem delati, interque ephebos non solum adlecti, sed & rebus gerendis adhibiti, cum adolessent. Illi occasione utendum rati Christianis Sacris Barbaros illos excolunt, annuente S. Athanasio Patriarcha Alexandrino, ac Frumentium Episcopum consecrante, (A. 327.)

2. *Ibe-*

2. *Iberia.* Regio est Ponto Euxino imminens ortum versus. Armeniam inter, & Caucasum montem sita, quam hodie Georgiam vocant. Huc unam mulierculam belli sorte captivam traxere illi barbari. Hæc dies noctesque in oratione erat tota. Quæsita, cui bono id actitaret? reddidit: Christianam se esse, Christumque hoc cultu prosequi. Mirantur Barbari nomen ignotum: & curiositas eos subit tentandi vires Numinis! Mos ferebat parvulos forte morbo sollicitatos ad vicinas deportare, medicinam, aut consilia quæsitum. Ventum ad Servam illam Christianam. Hæc; sibi quidem deesse opem, DEO vero suo Christo adesse plurimam testata, eundem in vota vocat. Puer e vestigio sanitati restituitur. Regina & Rex certiores miri eventus fiunt; hi Legatis conveniunt Imperatorem Constantinum M. Episcopos, Sacerdotes, quæque alias ad Christi cultum facerent, petunt, facileque impetrant. (An. 327.)

3. Maxima vero hoc seculo accessio Christianæ Ecclesiæ facta est, quando Constantinus I. Magnus Imp. palam Christo nomen dedit, idolorum fana clausit, gentili superstitioni indixit exilium, Ecclesias passim vero Numini dicavit, ipseque salutari lavacro expiari se fecit (A. 325. vel 337.)

4. Ex adverso in Oriente & Africa fœda rerum facies erat, Arianis, Donatistis, Eutychianis & aliis ejusdem furfuris hæreticis omnia susque deque vertentibus. Id quod quinto etiam, sextoque seculo nihilo mitius actum est.

Q. II. *Quinto vero seculo nihil crevit Ecclesia?*

℞. Illo ad calcem jam jam properante **Clodovæus** *Galliarum* Rex Ecclesiæ sese adjunxit. Difficili enim in Alemannos pugna voti se reum fecit Christiana sacra suscipiendi, si ipsi campus & victoria cederet. Voti com-

compos factus a S. Remigio sacro latice ablutus est. (A. 496.) Ei Anastasius II. PP. gratulatus *Primogenitum Ecclesiæ* dixit: Hodieque dicunt *Christianissimum.*

Q. III. *At sexto seculo quid?*

℞. Reccaredus *Hispaniarum* Rex opera S. Leandri, aliorumque Benedictinæ familiæ Episcoporum Gothos, Suevosque Hispaniæ inquilinos ab Ariana Hæresi totos repurgavit. (An. 589.)

2. *Britannia* quidem a Lucio PP. scintillam sanæ religionis hauserat; sed quam densæ postea tenebræ sepelierunt, Saxonibus eo irruentibus, & Idolomaniæ superstitionem secum invehentibus. Divus ergo Gregorius Mag. Pontifex e Romano suo S. Andreæ Asceterio elicuit S. Augustinum, aliosque socios bene multos omnes D. Benedicti Monachos, iisque Angliæ ad Fidem postliminio reducendæ provinciam imposuit; quam illi felici non minus, quam impavido conatu sunt executi. (An. 596.)

§. III.
De Persecutionibus.

Q. I. *Dixeras, a Diocletiani tempestate Ecclesiam quieti fuisse restitutam. At nihil eam post turbavit?*

℞. Nunquam deest Christiano patiendi copia. Ego paucis te docebo persecutiones, quibus Ecclesiam pessum ivere Tyranni.

1. *Sapor* Persarum Rex ab anno Chr. 343. ad usque 380. pessime suæ ditionis Christianos habuit. Dein Anno 414. cum Abdias Regiæ Persidis Episcopus Templum Igni (Numini Persarum) sacrum Vulcano dedisset, Isdigerdes Rex in furorem actus Catholicorum Ecclesias solo æquavit, ipsosque gravissimis tormentis exposuit. Cujus vestigiis insistens filius Vara-

Vararanes Patre haut mitiora in Christianos decrevit, usque sub annum 444.

2. In Orientis Imperio *Julianus* Cæsar, ille qui Christianus cum esset, fidem tamen paulo post valere jussit Apostata, dæmonum delubra a Constantino M. occlusa reseravit. (A. 362.) Advertens autem, multos Christianos juventutem poëticis, Rhetoricis, aliisque liberalium artium præceptis imbuere, unaque deorum vanitatem atque turpitudinem ex ipsis ethnicorum libris demonstrare, hæc inquam animadvertens Julianus Christianos a docendo liberales artes omnino prohibuit. Edixit etiam, abolito *Christianorum* nomine *Galilæos* eos dici. Quin ipse facundia sua pessime abusus sacrilegum calamum in Dominum Salvatorem strinxit septem in eum scriptis libris. Donec tandem infelici contra Persas prælio ceciderit, cælitus inflicto vulnere. (A. 363.)

Quantis furiis *Constantius* Imp. A. 353. Ac *Valens* an. 365. &c. *Anastasius* an. 491. Catholicos agitarint, ut Arianos foverent, paucis dici nequit.

3. *Gothi*, *Vandali*, *Suevi*, *Alani*, jam olim quidem Christum agnoscere docti sub Valente Imp. Sed Arianæ hæreseos peste subacti totam late Galliam, Hispaniam atque Italiam ab anno 406. ad 413. protriverunt Roma quoque expilata (409) in qua tamen (Numen feros animos edomuit) Ecclesiis, ac quidquid eo confugisset, parsum fuit.

Gensericus Vandalorum rex an. 437. Africam, Hispaniam, Italiam, Dalmatiam miris modis vexat: eandemque telam prosequitur mali corvi malum ovum *Hunnericus* ad annum usque 487.

Attila Hunnorum tyrannus an. 451. Gallia direpta Urbi quoque imminebat, nisi S. Leo PP. divina facundia furori ejus temperasset.

§. IV.

§. IV.
Diſciplina, atque Doctrina trium iſtorum ſeculorum.

Q. I. *Sæpe mihi laudaſti Conſtantinum M. ejusque in Eccleſiaſticam diſciplinam & Autoritatem merita. Rei anſam, ac ſeriem explica.*

℞. Faciam id, ſed tenuiore filo. Maxentius Imperio inhians Romæ incubabat. In hunc ſigna infeſta moturus Conſtantinus (312.) dum rerum ſollicitus hæret, ipſo meridie Crucem aurei ſplendoris cernit, quæ cæli fornicem decuſſatim ſecabat, hac cum epigraphe: *In hoc ſigno vinces.* Ille portento fretus hoſtem ſub jugum mittit: primusque Imperatorum Chriſtianæ religioni palam ſubſcribit. Inde Eccleſiaſticæ Diſciplinæ *Libertas:* inde Epiſcoporum ſumma *autoritas:* Concilii Nicæni *celebritas:* ſanctæ demum Crucis *gloria* natæ ſunt.

Q. II. *Quam ais Eccleſiæ* Libertatem?

℞. Cum ante in antris & cemeteriis perpetuas inter formidines divina peragi neceſſe eſſet, de pompa cogitare vix licuit: at nunc auguſtiſſimis templis Romæ ac ubivis gentium a Conſtantino excitatis, auro, gemmis, purpuraque oblata, decuit plane, multa ab Eccleſia decerni ad ſplendorem ac majeſtatem divini cultus facientia. Huncque in modum plerique externi ritus, quibus hodiedum gaudemus, ſunt ſanciti.

Q. III. *Quæ vero Epiſcoporum* Autoritas?

℞. Præfectorum nempe; Præſidumque judicia, ac Conſulum faſces Epiſcopis ſubmitti Conſtantinus præcepit, eorumque ab ore pendere cauſſas plerasque. Forte Epiſcoporum nonnulli Ario addicti calumniam in Catholi-

tholicos Episcopos scriptam Imperatori obtulerant, Catholici vicissim sui defensionem: cum ille libellos omnes foco injecit, cum dicto: *DEUS vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque judicandi: & ideo nos a Vobis recte judicamur: vos autem non potestis ab hominibus judicari &c.* Alias quoque dicere amabat: se, si sacerdotem suismet oculis peccantem conspiceret, sua eum purpura operturum, protecturumque ab ignominia.

Q. IV. *Jam de* Concilio Nicæno?

℟. Pacata omni Ecclesia, ex universo pene orbe tuto commearunt Episcopi, evocante eos, nutu Sylvestri Papæ, Constantino (A. 325.) Advolarunt Nicæam Bythiniæ civitatem Antistites trecenti atque octodecim, qua doctrina, qua sanctitate in paucis conspicui. Caussa cœtui sacro cogendo fuit Ariana hæresis late serpens: & ut conspirantibus animis decernerent ea, quæ populis per orbem universum dissitis concordi atque unius plane formæ doctrina essent deinceps tradenda, ut una Ecclesia ex una doctrina appareret in invidiam ac pudorem omnium hæresum. Facta tunc etiam gentilibus loquendi potestate, unus illorum ceterorum quasi quidam Deus, magni nominis Philosophus, cavillationibus sanctam Synodum est aggressus, Deos suos laudans. Facto inter omnes silentio sanctus Spiridion Ep. his nonnisi vocibus eum compellavit: *In nomine Christi*, inquiens, *Philosophe audi!* tum Christianum dogma brevi, simplicique oratione explicans subjungit: *Si credis, interroganti mihi responde.* Ille his vocibus velut fulmine tactus primum in saxum stetit, mox ad suos conversus, se victum fassus est.

Fidei doctrinam sacrum isthoc Concilium conclusit in *Symbolum* illud, quod *Nicænum* dicitur, & percantato Evangelio ad aram insonat. *Credo in unum DEUM &c.*

Q. V.

Q. V. *Quo in honore* Crux *haberi cœpta?*

℟. Non te fugit, crucem perditiſſimorum ac nonniſi ſervilium hominum ſupplicium fuiſſe: quale noſtra ætate eſt furca vel patibulum. At cum ejus præſidio Maxentium ſubegiſſet Conſtantinus, mox Chriſti nomen, Crucisque figuram ſignis militaribus intexi *aquilarum* loco juſſit, ſuoque ipſiusmet diademati inſeri. Quo non contenti, qui eum ſecuti ſunt Cæſares, pomo ſeu globo aureo impoſitam manu prætulerunt crucem ſceptri loco.

Helena vero Auguſta Conſtantini Mater Jeroſolymam devotionis ergo petens, (A. 326.) conſilium cepit indagandæ Crucis ſanctæ, cui affixus Salvator amoris victima fuit. Audit eam a Judæis alte defoſſam. Igitur egeſta humo in tres tandem Cruces incidit, titulumque, quem Pilatus ſcripſerat (J. N. R. J.) avulſum. Anceps erat, quænam e tribus Chriſti Crux foret? Ergo ægrotæ admovent primam, alteram, ac denique tertiam: quæ ſimul ac tetigit infirmam, ſanitati reddidit: ex quo cognitum, hanc eſſe veram Crucem Salvatoris.

Q. VI. *Nihilne aliud de diſciplina Eccleſiæ occurrit?*

℟. Imo de Sacra Monaſtice. Nam *S. Antonius* Magnus Abbas in Ægypti deſertis locis, ingentem hominum vim conſcripſit ejus ſub ſignis ac regula Chriſto ac virtuti militantium. (A. 310.) Idemque proſecutus eſt *S. Pachomius*. (A. 320.)

S. Baſilius haut pauciores numeravit regulæ a ſe ſcriptæ tenaces. (An. 362.)

Ordo Eremitarum a S. Auguſtino inſtitutus primum Tagaſte, ſolo nempe Auguſtini patrio, anno 387. mox Hippone regio an. 390. Indeque tota Africa ſummo ſtudio, zeloque extenſus.

S. Benedictus ſub annum 520. Regulam ſuam tantopere a ſummis Pontificibus, totoque orbe ſemper lauda-

laudatam, propoſuit, quam non ſolum amplexa ſunt aſceteria ab ipſomet recens condita, ſed Pachomiani quoque, Baſiliani, reliquique monachi per Orientem, Occidentemque fere omnes.

§. V.
Hæreſes.

Q. I. *Quarto ſeculo num graſſata eſt aliqua hæreſis?*

℞. 1. *Manichæorum* coryphæus fuit *Manes*. Is Curbicus ante dictus Scythani cujusdam Philoſophi Pythagoræi ſervus, atque ab ejus morte heres etiam tam librorum, quam errorum ſcriptus eſt. Inde *Manetis* nomen, quod Perſica lingua Diſputatorem ſonat, ſibi optavit. Res novas moliturus Regis filium ancipiti morbo tentatum ſuis precibus ſanandum ſuſcepit. Cum fidem datam falleret, datus in vincula, clamque elapſus in Meſopotamiam Hæreſim ſparſit. (A. 282.) Tum interceptus a regiis ſatellitibus cute detracta feris objectus interiit. Alia inter e Pythagoræorum ſchola docuit animas a morte in alia corpora, ſeu brutorum ſeu hominum migrare, quæ migratio Metempſychoſis audit. Unde vetitum carnium eſum volebat. In hanc hæreſin pellectus eſt adoleſcens Auguſtinus: quam deinde ipſe pene funditus extirpavit.

2. *Donatiſtarum* primum ſchiſma, deinde, ut fit, etiam hæreſis ingens negocium faceſſivit Africanæ præſertim Eccleſiæ. Menſurius Carthaginis Antiſtes fatis conceſſerat: ejus in locum ſuffectus eſt Cæcilianus (A. 311.) Ambitio vero hæreſum ſchiſmatumque parens Majorinum adegit, ut ſacrum pedum violenta manu ipſe arriperet, adjutus præcipue a Lucilla femina prædivite, ſed mali atque in Cæcilianum offenſi

animi. Ita conflatum eſt ſchiſma. Schiſmatici deinde patrocinium aucupantur Imperatoris Conſtantini M. At ille Melchiadem Romanum Pontificem dicere, ut par erat, ſententiam jubet: hic adhibitis in conſilium multis Epiſcopis Cæcilianum probat, Majorinum rejicit. (A.313.) Idque fit iterum in Concilio Gallico 200. Epiſcoporum (A. 314.) Iterumque a Conſtantino Imp. Mediolani (A. 316.) Conſtans deinde Imperator vi adhibita eos compeſcuit. (A. 340.) At emerſere denuo Juliano Imperatore. An. 362. & Gildone Africæ tyranno anno 396. Honorius demum Imp. miſſo in Africam Marcellino comite eos Eccleſiis bonisque exuit. (A. 411.) Etſi Marcellinus capite ſuo pietatem luere debuerit, accuſatus nempe rerum in republica novandarum apud Marinum Africæ præſidem. (A. 413.) Fuit is ipſe Marcellinus, cui S. Auguſtinus miros illos de Civitate Dei Libros dicatos voluit.

Q. II. *Sed cur* Donatiſtas *id genus hominum vocaſti?*

℟. Donatus nempe ſuum ſectæ nomen impoſuit, ille, qui Majorino Schiſmatico ſubſtitutus eſt a rebellibus.

Q. III. *Prode mihi quidpiam de ſpurio eorum dogmate.*

℟. 1. Eccleſiam veram corruptam aſſerebant, nullibique eam, niſi penes ſe Donatiſtas, reperire eſſe. 2. Euchariſtiam, ſacrum Chriſma & alia ſacra habebant contemtui. 3. Monachis erant infenſi: Ut cetera taceam. Atque in hac egregia doctrina æmulos habent hæreticos hodie Calviniſtas, Lutheranos, aliosque ejusdem luti.

Q. IV. *Perge jam de ceteris Hæreticis.*

℟. 3. *Ariani*, quorum anteſignanus Arius. Is ex Lybia

Lybia ortus Alexandriæ cæpit blasphemare, (A. 313.) DEI filium creatum esse, neque Patri æqualem, aut consubstantialem. Ejectus ab Alexandro Patriarcha, damnatus a Concilio Nicæno, demum fingens se cum Catholicis facere jussus est a Constantino M. in Constantinopolitanam Ecclesiam admitti. Dumque in templum ovans properat, e via declinans alvum exonerandi causa, ibi rupto ventre in latrina publica interiit, Judæ proditoris instar (A. 340.) At non cum autore extinctum est ipsum malum: Constantio præsertim (A. 353.) Imperatore, &, ejus exemplo, toto pene Oriente in Arii dogma jurante. Hujus Cæsaris nutu coaluit Concilium illud duplex *Sardicense* & *Ariminense*; atque in hoc posteriore plurimi Episcopi Catholici qua fraude, qua vi inducti, ut formulæ Fidei seu symbolo ab Arianis dolose concepto subscriberent: quo facto *ingemiscens orbis terrarum Arianum se esse miratus est*, ut queritur S. Hieronymus. Catholici tamen maxime Occidentales & fraude & vi illa se brevi expedientes palam fecerunt, nunquam se in animum induxisse, ut hæresin Arii probarent, sed cum verborum colore ac technis sibi impositum esse, tum etiam vim factam. Tandem Theodosius supremam evertendæ huic hæresi manum admovit, impetrata a Damaso PP. Synodo œcumenica, quæ Constantinopolitanarum quidem prima est, Universalium vero secunda, [A. 381.]

4. *Helvidius* [Sub annum 390.] impuro ore Cæli reginam petere ausus, eam a partu Virginitatis honore orbatam fuisse mentitus est. Castitatem coli superstitiosum, idemque impossibile ajebat. Nuptias impense commendabat. Pari passu sub idem fere tempus incessit *Jovinianus*. Quos iterum strenue æmulantur Lutherani nostri atque Calviniani &c.

Q. V. *Etiam quintum ſeculum ferax hæreſum fuit?*

℞. 1. *Vigilantius* (A. 406.) Gallus homo impurus Sanctorum reliquiis bellum indixit. Huic non arriſit, quod Clerici cælibes degerent. In monaſticum etiam ordinem petulanter invectus eſt.

2. *Pelagius* Britannus (A. 408.) divini numinis immemor effutiit, abſente Divina *gratia* ſola natura autore hominem bona operando ſufficere; eundemque ſola ſua voluntate poſſe ab omni peccato eſſe eximium. Diris devotus eſt ab Innocentio I. PP. (A. 417.) & à S. Auguſtino hæreticorum malleo contuſus.

§. VI.

Viri illuſtres.

Q. I. *Grandioris nominis viros, qui quarto ſeculo effloruere, a te poſco.*

℞. Ampliſſimus hic ſeſe campus aperit: ſed ego paucos ex eo flores legam, tuisque oculis ſubjiciam.

1. S. *Nicolaus* e Lycia natus: Juvenis adhuc, comperto, tres virgines redactas ad incitas de pudicitia periclitari, clam noctu tantum auri per feneſtras injecit, quantum ſingulis dotandis ſufficeret. E peregrinatione Jeroſolymitana redux Myram, quæ Lyciæ metropolis erat, forte delatus id temporis, quo de eligendo Epiſcopo conſilium agebatur, divinitus ipſe proditus eſt, & Antiſtes inauguratus. (A. 325.) Adfuit Concilio Nicæno. Hi, qui vitam ſuam navibus credunt, hunc Divum Patronum ſuſcipiunt. Obiit 342.

2. S. *Martinus*, caſtra ſecutus, miles adhuc, & necdum ſacro fonte merſus pauperi nudo ſibi obvio chla-

chlamydem suam, quam ense mediam secuit, dimidiam donavit. Turonum in Gallia Episcopus ad Divos abiit. (A. 400.)

3. S. *Athanasius*, Alexandrini Patriarchatus auctus mitra, (An. 326.) ingentibus animis fidem Catholicam adversus Arianos, ipsosque Imperatores propugnandam suscepit. Illi contra summo in eum odio ferebantur, unde hanc in eum fabam procuderunt; coacto nempe conciliabulo (A. 335.) eum insimularunt impudicitiæ, ac meretricem etiam produxerunt in medium, quæ auro corrupta id ipsum sine fronte testabatur. Timotheus vero fidus Athanasii presbyter consilio in arena capto contentiore nonnihil sermone feminam petit: egone sim ille, qui vim tibi intulerim, mulier? Illa, quæ Athanasium nunquam norat, nihil hæsitando affirmat: Tu vero es Athanasi petulans mei honoris corruptor: Quo dicto patuit fraus. Nihilominus sanctus Antistes tempori, furorique cedendum ratus fuga sibi consuluit, calamo interim pugnans eminus, cum voce comminus non liceret. A Joviano Cæsare sedi suæ restitutus, a Valente vero denuo pulsus sex annos in paterno sepulcro delituit, demum ab eodem Imperatore revocatus, (An. 367.) elapsis sex aliis annis diem supremum obiit (A. 373.) Ejus Opera Græco-Latina ediderunt Benedictini Galli, an. 1698.

4. S. *Basilius* (A. 371.) Cæsareæ in Cappadocia Episcopus Arianis sese ut murum aheneum opposuit. Exilium in eum decreverat Valens Imperator Arianus: cumque legem suo chirographo munitum iret, calamus non solum atramentum negavit, sed & ruptus est, manusque solutis nervis contremuit, idque iterum ac tertio. Felicem sanctæ vitæ finem imposuit an. 378. Ejus Opera Græco-Latina paucis abhinc annis edita a Benedictinis Gallis.

5. S. *Ambrosius* Patre Ambrosio nobili Romano cive sed in Gallia natus. Insubriæ, Liguribus, atque Æmiliæ præfectus Auxentio Episcopo mortuo Mediolanum contendit Arianos multa in electione turbantes sua autoritate compressurus. Dum vero in Ecclesia verba de concordia facit, repente conclamatur *Ambrosius Episcopus.* Ab ea sententia ut populum dimoveret, mox ante ipsam Ecclesiam tribunal poni, ipseque sedens severissimis pœnis in reos animadverti jubet. Nihil a votis suis remittente multitudine fugam init: cumque tota nocte gnaviter iter se fecisse crederet, illucescente die pro porta civitatis se adstare vidit. Subscribens ergo divino consilio Episcopale munus suscepit; eoque tam fortiter perfunctus est, ut Theodosium M. Imperatorem, a cæde innocentium Thessalonicæ civium revertentem, ingressu Ecclesiæ constanter prohibuerit, donec publica pœnitentia facinus expiasset. Ille quidem caussabatur, David quoque regem peccasse: sed reposuit Sanctus: *Qui secutus es peccantem, sequere & pœnitentem.* In mortalibus esse desiit an. 397. Hujus Opera prodierunt nuper a Benedictinis Gallis, an. 1686. & 1690. autore P. Jacobo du *Frische*, & Nicolao de Nourry.

Q. II. *Jam ad quintum seculum gradum promove.*

℟. 1. S. *Joannes*, Antiochia Syriæ oriundus, ob auream plane facundiam dictus *Chrysostomus* Constantinopolitano Patriarchatu defunctus est. Cum alia inter etiam in feminarum vitia pro concione inveheretur, Eudoxia imperatrix pejus sibi conscia concepto in eum odio nullum non lapidem movit, ut eum in exilium submoveret. Quo in exilio strenuus veritatis pugil obiit. (A. 407.) Sacris ejus Lipsanis ab exilio reportatis supplex factus (A. 438.) Theodosius Junior Imp. Arcadii & Eudoxiæ filius veniam pro parentibus flens

flens exoravit. Cujus Operibus publico bono excudendis nuper insudavit P. Bernardus Montfaucon Benedictinus Gallus.

2. *Hieronymus* gente Dalmata, patria Stridonensis a literis Græcis, Latinis atque Hebræis, & ab omnium artium disciplina instructissimus in sacris scripturis explanandis, & hæreticis confutandis totus fuit. Obiit (A. 420.) Ejus eruditissima scripta ad accuratam limam revocata typis ediderunt Benedictini Galli, ab an. 1699. ad an. 1706. præcipue P. Joannes Martianay Græcæ & Arabicæ peritissimus.

3. S. *Augustinus*, Tagaste Numidiæ urbe in Africa natus eo fuit ingenii acumine, ut adolescens subtiles magis an obscuros Aristotelis libros sine magistro nulloque negocio didicerit. Incidens in Manichæos hæreticos impietatis virus suxit. Quo tempore fertur Ecclesia publicis votis DEUM interpellasse in hæc verba: *a Logica Augustini libera nos Domine.* Monica vero ejus sanctissima parens qua monitis, qua fusis ad DEUM precibus effecit, ut audito S. Ambrosio, ejusque captus divina eloquentia Catholicum dogma amplexus fuerit. (A. 387.) Hippone in Africa creatus Episcopus (A. 395.) sanctitate atque doctrina tale sibi nomen peperit, quale post ipsum nemo. Immortalem vitam auspicatus est anno 430. Ejus magnæ molis, summique momenti libros publici juris fecerunt Benedictini Monachi in Gallia, ab anno 1689. usque ad 1700. Cui molimini ducem se præcipuum præbuit P. Thomas Blampin.

Q. III. *Jam etiam de sexto seculo ne taceas, obsecro.*

℞. Barbarorum furore omnia late pessumdante, hoc seculo magnam equidem ruinam traxit eruditio: non tamen jacuit omnino.

1. *S. Leander* Monasticen Benedictinam amplexus, indeque ad Hispalensem Infulam evocatus Archiepiscopus nihil non operæ in reducendis ab Hæresi Ariana ad Catholicam veritatem Gothis collocavit sub Annum 586. &c.

2. *Boëtius* Vir Consularis Philosophia clarus a Rege Gothorum Theodorico Ariano carceri mancipatus, ibique capite multatus est an. 524.

3. *Cassidorus* Senatorii Ordinis misso mundanis rebus nuncio Benedictinæ Disciplinæ cervicem submisit A. 538. non dedignatus in monasterio prima literarum elementa docere puerulos, vir summæ, id ætatis, doctrinæ, maximique nominis. (Obiit 575.) Cujus Opera omni doctrinæ genere referta in lucem emisit P. Garetius, Benedictinus Gallus. 1679.

4. *Dionysius Exiguus* gente quidem Scytha, sed Monachus Romæ Benedictini instituti, primus omnium invexit (A. 532.) *Æram Christianam*, seu morem, quo Anni a Nativitate Christi numerantur. Primus etiam *Corpus*, quod vocant, *Juris Canonici* collegit.

S. Gregorius Magnus PP. (sub an. 590.) e familia D. Benedicti. Plus omnibus Pontificibus in Ecclesia præstitit. Sancta illius scripta publica luce donata sunt a Benedictinis in Gallia. A. 1705.

CAPUT III.

A S. Gregorio M. an. 590. ad Leonem III. an. 795.

Quæst. *Cur istam Periodum historiæ constituis?*

℞. Quia

℞. Quia initium memorandum habet magno nomine Magni Gregorii. Finem vero non imparem; quod tum temporis Ecclesia Romana terrena ditione oppido aucta fuerit, nempe Exarchatu Romano: insuper Imperialis dignitas, in Occidente hactenus diu intermortua, instaurata a Leone PP. fuerit in Carolo M. Germanorum & Francorum Rege.

§. I.

Romani Pontifices a S. Gregorio I. Magno ad Leonem III.

Q. I. *Seriem mihi Romanorum Pontificum pande.*

℞. 65. *S. Gregorius I.* Magnus. Hic Patricia Romanorum stirpe satus Cucullum Benedictinum, mox etiam Abbatiale pedum in Asceterio S. Andreæ Romæ amplexus, summis Ecclesiæ negociis adhibitus, dum ex Legatione Constantinopolitana redux omnium in se oculos, animosque convertit, Summus Pontifex salutatur. (A. 590.) Ille vero honores exosus fugam init. At Numen accensa super locum ignea velut columna latebras detexit. Gregorius ergo quo majore fastidio fugerat Pontificatum, eo majoribus animis eundem gessit, ac tantis quidem, quantis alias nemo. Egit etiam de Joanne Constantinopolitano Patriarcha triumphum, qui Romani Pontificis obedientiæ se subducturus *Universalis Episcopi* & nomen & potestatem sibi adscitum iverat. Ad superos demum felix abiit (A. 604.)

66. *Sabinianus*, Thuſcus. An. 606.

67. *Bonifacius* III. Romanus. Huic Phocas Imperator, utut in Romanos improbus, non potuit non ſolemni edicto Nomen *Univerſalis Epiſcopi* addicere, idque Conſtantinopolitano negare. (A. 607.)

68. S. *Bonifacius IV.* e Valeria oriundus, eque D. Benedicti familia ad honorum apicem vocatus templum *Pantheon*, quod Romani Matri deorum, omnibusque diis dicaverant, Mariæ DEIparæ, Sanctisque omnibus Cælitibus ſacrum eſſe voluit, juſſitque eorum feſtam memoriam quotannis celebrari. (Ob. A. 615.)

69. *Deusdedit* ſeu *Adeodatus*, Benedictinus, Romanus. (A. 618.)

70. S. *Bonifacius V.* Benedictinus, Campanus, (625.)

71. *Honorius I.* Campanus. (A. 638.)

† Vacat Sedes anno uno, menſibus ſeptem usque ad an. C. 640.

72. S. *Severinus*, Romanus.

73. *Joannes IV.* Dalmata. [642.]

74. *Theodorus I.* Græcus. [An. 649.]

75. S. *Martinus I.* Tudertinus Thuſcus, per Calliopam Exarcham ejectus eſt in Naxum, e cycladibus inſulis unam. [A. 653.] Inde ductus Conſtantinopolim, onuſtus pedicis per urbem raptus eſt. Relegatus denique Cherſonam ſupremum obiit. An. 655.

76. S. *Eugenius I.* Roman. [An. 657.]

77. S. *Vitalianus*, Campanus. [A. 672.]

78. *Adeodatus*, Benedictinus, Romanus. [Anno 676.]

79. *Donus I.* ſive *Domnus*, Romanus. [A. 678.]

80. S. *Agatho*, Siculus, Benedictinus. Obiit 682.

81. S. *Leo II.* Siculus, Benedictinus. [A. 683.]

† Vacat menſes 11. usque ad an. 684.

82. S. *Benedictus II.* Benedictinus, Romanus, [A. 685.]

83. S. *Joannes V.* Syrus. [A. 686.]

84. S. *Conon*, Thrax, Benedictinus. [A. 687.]

85. Theodoro, & Paschale hominibus inquietis Infulas sibi imponentibus, Clerus utrumque dedignatur, eligitque S. *Sergium I.* Syrum gente [Ob. A. 701.]

86. S. *Joannes VI.* Græcus, Benedictinus. [A. 705.]

87. *Joannes VII.* Græcus. [A. 707.]

88. *Sisinnius*, Syrus. [A. 708.]

89. *Constantinus I.* Syrus. [A. 715.]

90. S. *Gregorius* II. Romanus, Benedictinus. Germanos Fidei Christianæ adjunxit per S. Bonifacium & alios Monachos Benedictinos. Leonem Imp. Iconoclasten diris Ecclesiasticis devovit: qui Pontificis etiam vitæ non semel insidias struxit. [Ob. A. 731.]

91. S. *Gregorius* III. Syrus. In Longobardos Italiam vexantes evocavit Carolum Martellum Francorum Occidentalium principem: quem & rebus ex sententia gestis Romæ *Patricium* dixit: vitæ valefecit S. Pontifex anno 741.

92. S. *Zacharias*, Græcus, Benedictinus. Vitam cum morte commutavit anno 752.

93. S. *Stephanus* II. Benedictinus. Tertio ab inauguratione die repente obmutescens, quarto funus fuit, quem multi e Pontificum numero removent.

94. S. *Stephanus* III. Romanus. Ab Aistulpho Longobardorum rege indigne habitus Constantini Copronymi Græcorum Imperatoris opem expetiit. Ea vero frustratus, Pipinum Francorum regem suppetias vocavit. Hic profligatis Longobardis Exarchatum Ravennatem [Ditio est Italiæ, de qua videsis Historiam profanam] Romanæ Ecclesiæ dono dedit, damna eidem a Longobardis illata compensatum. [A. 757.]

95. S.

95. *S. Paulus I.* Frater Stephani a Desiderio Longobard. Rege iterum afflictus. Obiit A. 767.

† Vacat anno uno, quo Constantinus Antipapa a Totone Nepesii Duce intrusus rerum summa potiri contendit. (A. 768.)

96. *Stephanus IV.* Siculus, Benedictinus. (A. 772.)

97. *Hadrianus I.* Romanus. Hoc implorante tandem Carolus Magnus, Pipini filius, Desiderium Longobardorum regem oppressit, Exarchatum Ravennatem sartum tectum restituit & conservavit, addito Sabinensi territorio, Ducatibus Spoletano, & Beneventano. Acatholicis quibusdam obtrectatoribus fingere libuit, ab Hadriano factam fuisse Carolo M. potestatem eligendi Summi Pontificis: sed injuria. Neque enim unquam Carolus aut ejusdem posteri in eam electionem ausi sunt involare. Naturæ concessit Hadrianus an. 795.

§. II.

Propagatio Ecclesiæ.

Q. I. *Ubi, quasve demum radices egit Ecclesia septimo seculo?*

℞. 1. *Helvetos, Rhætosque* sub fidei jugum potissimam partem inflexerunt, cum S. Columbanus (Obiit 615.), tum S. Gallus cum sociis Monachis D. Benedicti Cænobii Sangallensis. Uterque ex Hibernia huc allapsi erant. Ob. S. Gallus 627.

2. Sub idem tempus *Frisones*, ac plerique *Belgæ*, imo & *Sclavi*, *Carinthii* &c. audierunt Apostolum suum S. *Amandum* Monachum primo Lerinensis Asceterii S. Benedicti, post Trajectensis Episcopatus autorem (A. 647.) ac demum etiam Argentinensis. (An. 640.)

3. *Ba-*

3. *Bavaria* vero, *Tyrolis*, *Austria*, finitimæque provinciæ primum S. *Eustasio* Abbati Luxoviensi, anno 6 6. Centennio vero post S. *Ruperto* regii sanguinis e Gallia Monacho Benedictino primam Fidei facem debent. Hic Juvaviensem (Salisburgensis hodie audit) Ecclesiam condidit, constituto Episcopatu. Alia inter de Idolis trophæa insigne est illud Oettingæ Veteris. Delubrum enim septangulum planetis olim superstitiose sacrum expiavit, Cælitumque imperatricis MARIÆ Iconem ibi fixam populis in honore esse jussit: quibus jussis hodieque stat Bavaria Mariani cultus feracissima regio. Cælum petiit Divus Episcopus anno 718. Succenturiatæ mox copiæ Rupertum in Germaniam sunt secutæ. Bavariam S. *Emmeramus* gente Aquitanus, vita Benedictinus lustravit usque ad ann. 652. Non fuit Episcopus Ratisbon. Plurimique e Scotia & Hibernia Benedictini Monachi passim sedes in Germania suas & Monasteria fixerunt. Hi scholas publicas aperuerunt, non virtute solum ac Fide, sed literis quoque imbuentes populum.

4. *Franconiæ* Apostolus S. *Chilianus*. (A 689.) Benedictini Ordinis decus fuso cruore regionem illam a se cultam rigavit, necatus ira Geysæ Principis, sed impotentis feminæ.

5. *Croatæ* in leges Christi jurare cæperunt sub annum a partu Virginis 630.

Q. II. *Etiam Octavum seculum attingas velim.*

℞. 1. *Brunsvvicensibus*, *Saxonibus*, *Westphalisque* cum Fide salutem attulit S. *Suitbertus*, Benedictinus. Primus Werdeæ Cæsareæ Pontifex. (A. 705.)

2. S. *Corbinianus* Episcopatus Frisingensis autor, (A. 724.) Obiit anno 730.

3. S. *Bonifacius*, cum Germani plerique priore jam seculo Fidem amplexi, nunc idola resalutatum irent, missus hic est a Gregorio II. PP. (A. 716.) Qui immanis

nis laboris ergo Universalis Germanorum Apostoli laudem ac nomen tulit. Ad D. Benedicti leges vitam exigere cum a puero didicisset, insigne illud cænobium Fuldæ condidit, a Sanctitate, Doctrina, tum & opibus tot jam secula commendatissimum, Moguntinensium Præsulum primus ipse Archiepiscopus est salutatus. Duosque præcipue Episcopatus instituit (747.) Herbipolensem, cui Burcardum, & Eichstettensem, cui Willebaldum præesse jussit, utrumque Benedictinum. Quin & Ratisponensem, ut luculente probat Mabillon. secul. 3. Præfat. Ipse Frisonum ingratorum ense Martyr occubuit. [A. 755.]

4. Carolo M. cum Saxonibus diuturnum erat ac pertinax bellum. Quo tandem patrato Vitikindus eorum regulus tota fere cum gente ad sacrum Baptismi fontem properarunt. An. 785. Moxque Mindensis, Verdensis, Bremensis, aliique Episcopatus Monachorum fidei commissi. Nec non & Monasteriensis circiter annum 800.

Q. III. *Ais mihi semper de Monachis, iisque Benedictinis?*

℟. Nempe nemo, qui in Historia non plane sit puero rudior, ignorat ab anno 600. ad 1100. per omnem pene Europam, haut alios Religiosos extitisse Monachos, nisi Benedictinos: ut paucissimos excipias. Hi porro cum soli literas tenerent, non scholas tantum publicas suis in Monasteriis aperuerunt; sed Ecclesiarum Collegia, & Cathedralia, quæ vocant Capitula pleraque e meris Monachis fuerunt. Quin cum plerique in Germania, Angliaque præsertim Episcopatus a Benedictinis istis suam traxissent originem, plerique Episcopi etiam deinceps e monachis illis, eorumque tam cænobiis, quam Cathedralibus capitulis fuere petiti. Id ipsum ansam dedit nomini Münster, quo Cathedra-

thedrales Eccleſiæ hodieque veniunt, quæ olim non erant niſi Benedictinorum *Monaſteria*.

§. III.
Perſecutiones.

Q. I. *Cum longe lateque ſuccreſceret, fuitne etiam, quod pateretur Eccleſia?*

℞. 1. *Mahometes*, vel Mahumedes ille publicæ ſalutis ſcopulus Anno 622. ex Arabiæ prædone factus orbis terrarum latro Aſiam primum, mox Africam diro jugo ſubmiſit, partesque Eccleſiæ nobiliſſimas protrivit. Donec Anno 637. Palæſtinam, ſeu terram ſanctam, regnumque & Eccleſiam Solymæam obruerent ejus ſequaces.

2. Hi latrones, quos Turcas jam vocitare uſus eſt, Saraceni id ætatis dicti anno 711. ex Africa in Europæ nobiliſſimum regnum Hiſpaniam transmittunt. Evocati (pro pudor!) a Juliano quodam, qui a rege Gotho-Hiſpanico injuria neſcio qua forte affectus, impotens iræ has ex Africa furias, Mauros inquam, excivit: qui ea vi, eâque copiâ nobili regno incubuerunt, ut illud non tantum ad annum usque 1481. (quo anno a Ferdinando Catholico Arragoniæ rege omnes expulſi ſunt) annis fere 800. miſere oppreſſerint: ſed & Galliam, Italiamque perpetuis incurſionibus vexaverint.

3. Neſcio, mitiusne fuerit bellum ab Iconoclaſtis hæreticis Eccleſiæ factum, (A. 717.) in Oriente maxime, ſed & in Occidente graviſſimum, totoque illo ſeculo graſſatum.

§. IV.

§. IV.
Diſciplina atque Doctrina illius ævi.

Q. I. *Quo loco Doctrina Eccleſiæ atque Diſciplina tum fuerunt?*

℞. Cum Doctrina Eccleſiæ ſibi perpetuo conſtet, non eſt, quod autumes, hujus ævi doctrinam a prioris ætatis dogmate fuiſſe diverſam. Nihilominus cum antiquiſſimum atque ab Apoſtolis traditum ſacrarum imaginum cultum impugnarent hæretici Iconoclaſtæ, æmuli Vigilantii, Eccleſiæ negocium fecerunt palam, magisque clare eundem cultum & decernendi, & explicandi, & ritus præſcribendi. Idque præcipue factum in ſeptima Synodo Generali Conſtantinopoli inchoata an. 780. & Nicææ abſoluta an. 787. Quo ex tempore Honor imaginum ab Iconoclaſtis oppugnatus non ſolum non evanuit, ſed multo quam antea celebrior evaſit. Atque hoc mihi in omnibus hæreſibus obſervaſis. Qua enim in re Eccleſiæ adverſantur Hæretici, eadem in re Eccleſia fit auctior.

2. Diſciplina vero Monaſtica quam vaſtum ſumſerit incrementum, facile ex illis leges, quæ paulo ante de *Propagatione Eccleſiæ* §. 2. narrata ſunt.

§. V.
Hæreſes.

Q. I. *Septimo ſeculo Mahometem ex orco extitiſſe ajebas. Dic jam, ſi quid, de eo quod dicas, habes.*

℞. Mahometes anno 570. patre ethnico, matre Judæa natus in Arabiæ Urbe Mecca. Primum mercatu-

ram fecit, more gentis. Coactis inde opibus majorem potentiam, sortemque meditari cæpit, ipsaque abusus religione *Alcoranum* edidit castigatioris metri carminibus textum, auresque & animos imprudentium mulcentem. Huic addidit quædam in speciem mira. Auriculas enim suas esca farserat, eamque ut inde peteret, assuefecit columbam; quo persuasum hominibus voluit, cælitus sibi suggestam esse doctrinam. Caduco præterea morbo laborans; quoties eodem tentatus solo affligebatur, extasi se fuisse abreptum mentitus est nebulo. Rebus ex animi sententia succedentibus, prædonum copias, quorum in Arabia ingens est vis, in suas partes traduxit, ac paulatim Arabico principatui incubuit. Meccæ primum, mox, inde pulsus a civibus, Medinæ sedem tyrannidis fixit, ac demum an. 630. hausto veneno interiit.

Q. II. *Quæ caussa est, quod* Turcæ *vocentur ejus asseclæ?*

℞. Initio Saracenis nomen erat, atque etiam Agarenis: Verum A. 730. Scythiæ orientalis quidam populus Caucasi superatis jugis Iberiam occupavit, seu illum terrarum tractum, qui *Georgia* hodie audit. *Turcæ* dicebantur, quod Rusticos ac crudos homines sonat. Hi primum cum Saracenis acri bello commissi, mox arcto fœdere iisdem adversus Christianos juncti sunt; nomenque *Turcarum* in Saracenos etiam transfusum An. 763.

Q. III. *Quæ sunt* Alcorani, *& nefariæ sectæ capita?*

℞. Tot gerrarum, fabularumque plaustris scatet, ut pigeat meminisse. Hæc tamen accipe, DEUM unum esse credunt, sed frigide satis: nam solem cum antiquis Persis, maximeque Lunam divino fere cultu prosequuntur. Christum Deum esse negant, Prophetam

phetam tamen extitisse non dissimulant, Maria interim matre contemtui habita. Mahometen velut editum a Deo exemplar suspiciunt, summosque ei honores habent. Circumcisione utuntur cum Judæis. Hominibus a morte alteram restare vitam credunt, sed nil in ea nisi fœdissimas corporis voluptates somniant. Non pauci tamen, imo plerique hodie præsertim Athei sunt, animasque mortales suspicantur. Alii e Pythagoræorum sententia Metempsychosin admittunt. Carne porcina, vinoque ipsis est interdictum.

Ipsum hujus doctrinæ furfurem commiscuit Mahometes adhibita opera Judæi cujusdam, & alterius hæretici Nestoriani: non missa interim Græcorum sive Gentilium superstitione.

Ab infausta porro infandi hujus monstri morte quatuor præcipue ejus discipuli extiterunt, qui inter se divisi suas quisque sectas auxerunt, quæ hodieque extantes odiis plus quam Vatinianis invicem petunt. 1. *Melichi* Arabes & Afros suis in partibus numeravit. 2. *Ali* Persas. 3. *Omari* Turcas. 4. *Odemani* Tartaros.

Q. IV. *Octavi seculi hæreses enumera?*

℞. Una fuit aliarum princeps, *Iconoclastarum* nempe. Primum sacris imaginibus, Sanctorumque reliquiis bellum indixit Jezido Saracenis in Africa imperitans: idque hortatu Judæi. (A. 723.) Sacrilegum hoc ausum non segniter prosecuti sunt Orientis Imperatores aliquot *Leo Isauricus*; *Constantinus* a stercore, quo sacrum Baptisma infans fœdaverat dictus *Copronymus*; ejusque nihilo melior filius *Leo IV.* Nec Occidens plane ab ea peste fuit immunis. At Romani Pontifices, Irene Imperatrix Orientis, & Carolus M. Occidentis sanctorum Cælitum honori egregie militarunt; eaque hæresis Concilio septimo Generali Constantinop. A. 787. est profligata. At vero Calviniani, Lutheranique

que ſancti ſibi, puriſſimæque doctrinæ æmuli videntur, cum Judæorum iſtorum, Saracenorum & Copronymorum tam ſancto, (ſi ſuperis placet) exemplo utroque pollice ſubſcribunt, ac majoribus etiam, quam illi, furiis in Sanctos debacchantur.

§. VI.
Viri illuſtres.

Q. I. Qui tales ſeculo potiſſimum ſexto habiti ſunt?

R: Equidem non paucos tibi prodidi jam nuper, cum de *propagatione Eccleſiæ* ſermo eſſet, §. 2. Illis tamen, ut aliis recenſendis ſuperſedeam, hos potiſſimum adnumerari velim.

1. S. *Iſidorus*, a Theodorico Italiæ rege ſanguinem duxit, puer cum literis operam daret, ea fuit hebetudine, ut vix non deſperandum ei fuerit de ſucceſſu. Uſu tamen evicit adeo, ut reconditioris doctrinæ fere nihil intactum reliquerit. D. Benedicti legibus nomen ſuum ſubſcribens demum S. Leandro Germano ſuo ad Mitram Hiſpalenſem ſuffectus eſt. Cœlos adiit A. 636.

2. S. *Ildephonſus* e Satrapa Hiſpaniæ Monachus Benedictinus Almæ Virgini, cujus Virginitatem adverſus Hæreticos Helvidianos egregiis ſcriptis propugnavit, in amoribus fuit. Demum Archi-Præſul Toletanus obiit A. 667.

3. S. *Joannes Damaſcenus* clarus natalibus, ejusdemque civitatis præfectus, vel ipſi Cæſari Leoni Iſaurico obſiſtere nihil veritus, SS. Imaginum honorem ſtricto in eum calamo aſſeruit, (A. 727.) Dextra eam ob cauſſam ab Iconoclaſtis multatus, mutilum membrum ſtatuæ Divæ Virginis Dominæ ſuæ cum prece obtulit, retulitque e veſtigio ſanum & integrum. Hoc captus

captus miraculo ſacræ Monaſtice ſeſe conſecravit. Ubi ea fuit modeſtia, ut juſſus a majoribus nihil plane cunctaretur viles quasdam merces venum deportare atque exponere ea ipſa in urbe, cujus ante præfectum egerat. Ad ſcribendum deinde advertere animum denuo juſſus, libros elucubravit, quibus ad Theologiam Scholaſticam viam poſteris præluxit (ſub an. 750.) Quos latinitate donatos primus edidit D. Jacobus Billius Abbas S. Michaëlis in eremo Benedictinus. an. 1577.

4. *S. Beda*, Anglus cœnobio SS. Petri & Pauli Londini adſcriptus puer non plus quinque natus annos, totam ætatem cum in orando, tum in ſcribendo, tum docendo trivit. Quidquid eſt mitiorum muſarum, evolvit. Græcæ, Hebraicæque peritus ſacros præcipue Libros interpretatus eſt, ea cum laude, ut ejus adhucdum in vivorum numero degentis commentaria in Eccleſiaſticis officiis relegerentur. Tanti ab omnibus habitus, uti haud alio, quam *Venerabilis* nomine compellaretur. Vitam mortalem cum immortali commutavit Senecio A. 731.

5. *B. Alcuinus* demum e Schola Ecberti Abbatis, qui Vener. Bedam exceperat, profectus a Carolo M. ſummis regni, Imperiique negociis adhibitus, deſignatis plurimis per monaſteria, aliaque loca Scholis Doctrinæ in Germania atque Gallia merito parens & autor habetur. E vivis abiit A. 808.

CAPUT IV.

A Leone III. an. 795. ad Gregorium V. An. 996.

Seu

Ætas turbulenta.

Q. *Quam*

Q. *Quam ob causam turbulenta?*

℞. Id nominis præcipue in seculum decimum quadrat, quo vertente seculo omnia per Italiam misceri visa. Quæ caussa fuit, cur aliqui etiam Pontifices fuerint vitæ ad Sanctitatis leges non nimis compositæ.

§. I.

Series Romanorum Pontificum a Leone III. ad Gregorium V.

Q. I. *Hadrianus I. Caroli M. Regis ope, extincta Longobardorum tyrannide, res Romanas feliciter restituit. Sed num ætatem ea res tulerit, dic amabo, & quinam posthac Pontifices?*

℞. 98. *S. Leo III.* Romani sanguinis, antiquæ virtutis, Benedictinæ familiæ Hadrianum excepit An. 795. Hunc factiosi quidam equo detractum luminibus orbarunt, multaruntque lingua. (A. 799.) Utraque miraculo eidem sunt reddita, ipseque ad Carolum tetendit in Franciam, Carolus Romam, Pontificem ab injuriis vindicaturus. Rebus compositis Leo sub noctem Salvatori natalitiam sacris operatus Carolum ab universo Populo Augustum salutari imperat, ipseque adeo Imperatorem inaugurat. Atque hunc in modum Pontifici debetur restituta in Occidente Imperialis Majestas, quæ trecentis & amplius annis inde exulaverat. Ad cœlos penetravit S. Leo A. 816.

99. *Stephanus V.* Benedictinus, Romanus. (An. 817.)

100. *Paschalis I.* Benedictinus, Roman. (A. 824.)
101. *Eugenius II.* Romanus. (A. 827.)
102. *Valentinus*, Benedictinus, Romanus. (Anno eodem.
103. *Gregorius IV.* Benedictinus, Romanus. (An. 844.)
104. *Sergius II.* Benedictin. Roman. (A. 847.)
105. S. *Leo IV.* Benedictinus. Vaticanum mœnibus cinxit, ea ædificiorum parte urbem auxit, quæ ejus deinceps nomen gessit, urbis Leoninæ. Ad Cælites migravit. A. 855.

Q. II. *Audivi nescio quid de Fabula* Joannæ Papissæ. *Quæso, ut evolvas ænigma?*

℞. Enimvero confinxerunt Hæretici, S. Leoni IV. in Pontificatu suffectam esse feminam, quæ *Joanna* nomen gesserit. Utque fucum facerent orbi, veterum aliquot historicorum Libris eam assuerunt, Scoti nempe, Sigeberti &c. Atqui illum centonem in genuinis illorum scriptorum & autographis libris desiderari dudum a multis demonstratum est. Ipsos certe hæreticos hujus doli puduit; eosque inter Blondellus utut pessimi in SS. Pontifices oris & animi, edito libro data opera hanc stropham confutavit, ut adeo apud omnes Scriptores in proverbium abierit *Fabula* Joannæ Papissæ. Et vero, ut fuisset Joanna aliqua Papissa, qui possunt id improbare nostri hæretici, qui diserte docent, omnes Christianos, feminas etiam esse Sacerdotes?

Ipsi sibi placent, qui Lutherum cum Catharina sua non modo velut Pontifices, sed velut Evangelii autores (quæ tamen autoritas ad JESUM Christum solummodo pertinet) colunt, plus quam Petrum & Paulum? Cur ergo tantopere ipsis displicere deberet, si etiam Catholici suos inter Pontifices unam numerarent feminam? Quod tamen factum est nunquam.

Q. III. *Abeant perditissima hæc somnia in Græcum Tau. Tu ceteros Pontifices ordine percense.*

R. 106. *Benedictus* III Romanus, Benedictinus, successit Leoni. A. 855. Eum vita deseruit. A. 858.

107. *Nicolaus* I. Benedictinus, Romanus, diem supremum clausit. A. 867.

108. *Hadrianus* II. Romanus, Benedictinus. In Photium, qui Constantinopolitanum patriarchatum sacrilego ausu invaserat, sibique eum assertum volebat, Potestatem Ecclesiasticam exercuit, sanctumque Ignatium ab illo sacrilego deturbatum suæ Dignitati reddidit. Obiit A. 872.

109. *Joannes* VIII. Roman. (An. 882.)

110. *Marinus* I. Aliquibus Martinus II. audit. Etruscus, ut alii volunt, Gallus. (An. 884.)

111. *Hadrianus* III. Roman. (A. 885.)

112. *Stephanus* VI. Rom. (A. 891.)

113. *Formosus*. Hic, quod dicto minus audiens esset, Episcopatu Portuensi quondam motus a Joanne VIII. sed in gratiam receptus a Marino PP. Pontificali demum ornatus mitra prospere, animoque constanti rem Catholicam gessit: Photium Constantinopolitanum denuo subegit. Obiit A. 896.

* *Huc ætatis devoluta jam est narratio, quam turbulentam in vestibulo hujus capitis edixi.*

Q. IV. *Quid ita?*

R. Possem equidem hæc præterire silentio: sed cum historia, quæ veritatem dissimulat, fidem etiam in suspicionem adducat, oportet puram, putamque prodere veritatem. Nempe Pontifices quosdam dehinc extitisse vitæ parum probatæ. Hic enimvero cristas attollunt Hæretici, plaudunt, Fidemque Catholicam explodunt, ut quæ malos Pontifices dederit, quos sancti illi, si diis placet, viri audent etiam Antichristos blasphemare.

Q. V. *Sed quid demum in defensionem Pontificum contra Sectarios affers?*

℞. Non faciam veritati injuriam, neque Pontifices, qui sequiorem vitam agebant, sanct s dicam. Hoc tamen non tacebo, quod, qui præsentem rerum statum perspectum habuerit, minime mirum ducturus sit, Pontificem unum alterumve a virtute declinasse.

Carolo Crasso Imperatore & Galliæ, Italiæque Rege a Germanis in ordinem redacto, quod mentis & consilii inops Imperio adversum Normannos immanissimam gentem servando impar esset, misera fuit regnorum & Imperii facies (A. 887.) Cum enim Arnulphus in locum Caroli cooptatus omnibus negociis gerendis haut sufficeret, quisquis procerum, ducumque nonnullarum virium erat, suis rebus studere cæpit. Itali maxime per Lombardiam (ea enim Italiæ pars Cæsareæ ditionis tum erat, per Duces quosdam vicaria potestate administrata.) Hi etenim a Cæsaris armis remotiores plus audebant. Eos inter agmen duxit *Vido* Dux Spoletanus: quem secutus est *Berengarius* Dux Forojuliensis (Friaul), atque demum *Adelbertus* Thusciæ (hodie Florenz) Marchio potentissimus. Hi arrepta Tyrannide Imperatoriam potestatem atque insignia pro se quisque usurpabat: dumque nihil jure, sed vi atque armis omnia agerent, lugenda erat Pontificum hos inter lupos sitorum conditio. Quisquis enim altero superior in acie evasisset, a Pontifice inaugurationem extorsit; quem, si negâsset, turpiter exulare jussum, aut vinculis gravem vita quoque multârunt, substitutis in sanctam illam sedem hominibus suarum partium, nulla habita doctrinæ aut sanctitatis ratione. Ab Adelberto præcipue hæc injuriarum caterva profecta est. Hic enim Theodoram quandam majorum sanguine claram, sed nullius non vitii ream summis opibus potentiaque auctum ivit:

Quæ

Quæ impotentis ambitionis femina Romanæ civitatis Monarchiam ambiebat, muliebri faſtu in ſacra etiam & Pontificum ſummorum thronum abuſa. Quid quod Maroziam & alteram Theodoram ſuos fœtus hæc vipera ediderit: quaſi in ſtragem rei publicæ Mater ſola non ſufficeret.

§. Nec tamen blandiantur ſibi hæretici. Quodſi enim omnes, qui unquam intruſi ſunt malorum morum Pontifices in unum collectos compoſueris cum uno tantum hæreſiarcha Luthero aut Calvino, iidem Pontifices ita comparati adhuc etiam ſancti videbuntur. Ut nemini poſſit eſſe dubium, quin antichriſti nomen atque omen Luthero multo aptius conveniat.

Q. VI. *Iſtis autoribus Pontifices quosdam evaſiſſe minime ſanctos, haut eſt, quod mirer amplius. At ajunt hæretici, his Pontificibus Religionis Chriſtianæ integritatem ruinam traxiſſe?*

℞. 1. Proferant hæretici novum aliquod Fidei dogma, & prioribus ſeculis adverſum, quod ab hujusmodi Pontificibus in univerſalem Eccleſiam fuiſſet invectum! Proferant, inquam! Si nihil a Fide alienum docuerunt Pontifices, qui corrumpere Eccleſiam potuerunt?

2. Mirum! Cum eſſent Pontifices non boni, idque orbis ſciret, nemo tamen tanto illo tempore putavit ſibi ab Eccleſiæ Catholicæ doctrina eſſe recedendum ob ſequiores Pontificis mores; cum DEUM falli non poſſe probe agnoſcerent, qui conceptis verbis præcepit: *Super cathedram Moſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi: quæcunque ergo vobis dixerint, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.* Quid ergo cauſæ eſſe potuit, quod Lutherus a Fide reſilierit etiam tum, cum ſancti eſſent Pontifices?

3. Hui! qua demum fronte hoc argumento (pravis Pontificum quorundam moribus) in Ecclesiam Catholicam audent abuti hæretici? Apostata, Stuprator, rebellionum in legitimos Principes incentor, templorum expilator, spurcissimi oris scurra, in DEUM & JESUM Christum non semel lingua & calamo plus quam Mahumedes blasphemus Lutherus potuit novum (si Superis placet) Evangelium condere, *novam constituere* Ecclesiam, purissimam spargere doctrinam: cur negent calumniatores hæretici, *antiquam* Ecclesiam dudum a Christo per Apostolos constitutam *perseverare* potuisse sub Pontificibus utut corruptorum morum, longe tamen leviorum scelerum reis?

4. Ut taceantur tot sancti ante istud decimum seculum Pontifices: illi Pontifices optimi, qui hos quatuor aut quinque malos in hodiernum diem numeroso ordine secuti sunt, non potuerunt immensis suis laboribus per tot viros sanctissimos, unaque doctissimos, quos suis in obsequiis semper numerarunt, hi inquam, non potuerunt emendare, si quid erratum fuisset ab uno alterove malo Pontifice; cum tamen erratum nunquam fuerit? Ergone expectandus fuit fœdissimus bipedum Lutherus, diabolo, ut ipse gloriatur, familiariter usus?

5. Denique cur quatuor forte malos Pontifices diductis oculis, ac lævo hirquo considerant, & omnes interim sanctos Pontifices, quorum plerique suo etiam sanguine (quod nullus unquam Lutherus audeat) Christo sponte litarunt, hos inquam cur tam petulanter silent?

Q. VII. *Æterno silentio mergatur scabiosa hæc pestis. Tu vero, qui demum fuerint Pontifices, exequere.*

℞. * Ab obitu Formosi PP. factiosi illi quendam suscitarunt Antipapam imperato illi nomine *Bonifacii*

cii VII. Sed non amplius 15. diebus indulſit Numinis vindicta.

114. *Stephanus* VII. Malus. Ab adverſa parte truſus in carcerem eliſis faucibus necatus eſt. (A. 897.)

115. *Romanus* I. Bonus. (A. 898.)

116. *Theodorus* II. Romanus, die vigeſimo extinctus. Bonus. (An. eod.)

117. *Joannes* IX. Tiburtinus. Obiit paulo poſt (An. 900.)

118. *Benedictus* IV. Bonus Pontifex; Benedictinus. (An. 903.)

119. *Leo V.* Benedictinus altero menſe datus in vincula a Chriſtophoro.

120. *Chriſtophorus*, ſeptimo menſe idem fatum ſubiit ab armis Adelberti Marchionis. Eum aliqui e Pontificum albo expungunt.

121. *Sergius* III. Malæ vitæ. (An. 911.)

122. *Anaſtaſius* III. Romanus. Pius Pontifex. (An. 913.)

123. *Lando*, Sabinus. Obiit menſe 6. ancipitis famæ vir. (A. 914.)

124. *Joannes X.* Intruſus a Theodora: bene adminiſtravit Eccleſiam; Saracenos Italia expulit. Cæterum cum male cæpiſſet vivere, facti poſtea pœnitens: pœnas tamen dedit: nam a Marozia dejectus, in carcere obiit (An. 929.)

125. *Leo* VI. a ſeditioſis oppreſſus. Cetera Bonus.

126. *Stephanus* VIII. (A. 931.)

127. *Joan.* XI. Intruſus a Vidone, a Germano ſuomet in cuſtodia detentus expiravit. (An. 936.)

128. *Leo* VII. Bonus. (An. 939.)

129. *Stephanus* IX. Germanus, ab Alberici Romæ Tyranni miniſtris indigne habitus facie turpiter conciſa, publico abſtinere coactus eſt: Laudabiliter tamen rexit Eccleſiam. (An. 942.)

130. *Marinus II.* Aliis Martinus III. Romanus. Bonus, & Sanctus. (An. 946.)

131. *Agapetus II.* Bonus. (956.)

132. Octavianus. Alberici Tyranni filius undeviginti natus annos, acceptus tamen a Clero pacis, ac vitandi schismatis ergo. Primus nomen mutavit assumpto *Joannis XII.* Ut adeo fallant, qui id a Sergio IV. Bucca porci ante dicto factum narrant. Ottonem I. Imperatorem coronavit. (A. 962.) Sequente mox anno Berengarii Forojuliensis Ducis territus minis cum eo amicitiam composuit. Male id accipiens Cæsar Romam cum exercitu veniens, dilapso Joanne, extorsit a Romanis promissum, se nullum deinceps Pontificem admissuros, nisi Cæsaris autoritate.

* Leo igitur VIII. ab eodem Imperatore constitutus est Antipapa.

Sed non multo post a Joanne expulsus. Fuit Joannes vitæ corruptæ; sed plura tamen in eum crimina adornant hæretici, ac veritati sit consentaneum. Obiit Anno 964.

133. *Benedictus V.* Inconsulto Imperatore cum esset electus, in exilium ejectus obiit Hamburgi, Optimus Pontifex (965.)

134. *Joan. XIII.* Romanus. Obiit (A. 972.)

135. *Benedictus VI.* Roman. Suffocatus a quodam infensorum. (974.)

* Bonifacius VI. antipapa. Is fuit Benedicti parricida.

136. *Donus II.* Romanus. (A. 975.)

137. *Benedictus VII.* Rom. (A. 984.)

138. *Joannes XIV.* Bonifacius ille antipapa hunc in Castro S. Angeli necavit. (A. 985.) Ipse brevi dein repente extinctus.

139. *Joannes XV.* Clavum Ecclesiæ cum laude temperavit. (Anno 996.)

§. II.

§. II.
Propagatio Ecclesiæ.

Q. I. *Estne sperare aliquod Ecclesiæ incrementum tantas inter procellas?*

℞. Ut manu tangas providentiam Numinis, Ecclesiæ invictum vigorem, & hæreticorum contra mendacia, noveris oportet, non duntaxat nono seculo, sed decimo quoque, sub iisdem Pontificibus, quos tantopere sugillant, late increvisse Catholicam Ecclesiam.

1. Populi illi sub frigido axe gementes veri luminis hactenus expertes idem hauserunt laboribus fere quadragenalibus S. *Anscharii* Benedictinæ disciplinæ monachi; ab anno 826. *Dani*, inquam, *Sueci*, *Slavi*, *Hamburgenses*, quorum etiam Archiepiscopum sanctus ille primus egit: (A. 832.) Obiit 865.

2. *Bulgari* in Ecclesiæ fidem recepti, Rege eorum Bogare suasu conjugis Christianæ baptizato. (A. 861.)

3. Idem exemplum secutus sua cum gente Uratislaus Slaviæ, seu *Moraviæ* Princeps, per S. Methodium (A. 857.) qui mortuus est sub an. 895.

4. *Poloni* sub Joanne XIII. PP. (An. 966.)

5. *Pannonum* non pauci sub finem decimi seculi.

§. III.
Persecutiones.

1. Seculo nono in Oriente Iconoclastarum hæresin, atque una furfurem suum in Catholicos resuscitavit Leo

Leo Armenus Imp. A. 812. eumque secutus Michaël Balbus (A. 820.) & Theophilus, Impp. (A. 829.)

2. In Hispaniam Maurorum furor grassari perrexit. (A. 840.) Attamen respirare nonnihil cœperunt sub ea tempora reges ibi Christiani, victoriis aliquot a barbara gente ope S. Jacobi Ap. reportatis.

3. *Nortmanni* ex ultima Saxonia, Scandiaque (Daniam hodie dicimus) erumpentes, gens ferox, durique Martis Caroli M. jam ævo An. 810. Oram Galliæ extremam infestare: mox An. 841. etiam in viscera regni penetrare, Ecclesiarum, Monasteriorum, urbium immanes strages edere, nec his contenti Hispaniam etiam eodem fato subjicere A. 858. Italiam perrumpere, iterumque Galliam A. 861. Germaniam denique inferiorem A. 882. Tandem Arnulphus Germaniæ Rex prope Lovanium adortus Barbaros, 100000. neci dedit, suorum vix uno desiderato. Signa hostibus erepta in Bajoariam Triumpho ducta sunt. Anno 892.

4. Seculo decimo quæ potuit esse Ecclesiæ lugenda magis clades, quam illa in Romanam Sedem Tyrannis, quam 1. §. adumbravi?

§. IV.

Doctrina ac Disciplina.

1. **Doctrina** Ecclesiæ, quæ ad fidem pertinet, etiam turbidis his temporibus vitium nullum fecit: sive de Deo ac Divinis, sive de Sacramentis, aliisque dicas.

2. Ritus tamen hinc inde non quidem corrupti, sed in melius etiam traducti sunt. Alios inter notari meretur ritus Canonizationis Sanctorum. Semper quidem in Ecclesia Martyres, aliique sancti homines

nes non in vita solum, sed & a morte venerationi fuerunt fidelibus. Et primis quidem temporibus, cum pietas ac devotio Christianorum in apice esset, illis sanctorum honores delati sunt, qui ob insignes virtutes, & mira Dei nomine patrata, digni tali honore habiti fuerunt ab Episcopis locorum, communique populorum consensu ac Fide: atque hæc apotheosis seu Canonizatio, ob communem consensum ac pietatem, extra periculum erat posita: *Vox* enim *populi* (pii videlicet, & legitimis Episcopis parentis) *Vox Dei*. At tepescente pietate cum metuerent Summi Pontifices, ne labem patiatur Ecclesia, si populo jam in deterius vergenti permitteretur Sanctorum proclamatio, decreverant, nemini deinceps Sanctorum honores deferendos esse, nisi in quorum vitam, virtutem, atque miracula inquisisset summa sedes, adhibitis aliis cautelis, ac cerimoniis. Idque primum observatum fuit in Canonizatione S. Udalrici Episcopi Augustani a Joanne XV. PP. (An. 993.) Ut probat Mabillonius.

3. Ceterum monastica disciplina seculo X. haut parum a primo flore ac decore remisit. Nec mirum tantas inter bellorum turbas, quibus collisi sunt Itali, Galli, Germani; Nortmannorum quoque inter prædationes.

§. V.

Hæreses & Schismata.

Q. I. *Quid ais esse* Schisma?

℞. Scissionem ac separationem sonat græca vox *Schisma*. Illique Schismatici dicuntur, qui a Catholica Ecclesia, & ab ejus supremo in terris Capite summo nimirum Pontifice se segregant, utut nullum alias in

in fide errorem defendant: modo Ecclesiam non audiant, ejusque Capiti Pontifici obedientiam negent.

Q. II. *Natumne est aliquando id genus Schisma?*

℞. Natum non semel: ac quoties quis contra jure electum Pontificem sese erigit, cathedramque supremam ambit, Schisma Pontificium est. Quod sane hæc ipsa turbulenta ætas seculo præsertim decimo vidit. Ceterum multo maxime deplorandum est Schisma Ecclesiæ, cum tota aliqua provincia sese jugo subducit.

Q. III. *Fuitne unquam tale Schisma?*

℞. Utinam nunquam fuisset, *Schisma* præsertim illud *Græcorum*, quod in hunc usque diem lacrimis prosequitur Ecclesia.

Q. IV. *Cedo mihi ejus Schismatis originem, progressum ac finem.*

℞. Originem atque progressum dabo: sed finem, heu! nequeo: adhuc enim durat.

1. *Origo* Schismatis Græcis talis fuit. Græci post hominum memoriam de fide, seu constantia semper male audiunt, ut in proverbium etiam cesserit *Græca fides*. Inquieti itaque homines ad res novas semper intenti turbas amant, ac præsertim Majorum jussis atque imperio stare fugiunt. Titillavit hunc Græcorum fastum sedes Imperii Romani, Româ Byzantium translata, quæ dein Constantinopolis dicta est, Græciæ vicina fere urbs. Majores etiam animos addidit Imperii divisio in Orientem & Occidentem. Hinc paullatim Constantinopolitani, non cives modo, sed & Patriarchæ, autoritatem Romani Pontificis insuper habere tentarunt; cum sperarent, se a suis Constantinopolis Imperatoribus etiam contra Romanos facile defensum

fenfum iri. Etfi vero id a melioribus Imperatoribus nunquam impetrarunt, impetrarunt tamen ab hæreticis illis Leone Ifauro, Leone Armeno atque aliis: quorum Iconomachiæ cum perpetuam dicam fcriberent Romani Pontifices, Patriarchæ Conftantinopolitani ea occafione ftrenue in rem fuam abufi funt. Nunquam tamen res in apertum fchifma eruperat, donec pertinacioris ambitus homo latam illi januam panderit. *Photius* is fuit illuftris profapia, nec eruditione, maxime profana, inferior, fed ambitiofo fpiritu etiam fuperior. Hic Bardæ fupremi in aula Satrapæ machinis Patriarchatu Conftantinopolitano donatus eft, (A. 857.) per invidiam inde dejecto S. Ignatio, qui Bardæ fibi iram meruerat acri vitiorum ejus correptione. Hæc Michaële III. Græcis imperante. At Bafilius Macedo jufti amantior S. Ignatium revocavit, (A. 867.) Photium exeffe juffit, qui & ab Hadriano II. PP. in octava fynodo Generali Conftantinopoli coacta (A. 869.) e Chriftianorum cætu fubmotus eft, atque a Bafilio totaque fynodo damnatus, quod ante aufus fuiffet non folum fuarum partium Epifcopos a Romani Pontificis obedientia fubtrahere, fed eidem etiam excommunicationem minitari, itaque fchifmati initium dare. Fatis ubi conceffiffet S. Ignatius, (A. 877.) Bafilius Imp. Photium Epifcopatui reftituit, Romanum Pontificem Joan. VIII. precibus conveniens, ut id ratum habere vellet: quod is pacis ergo tulit. Verum Leo fapiens Bafilii filius Imp. Photii indole penitius cognita, cedere eum juffit. (A. 886.) Quo in exilio diem ultimum claufit. (A. 891.)

2. Refartum hoc modo Schifma nova plaga exulcerare tentarunt quidem Sifinnius II. (Anno 996.) ejusque Succeffor Sergius Patriarcha Conftant. fed irrito conatu. Cum ecce *Michaël Cerularius* Patriarcha Conftant. (A. 1053.) fubjectos fibi populos atque Epifcopos ad defectionem a Romana

sede sollicitavit: caussatus, varia in Ecclesia Latina seu Romana & Occidentali recepta esse dogmata a Fidei integritate abhorrentia. Post alia vero & hæc enumerat: *Quod Latini Sacerdotes barbam raderent; quod carnibus animalium, ut quidem ipse ajebat, immundorum vescerentur; quod sacro in officio osculum pacis præberent ministris; quod Alleluja Quadragesimæ tempore non cantarent; quod Episcopi tanquam Ecclesiarum sponsi annulis uterentur;* aliaque; sed vel inepte objecta, vel immerito erroris notata. At bonum illum Cerularium ad hoc tam fœdum Schisma nihil adegit aliud nisi fœdissima ambitio, petens Romano-Pontifici esse æqualis. Profecto mox Pontificia insignia usurpare palam cæpit. Leo quidem IX. PP. nihil reliquum fecit ad concordiam utrinque revocandam, scriptis epistolis, missisque ad Constantinum Monomachum Imp. Legatis: sed hic vulpem indutus primum quidem paci favere visus est; sed mox Cerularii defectionem suo calculo probavit.

3. Urbanus II. PP. indicto Barii in Apulia Concilio (A. 1098.) Græcos ad unionem invitavit. Qui comparentes uberrima S. Anselmi doctrina victi quidem sunt, sed concordia tamen non devincti. Ibique proscriptus est error multorum Græcorum asserentium, *Spiritum sanctum non a Patre atque Filio, sed a Patre solo procedere.*

4. Nec parum operæ perditum est in resarcienda pace: Imperatoribus Orientis male in Romanam sedem affectis ob translatum a Leone III. Imperium in Carolum M.

5. Joannes demum Palæologus Eugenii IV. PP. adductus obtestationibus nihil non egit, ut Schisma tolleret. Habito itaque Florentiæ Concilio Generali ipsoque Imperatore Palæologo, ac Patriarcha Constant. Josepho eo loci cum plurimis Græcorum conveniente, dexteras dederunt Græci, An. 1439. Patriarcha se Romanæ sedi subdidit, pieque defunctus est Florentiæ.

Reli-

Reliqui vero vix domum reverſi ad ingenium redierunt Græcamque fidem.

6. Itaque magnum Schiſma inſtauratum eſt. Et cum Turcarum barbara gens Conſtantinopolim, Aſiam, Græciamque omnem ſuæ ditioni ſubjecerit, ſpes ulla vix aſfulget ejus componendi, donec Deus olim pacatus Tyrannide Mahumedica expedierit nobiles illas terras: in quibus tamen hodie Eccleſiæ Orientalis antiquæ vix anguſta veſtigia reſtant.

§. VI.

Viri illuſtres.

Q. I. *Non multos autumo extitiſſe hoc tempore viros illuſtres?*

℟. Non omnino a vero abludis: ac ſi de doctrina quæras, in promtu cauſſa eſt: Strepentibus enim armis muſæ ſilent.

1. Id tamen noris, inſignes hoc ætatis, magnoque numero extitiſſe Hiſtoriarum Scriptores, ac pleroſque omnes e D. Benedicti cœtu; qui grandi beneficio omnes poſteros affecerunt memoria majorum conſervata.

2. *Smaragdus*, Abbas Benedictinus (A. 830.) alias inter majoris momenti lucubrationes ſcribere etiam dignatus eſt *Grammaticam magnam:* ſeu Libros quatuordecim commentariorum in Donatum.

3. B. *Rabanus* Maurus, patria Moguntinus, Abbas Fuldenſis, ejusdemque Academiæ olim celeberrimus Profeſſor, ac demum Archipræſul Moguntinus. (An. 856.) Græce, Hebraiceque doctus, omniumque ſcientiarum peritiſſimus.

4. *Strabo* ejus diſcipulus, e monacho S. Galli Abbas Augiæ divitis (Reichenau) *Gloſſam Ordinariam* in S. Scripturam compoſuit. (A. 870.)

5. *Notkerus* monachus S. Galli ævi sui doctiſſimus atque ſanctiſſimus, alia inter quam plurima librum edidit de ſtudiis veterum. (A. 912.)

CAPUT V.

A Gregorio V. an. 996. ad Seceſſum Avenionenſem, & Clementem V. PP. an. 1305.

Seu

Ætas Magnanima.

Q. *Quare Magnanimæ nomen hæc ætas ferat.*

℞. Cum ob Eccleſiæ decorem atque jura a Pontificibus magno infractoque animo defenſa contra ſummam etiam Imperatorum vim; tum ob ſacras in Turcam expeditiones, & Jeroſolymæ regnum inſtauratum.

§. I.

Series Pontificum a Gregorio V. ad Clementem V.

Q. I. *Quales per id tempus Pontifices Eccleſiæ moderati ſunt?*

℞. Ponentibus paullatim ventis melior ſors alluxit. Tyrannis enim Italiæ oppreſſis, nil fuit, quod probos viros Pontificiali Tiara ornari vetaret: niſi cum Imperatores maxime Henrici nimium ſibi in Pontifices ſumerent.

140. *Gregorius* V. Germanus, Suevus, Benedictinus, a Crescentio Romæ tyranno male quidem acceptus est; sed is ab Ottone III. Imp. Romam adventante ultimo supplicio est affectus. Vivere desiit optimus Pontifex An. 999.

141. *Sylvester* II. Gallus, antehac Bobiensis Abbas Benedictinus, & Ottonis III. Imp. atque Roberti Francorum regis Præceptor: qui cum Mathematicus esset insignis, miris inventis in stuporem rapuit omnes. Multique rudi illa ætate præstigiis ea fieri opinati sunt, idque etiamnum mentiuntur hæretici, calumniam hoc ipso etiam Cæsari, regique struentes. (Obiit A. 1003.)

142. *Joannes* XVI. Romanus. Menses modo 5. præfuit.

143. *Joannes* XVII. Romanus. Bambergensem Episcopatum a S. Henrico & Ghunegunde Imperatoribus fundatum confirmavit. Obiit anno 1009.

144. *Sergius* IV. Italus. (A. 1012.)

145. *Benedictus* VIII. Antipapam Gregorium passus a S. Henrico Imp. adjutus est. Naturæ concessit. An. 1024.

146. *Joannes* XVIII. Thuscus gente; Germanus Benedicti VIII. frater. (A. 1033.)

147. *Benedictus* IX. Filius Comitis Tusculani undennis a patre intrusus, a Clero consentiente est receptus ad evitandum schisma. Attamen

* Silvester III. Antipapa in eundem est concitatus.

Ipse vero cum esset moribus ad virtutem male compositis, abdicavit. (An. 1044.)

148. *Gregorius* VI. Benedictinus: pedum sponte posuit. An. 1046.

149. *Clemens* II. Saxo, Episcopus ante Bambergensis. (An. 1047.)

150. *Damasus* II. Bavarus. (An. eodem)

151. *Leo* IX. Alſata. A Cæſare deſignatus Pontifex munus ante non ſuſcepit, quam Clerus, populusque Romanus conſentiret. (An. 1054.)

152. Hactenus jus ſtatuendi Pontificem ſibi arripuit Henricus III. Imp. Negabant quidem Romani; ſed vindicando juri non ſufficientibus neceſſe fuit connivere. At Leone defuncto Hildebrandum mittunt Cardinalem cordatum virum & cumprimis doctum atque pium, Romano nomine ut a Cæſare peteret Pontificem eum, qui maxime ipſi Hildebrando arrideret. Petiit Gebehardum Epiſcopum Eichſtettenſem. Virum ſibi neceſſarium dimittere renuit Cæſar. Aſt Hildebrandus eo etiam invito illum abducit Romam, ubi inauguratus eſt *Victoris* II. nomine. Sacris operanti venenum in S. Calice temperaverat nonnemo: ſed Pontifex calicem levare nulla vi potuit, atque latro e veſtigio dæmoni in prædam ceſſit, (An. 1057.)

153. *Stephanus* X. Lotharingus, Abbas Caſinenſis Bened. (A. 1058.)

154. *Nicolaus* II. Optimus Pontificum: An. 1061. Berengarii hæreſin proſcripſit. (1061.)

* Antipapa Benedictus X.

155. *Alexander* II. antea Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, Benedictinus. Hunc præter ſuam autoritatem electum ægre ferunt Agnes Imperatrix & Henricus IV. ejus filius. Unde Antipapam deſignant

* Honorium II. *Cadaloum* alias dictum Parmenſem Epiſcopum; qui armis ſibi poſſeſſionem quæſivit ſed fruſtra.

Alexander naturæ debitum ſolvit 1073.

156. *S. Gregorius* VII. Is eſt Hildebrandus ille monachus Cluniacenſis Benedictinus, a quinque jam Pontificibus ſummis Eccleſiæ negociis adhibitus. Henricum IV. Imperatorem hoſtem nactus, Eccleſiæ immunitatem ſtrenue adverſus eum propugnavit, diris Eccle-

ſiaſti-

ſiaſticis eum devovit, (A. 1076.) at tandem nudipedem ſeſe ſiſtentem abſolvit. Verum Cæſar id nonniſi metu Germaniæ procerum fecerat, qui nuncium ei miſſuri erant, niſi actutum ab excommunicatione expediri ſe curaret. Hinc oportuniorem nactus occaſionem poſita larva palam in ſanctum Pontificem graſſatus eſt, &

* Guibertum quendam indito *Clementis III.* nomine Antipapam ei oppoſuit (A. 1080.) Romam obſidione biennio preſſit,

nihilque non hoſtile in Romanos exercuit. Pontifici tamen larga ope adfuere Agnes ipſa Henrici parens, Beatrix Godefredi Lotharingiæ & Tuſciæ Ducis Uxor, nec non hujusmet filia Mathildis. Quæ ipſa Romanæ Eccleſiæ Tuſciam & Liguriam dono obtulit: quod nobile donum *Terra Mathildis*, & hodieque *Patrimonium D. Petri* audit. Nemo ejus ævi ſcriptorum eſt (ſi pauciſſimos excipias ſchiſmatis ſtudioſos) qui non inſigni laude mactet Gregorium VII. Quem tamen conviitiis proſcindunt heri nati hæretici, ne quidem ingentibus ab eo Sancto patratis prodigiis in meliorem ſententiam adducti. Cælos petiit An. 1085.

157. *S. Victor* III. antea Deſiderius Abbas Caſinenſis Benedict. Anno integro tergiverſatus eſt Pontificium pedum accipere. Expeditione in terram ſanctam adornata centena Saracenorum millia ſuſtulit. Ad meliora tranſiit An. 1087.

158. *Urbanus* II. Gallus Monachus Cluniaci Benedictinus, & Epiſcopus Oſtienſis. (An. 1099.)

159. *Paſchalis* II. Monachus Benedictinus. Eo rem Eccleſiæ publicam gerente Guitbertus Antipapa extinctus eſt: (An. 1100.) cujus in locum

* Schiſmatici binos ſuffecerunt; ſed nullius nominis: tertium denique dixerunt Silveſtrum IV.

Agebatur hoc tempore caussa investiturarum, quam §. 5. *de hæresibus & schismatis* descripturus sum. Obiit An. 1118.

160. *Gelasius II.* Campanus, Monachus Casinensis Bened. Simul atque electus fuit a Cencio Frangipane Romæ potente verberibus dire multatus in carcerem datus, inde mox liberatus est a Senatu & populo. Henricus V. Imper. Romam vi ingressus

* Antipapam constituit *Burdinum*, Gregorium VIII. eum dicens.

Gelasius vero furorem declinans in Gallia obiit. (A. 1119)

161. *Callistus II.* Gallus, Monachus Benedictinus Cluniacensis Romam rediit. Huic coactus tandem a Germaniæ proceribus Henricus cessit *Investituras* Episcoporum atque Abbatum (anno 1122.) temere hactenus usurpatas, vixit 24.

162. *Honorius II.* Obiit 1130.

163. *Innocentius II.* Benedictinus, aliis Canonicus Regularis. Obiit an. 1143.

* Magnum hoc tempore schisma Pontificium extitit, vulgo schisma *Petri Leonis*, qui se Anacletum II. dixit. Obiit 1138. Quin & alter adfuit Antipapa Victor IV. Quin tamen ad saniora consilia rediens pedibus Innocentii se advolvit.

Innocentius Rogerio Siciliæ duci Regium nomen concessit. A. 1139.

164. *Cælestinus II.* Tuscus. (A. 1144.)

165. *Lucius II.* Canonicus Regularis. Multa passus ab Arnaldistis hæreticis. (an. 1145.)

166. *Eugenius II.* Monachus Cisterciensis. (an. 1153.)

167. *Anastasius IV.* Benedictinus, apud alios Canonicus Regular. (1154.)

168. *Hadrianus IV.* Anglus paupere domo natus. Canon. Regul. (A. 1159.)

169.

169. *Alexander III.* Ciſtercienſis: aliis Canonicus Regular. Fridericum Barbaroſſam excommunicavit, quod grandi cum Eccleſiæ ſcandalo ſchiſmaticum Antipapam

* Victorem IV. dictum foveret: (A. 1160.) eidemque anno 1164. emortuo etiam alium ſubſtitueret Paſchalem III. a ſuis appellatum, atque huic iterum anno 1168. Calliſtum III. Qui tamen Alexandro ſe permiſit.

Tandem Imperator reconciliatus Pontifici (An. 1177.) abſolutus eſt Venetiis. Vixit Alexand. A. 1181.

Q. *Ajunt, Pontificem Imperatoris, cum pedem ei oſcularetur, collum calce preſſiſſe cum epiphonemate:* Super aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem, *ex Pſ. 9. Quid ſentis de iſthoc?*

℞. Stropha eſt inſignis ab livida hæreticorum fingendi libidine profecta; qui nihil non mentiri audent, ut ſanctam ſedem reddant exoſam. Qui fit enim, ut hi, qui abſolutioni huic interfuerunt, clari hiſtorici hoc facinus ignorent, & ſileant, Gaufridus Voſienſis, Romualdus Salernitanus, aliique. Qui etiam conceptis verbis deſcribunt, quam ſummo cum honore exceptus ſit a Pontifice Cæſar?

170. *Lucius III.* Lucenſis. (Ob. 1185.)

171. *Urbanus III.* Mediolanenſis. Ab hoc Fridericus Barbaroſſa terram Mathildis repetere tentavit. (An. 1186.) Hieroſolymam a Barbaris denuo captam audiens mœrore confectus obiit. [A. 1187.]

172. *Gregorius VIII.* Benedictinus. Obiit altero menſe.

173. *Clemens III.* Romanus. Sacram expeditionem perſuaſit Friderico Barbaroſſæ, & Richardo Angliæ R.

Romanum Senatum Pontificis jugum excutere volentem repressit. Obiit An. 1191.

174. *Cælestinus* III. e gente Ursinorum. Bellum sacrum iterum ursit. (A. 1198.)

175. *Innocentius* III. Campanus e Comitibus Signiæ. Doctissimus. Ottonem IV. Imp. Bona Ecclesiæ diripientem anathemate perculit. E vivis excessit an. 1216.

176. *Honorius* III. Romanus. Expeditionem in Saracenos instauravit: quæ initio prospere gesta ipsis Christianorum dissidiis incassum cecidit. A Friderico II. Imp. in Sicilia & Neapoli gravia tulit. Obiit 1227.

177. *Gregorius* IX. e Comitibus Signiæ, Benedictinus Camaldulensis. Fridericum II. qui dudum expeditionem in Saracenos jurarat, ad servandam Deo fidem adegit. Qui suscepta expeditione turpe cum barbaris fœdus pepigit. Ob id iterum excommunicatus. Qui sui impotens in Pontificem insurrexit, & Gibellinorum factionem in Italiam induxit. Mortuus est Gregorius an. 1241.

Q. *Qui dehinc Pontifices?*

℟. 178. *Cælestinus* IV. Cisterciensis. Sedit dies 17. (An. 1241.)

† Vacat an. 1. Mens. 8. eo quod Fridericus plures e Cardinalibus captivos teneret.

179. *Innocentius IV.* Benedictinus. *Pater Juris* appellatus, quod primus Commentarios in Decretales, seu Jus Canonicum ediderit 1245. Obiit An. 1254.

180. *Alexander IV.* Signiæ Comes. (A. 1261.)

181. *Urbanus IV.* Gallus. Festum SS. Corporis Christi instituit. Obiit an. 1264.

182. *Clemens IV.* Gallus Bellum sacrum indixit, detulitque Ludovico sancto Galliæ Regi. (A. 1268.)

† Vacat an. 2. mens. 9.

183. *Gre-*

183. *Gregorius* X. Concilium Lugdunense celebravit (An. 1274.) œcumenicum 500. Episcoporum: Ubi Græci Processioni Spiritus S. a Patre ac Filio subscripserunt: atque ad unionem Romanam reducti sunt: paulo post ab eadem dilapsi. Obiit A. 1276.

184. *Innocentius* V. Dominicanus. Obiit mense 6.
185. *Hadrianus* V. mense 2.
186. *Joannes* XIX. alias XXI. Lusitanus. (An. 1277.)
187. *Nicolaus* III. e gente Ursinorum: cui puero Pontificatum auguratus fuerat S. Franciscus. Ob. 1280. Ea tempestate Caroli Andegavensis sequaces omnes Galli per totam Siciliam trucidati sunt machinante Petro Arragon. Rege. Factum id eodem die atque hora, cum ære campano vesperarum signum in templis sonaret. Unde hæc cædes *Vesperarum Sicularum* nomen obtinuit. 1282. die 30. Mart.
188. *Martinus* II. vulgo IV. Petrum Arragonium excommunicavit ob cædem Siculam. (A. 1285.)
189. *Honorius* IV. Roman. [A. 1287.]
† Vacat menses 10.
190. *Nicolaus* IV. Minorita. [A. 1292.]
† Vacat an. 2. mens. 3.
191. S. *Cælestinus* V. ante Petrus de Morono Benedictinus Congregationis Cælestinorum parens, sacros fasces miro exemplo ultro posuit mense 5. [A. 1294.] Ceterum ad cælos invisit an. 1296.

192. *Bonifacius* VIII. Huic cum Philippo Pulchro Galliæ rege gravis intercessit simultas ob *Jus Regaliæ*, quod fere vicinum est Juri Investituræ, quo de postea dicendi locus erit §. 5. Inde primum audita est Gallorum ad Concilium Generale provocatio. Rex a sacris prohibitus: Pontifex contra per subornatos sicarios captus Agnaniæ, a civibus tamen in libertatem assertus, pauloque postea mortuus. [A. 1303.] Hic sacri Jubilæi devo-

devotionem centenis quibusque annis agi præcepit, ipſeque primus celebravit An. 1300.

193. *Benedictus IX.* vulgo XI. Dominicanus. Cum hoc in gratiam rediit Rex Galliæ. Ob. 1304.

† Vacat 11. menſes usque ad an. 1305.

§. II.
Propagatio Eccleſiæ.

1. Pannones, Hunni, ſive *Hungari* cum Stephano eorum principe Catholica ſacra amplexi ſunt. (A. 1000.) Imperatore Henrico ſancto ſuadente, ac S. *Gerardo* Benedictino monacho atque Epiſcopo. (Ob. 1047.) Stephano a Silveſtro II. PP. Corona, ac regii honores decreti ſunt, unaque Crucem, Apoſtolicum inſigne, præferendi copia eidem facta, ut alias Archiepiſcopis ſolet.

2. *Pomeranos* Slaviæ ad Septentrionem populos ditioni ſuæ adjecerat Boleslaus III. Polonorum Dux, a quo invitatus S. Otto e comitibus Andecenſibus Epiſcopus Bambergenſis (Is eſt cænobii, cui nomen ego indignus dedi cum Ottone Wittelſpachio hodiernorum Bavariæ Ducum protoparente, clementiſſimus dotator,) eliminato idolorum cultu, Chriſtiano dogmate eos initiavit. (A. 1124.) Calliſto II. Eccleſiæ moderante. Obiit 1139. tertio Non. Julii.

3. *Indorum* Rex Joannes Presbyter dictus, intellecto, gentem ſuam Chriſtianæ quidem religionis eſſe, ſed injuria temporum, doctorumque penuria a Romanæ Fidei integritate haut paulo defeciſſe, literis petiit ab Alexandro III. (an. 1177.) ut ſibi liceret viros quos-

quosdam e gentilibus ſuis Romam ſubmittere: quos Pontifex meliore imbutos doctrina ad Indos remitteret &c.

4. Eccleſiaſticam rem in Oriente inſigniter reſtituerunt ſummi Pontifices per *Cruce Signatos*. Etenim Urbanus II. in Clermontano Concilio (A. 1095.) Chriſtianis principibus claſſicum cecinit ad expeditionem in Saracenos ſuſcipiendam, Terramque ſanctam eorum jugo ſubducendam. Conceſſis vero indulgentiis præcepit, ut quisquis huic ſacræ militiæ nomen daturus eſſet, teſſeræ inſtar Crucis inſigne veſti, armisque inſcriberet. Dux expeditionis delectus eſt Godefridus *Bullionius* Lotharingiæ princeps, ſub quo ingens Chriſtianorum exercitus fecit. (an. 1096.) Alexius quidem Comnenus Imperator Conſt. veritus Latinos in vicinia ſua fieri potentiores ac ipſe cuperet, contra datam fidem non leviter eos ex itinere vexavit. At illi felici Marte Syriam, Lycaoniam, Liciam, Ciliciam, Paphlagoniam, Pamphiliam in fidem receperunt; Saladino (*Soldano*) Babylonico, atque Ægyptio profligato. Quin Palæſtina, ſanctaque Urbs Jeroſolyma eorum armis ceſſit. (1099.) Cujus *regnum* delatum eſt Bullionio; quod ille ſuſcepit non aurea, ſed ſpinea modo redimitus corona. Mortuus an. 1100.

Balduinus illum excepit, germanus ejus Frater. Qui Tripoli a ſe capta e vivis abiit (An. 1118.)

Balduinus II. Sanguine junctus priori captus a Saracenis altero anno reſtitutus eſt. (A. 1123.) *Templariorum* ordinem inſtituit. Obiit An. 1131.

Fulco, ejus Gener Andegavenſis comes Ordinem *S. Joannis* equeſtrum ratum voluit. (An. 1142.)

Balduin. III. Filius impubes. Turcæ id temporis toto Oriente miſeram Chriſtianorum ſtragem ediderunt.

Euge-

Eugenius ergo III. S. Bernardi usus opera Conradum Imp. & Ludovicum VIII. Galliæ regem ad ferendam afflictis opem est cohortatus: qui gemino exercitu profecti [1147.] Græcorum potius insidiis, quam Barbarorum armis utroque multati, patriam re infecta repetierunt. [1140.] Manuel enim Comnenus Imp. Orientis, præter alia indigna, farinæ, quæ Latinis in commeatum cederet, calcem miscuit, qua multi perierunt. Balduinus obiit 1162.

Almaricus Balduini Frater [ob. 1173.]

Balduinus IV. Filius. Quo regnante Cruciati celebrem de Saladino Ægyptio triumphum egerunt. [An. eodem.] Mox tamen ab ipso pene internecione deleti sunt. [A. 1180.] Balduinus alteri ejus nominis, suo ex sorore nepoti regnum reliquit moriens. [An. 1185.]

Balduinus V. Eodem anno & capessivit regnum, & fato reliquit.

Guido Parens Balduini V. a Saladino, qui dissidiis, inter ipsos Christianos tum subortis in rem suam strenue uti novit, regno ac libertate exutus est. [An. 1187.]

Accisis hoc modo Christianorum in Syria rebus succollare tentatum deinceps est a Friderico I. Barbarossa Imp. [A. 1189.] qui medio victoriarum cursu extinctus est, cum in Cydno Ciliciæ amne, qui jam olim Alexandrum Magnum vita pene multaverat, senex corpus lavaret. [An. 1190.] Haut multo meliore fortuna usi sunt Philippus Augustus Galliæ, & Richardus Angliæ reges. [An. eod.] Itaque regnum, quod concors Germanorum & Gallorum virtus restituerat, Christianorum potissimum discordia dissipatum est.

5. *Armeni* obedientiam Pontifici Innocentio III. jurarunt. [An. 1215.]

6. In-

6. Innocentius IV. Dominicanus, Turcis & populis etiam ſeptentrioni ſubjectis Chriſti leges ſuadere juſſit. (1245.)

7. *Tartarorum* Rex cum plurimis ſuorum ſacro fonte tinctus eſt, operam navantibus Dominicanis atque Fratribus minoribus vulgo Franciſcanis. Sub Nicolao IV. PP. (An. 1289.)

§. III.
Perſecutiones.

1. Waldenſium, Albigenſium, & Arnaldiſtarum perſecutionem conjicere licebit ex iis, quæ de hæreſibus dicuntur §. 5.

2. Imperatorum perſecutionem diſces ex eodem paragrapho. Noveris enim his ſchismatibus potiſſimum nobiles Germaniæ Epiſcopatus, Monaſteria, Collegia, aliaque Eccleſiaſtica loca redditibus ſuis eſſe exuta, aut magnam partem multata iis bonis, quæ majorum pietas ad divinum cultum largiter contulerat. Ejecti etiam Epiſcopi, atque monachi, quibus Imperatorio Schiſmati contra ſummum Pontificem ſubſcribere religio erat; magnamque his turbis labem paſſa cum morum pietas, tum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, Monaſticæque vigor, ac demum melior eruditio Eccleſiæ tantopere proficua ac neceſſaria.

§. IV.
Doctrina ac Diſciplina.

Q. I. *Quis tum temporis fuit Doctrinæ Eccleſiaſticæ modus?*

℟. Non eſt hic opus dicta dicere, teque iterum docere, Dogma ipſum Eccleſiæ vicibus obnoxium nunquam fuiſſe; nihilque vitii unquam contraxiſſe: id tamen

nove-

noveris, modum ac rationem Dogmata Fidei explicandi alium atque alium extitisse, pro re nata, atque ævi & ingeniorum diversitate.

1. *Sacræ Indulgentiæ* etsi dudum & a primo ævo Ecclesiæ familiares fuerint, ad calcem tamen seculi undecimi evasere solemnes. Urbanus enim II. PP. Concilio Clermontano (A. 1095.) classicum ad Bellum sacrum canens, ut scribendi militis affatim foret, pœnitentiam Ecclesiasticam, (qua de doctus ea supra Cap. 1. §. 4. Q. 10.) remisit seu *indulsit* omnibus, qui sacram hanc militiam essent secuturi, aut eam sequentibus opem laturi. Imperatæ insuper ad conciliandam Numinis gratiam preces, aliaque id genus pia opera. Dictu difficile est, quanta hominum, imo populorum vis in has Pontificis sancti leges concesserit. At cum Christianorum signa victricia in Terram sanctam essent illata, & expeditio iterum iterumque adornaretur, tum vero nemo omnium fuit, qui non pio aliquo vectigali ac precibus redimeret pœnam Ecclesiasticis legibus alias sibi subeundam. Bonifacius deinde VIII. (An. 1300.) præcipuas has indulgentias anni *Jubilæi* centesimo quovis anno reversuras promulgavit. Illisque earum copiam fecit, qui Romam tenderent sanctorum Apostolorum Petri & Pauli sacra lispana coram veneraturi. At cum paucis daretur id ætatis attingere, Clemens VI. PP. anno 1342. quinquagesimum annum Jubilæum esse jussit; ac demum Paulus II. vel Sixtus IV. vigesimum quintum sub an. 1470.

2. Seculo undecimo *Theologia Scholastica*, cui jam olim prælusit S. Joannes Damascenus, pedetentim in facilem hanc atque utilissimam methodum est redacta, (An. 1070.) S. Lanfranci, sanctique Anselmi primum opera in Academia Cænobii Beccensis. Longe vero uberius idem argumentum prosecutus est Petrus Lombardus, qui de omni Theologico, Fideique dogma-

dogmate sanctorum Patrum sententias in quatuor libros eleganti ordine coëgit, indeque *Magister Sententiarum* cum laude vocatus est. Fuit is gente Italus patria Novarinus, (An. 1160.) Episcopus vero Parisiensis, qui primus in illa Academia Gradus honoris literarii constituit in Theologia, Baccalaureatum, Licentiatum, & Doctoratum. Ultimam negocio manum admovit tandem S. Thomas Aquinas *Summam Theologicam* scribens (1274.) cujus ingenium est oppide admirandum. Ingentis porro beneficii loco semper habenda est Scholastica ejusmodi Theologia; Ante enim istam si quis decem, & viginti etiam annos studendo decoxisset, tam certam planamque rerum Theologicarum notitiam vix hausit, quam certam & expeditam nunc obtinet, qui vel quinque tantum annos eidem scientiæ donaverit.

3. *Juris Canonici* regulæ jam olim quidem seculo septimo collectæ fuerunt a Dionysio Exiguo Abbate Romano D. Benedicti: seculo vero duodecimo effloruere per *Gratianum* Monachum Benedictinum Bononiæ, ibidemque Professorem. Hic nobile illud *Decretum* edidit [A. 1151.] Gradusque Doctoralem & Licentiæ instituit auctoritate Eugenii III. PP.

Q. II. *Audio hæreticos comminisci, Confessionis tribunal primum ab Innocentio III. statutum fuisse?*

℞. Mentiuntur id quidem: sed hujus loci non est eos refellere, nisi uno unico historico argumento. Græci & semper usi sunt, & hodie utuntur hoc mystico tribunali. Nosti vero dudum ante Innocentium III. schismate suo a Romana Ecclesia defecisse: Quapropter non ab Innocentio primum potuit esse decreta Confessio.

Q. III. *Queruntur alii de Theologia Scholastica?*

℞. Enimvero, cum Galli Constantinopolim expugnassent, allati primum in Franciam sunt Libri Aristotelis, ante hic terrarum ignoti. Hos quidam avide amplexi iisdem etiam abusi sunt, nihil Theologici dogmatis audire dignati, quod non probasse Aristoteles videretur. Et rigida etiam medicina opus erat huic morbo. Nam vigil summorum Pontificum cura Aristotelis libros sane rogo addixit, mandante Gregorio IX. (An. 1233.) cum jam ante Concilium Parisiense an. 1209. eadem in illos severitate animadvertisset. Cum ecce commodum adest mirus ille Doctor S. Thomas Aquinas, qui lucubrationibus suis tantam Aristoteli gratiam conciliavit, ut omnibus merito in deliciis sit.

Q. IV. *Ordo postulat, ut de disciplina Monastica seu religiosa verba facias.*

℞. Angusto filo tibi delineabo, quinam Ordines religiosi hoc ævo nati fuerint.

1. *Cluniacense* fuit Monasterium in Burgundiæ Ducatu S. Benedicti Legibus stans. (A. 1000.) Id plurima non per Europam solum, sed & per Asiam, Constantinopoli quoque, Monasteria construxit, aut jam dudum constructa in fœdus adduxit sanctioris disciplinæ. Quin nullus fuit Christianorum Principum, qui non huic Congregationi sociari, bonorumque spiritualium particeps fieri desideraret, summæque gratiæ loco haberet. Id quod ipsi Orientis Imperatores humiliter rogarunt.

2. *Camaldulenses.* S. Romualdus Ravennas Benedictinus Monachus singulari zelo novam coloniam deduxit, (sub An. 1000. vel 977.) sub regula antiqua, in campum Malduli, data suis veste candida. Ipse ad superos abiit an. 1027.

3. *Val-*

3. *Vallumbrosani.* S. Joannes Gualbertus vir nobilis cum hostem, eum qui germanum ejus fratrem ferro extinxerat, diu ad vindictam & necem quæsisset, in inermem tandem offendens ipsa Parasceves die, strictum jam ensem inhibuit, vitæque hosti gratiam fecit, decussatis in crucis formam manibus eam petenti. Ex itinere divertit Joannes in obvium forte templum; ei que Crucem flexo poplite salutanti Christus e lignea icone flexa vicissim cervice annuit. Tactus igitur favore Numinis Gualbertus Divo Benedicto sacramentum dicit, hancque *Vallis Umbrosæ* Congregationem excitat. Obiit post annum 1063.

4. *Cartusienses* a S. Brunone instituti (A. 1086.) quibus hoc nomen obtigit a Cartusii asperis montibus, ubi primam suam eremum designarunt.

5. *Cistercienses.* S. Robertus Abbas Molismensis Benedictinus, condito novo cænobio Cistercii in Gallia, cum lecta suorum manu in illud migravit, rigidioremque Regulæ Benedictinæ usum auspicatus est. (1098.) Cui cum se devovisset S. Bernardus post annos fere aliquot & viginti latissima eidem incrementa addidit. Hi multo post tempore Grysei, inde albi coloris vestem sumserunt.

6. Equestris Ordo *S. Joannis* seu Hospitalariorum Jerosolyma expugnata institutus. (An. 1099.) Hi Rhodo insula deinde An. 1310. occupata dicti sunt equites Rhodii, vulgo Rhodiser-Ritter. Inde pulsi a Turcis an. 1522. A Clemente VII. & Carolo V. Imp. & Hispaniæ rege Maltam insulam Adriatici maris obtinuerunt A. 153 . hodieque Equites de Malta, Maltheser-Ritter dicuntur.

7. *Templarii* instituti a Balduino II. Hierosolymorum rege eo potissimum, ut itinera in Palæstinam peregrinantibus tuta servarent. *Templarii* dicti, quod Jerosolymis prope templum habitarent. Hi cum succedente tempore in enormia vitia declinassent:

 Cle-

Clemens V. PP. auditis per omnes provincias millenis testibus, desperataque emendatione eos sustulit. An. 1311. in Concilio Lugdunensi.

8. Equestris Ordo *B. Mariæ* Teutonicus (Teutsch-Herren) Jerosolymis a nobilitate Germanica constitutus ad peregrinos, maxime e Germania, tecto recipiendos An. 1191.

9. *Præmonstratenses* a S. Norberto Sanctis in Diæcesi Coloniensi oriundo, qui cum 12. sociis in eremum Præmonstrati secedens hanc vivendi normam elegit, sub Regula S. Augustini, quam ratam habuit Callist. II. (1120.) Obiit an. 1134.

10. Ordo SS. *Trinitatis* a S. Joanne de Matha ad redimendos Christianos e Barbarorum captivitate, confirmatus ab Innocentio III. [A. 1198.]

11. *Minoritarum* a S. Francisco, qui Assisii in Umbria natus an. 1182. misso rebus paternis nuncio duodecim ejusdem animi viros in suam sententiam adduxit, an. 1208. regulam scripsit, quam probavit Innocentius III. in Concilio Lateranensi. [A. 1215.] Cælos petiit S. Franciscus A. 1226. Rigidiorem deinde normam ligneosque calceos amplexi sunt hi, qui jam *Franciscani* apud nos audiunt. an. 1419. At *Cappuccinorum* institutum a Mattheo Bascio, seu Barcio profectum est an. 1525. & a Clemente VII. confirmatum an. 1528.

12. Ordo *Dominicanorum*; *seu Fratrum Prædicatorum* a S. Dominico. Qui e Gusmannorum in Hispania nobili gente Canonicus Regularis Oxomiensis, Inquisitor a Pontifice designatus in Albigenses hæreticos, Ordinem contra eosdem instituit sub regula S. Augustini, probatum ab Honorio III. [A. 1216.] Obiit ipse an. 1221.

13. Ordo *B. Mariæ V. de Mercede redemtionis captivorum* a S. Petro Nolasco, S. Raymundo de Pennafort, & Jacobo I. Arragoniæ rege institutus [A. 1223.] sub regula S. Augustini, a Gregorio IX. confirmatus est. 1235.

14. *Car-*

14. *Carmelitarum.* B. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus regulam edidit Monachis in montem Carmelum congregatis sub an. 1210. confirmatam ab Honorio III. [A. 1226.] Simon quidam Anglus hujus familiæ Asceta piissimus Scapulare a B. Virgine cælitus accepit an. 1254. Cui concessi divini favores cum late increbescerent, Sodalitio hoc nomine instituto largas Indulgentias addidit Clemens X. PP. An. 1673. S. Theresia primum feminas inter severiorem disciplinam instauravit, quam mox etiam viri amplexi sunt A. 1562. dicti hodie Carmelitæ discalceati.

15. *Servitarum*, seu Ordo Servorum B. V. Mariæ [A. 1233.] a septem Mercatoribus Florentinis.

16. *Cælestinorum* a S. Petro de Morono, [A. 1270.] qui summo Pontificatu se sponte abdicavit, cum Cælestini V. nomine eundem gessisset. an. 1294.

§. V.
Hæreses & Schismata.

Q. I. *Quæ hæresis Seculum undecimum turbavit?*

℟. Una præ ceteris *Berengarii.* Hic Turonis in Gallia natus petulantis ingenii adolescens admonendus sæpe a magistro fuit, ut ne a regia via diverteret. Andegavis primum spargere virus cæpit, [A. 1044.] docens parvulos non baptizandos, in SS. Eucharistia Carnem Christi non reapse præsentem dari, nec panis substantiam in Corpus Domini transire: in quo eum strenue sequuntur Lutherani, & Calviniani. Conjugiis quoque repudiatis promiscuam Venerem docebat obscœnissimus bipedum. Damnatus a Leone IX. in Concilio Romano [A. 1050.] iterum ac tertio ejurata hæresi semper in antiquam silvam rediit: dum tandem scelerum pœnitens, [A. 1083.] misso rebus

bus humanis nuncio, melioribus fatis concessit, (1088.)

Q. II. *Dic etiam de Schismatibus.*

℞. 1. Quid Michaël Cerularius ad propagandum Græcorum Schisma machinatus fuerit seculo undecimo, alibi habes cap. 4. §. 5.

2. Grave seculo duodecimo schisma exarsit *Sacerdotium* inter & *Imperium*, sive inter Pontifices & Imperatores. Id quo pacto contextum fuerit: paucis accipe. Ab aliquo jam tempore soliti fuerant Imperatores Episcopo quopiam aut Abbate defuncto designare successorem, aut saltem nullum agnoscere, nisi a se eo dignitatis promotum. A sic designatis ut sacramentum sibi dicerent, exigebant; tumque iis possessionem, usumque Bonorum temporalium tradebant. Priores quidem Imperatores hoc fecere modeste & æque: cum enim Ecclesiæ bona temporalia accepissent a principibus, eorumque liberalitate, justum videbatur ab Ecclesiarum Prælatis aliquam deposcere fidelitatem erga principes. At posteriores, ut fieri amat, paulatim recti orbitam sunt transgressi: nam, ut dixi, Episcopos & Prælatos ipsimet designarunt, demta Capitulis eligendi libertate, & administrationem bonorum illis haut concesserunt prius, quam sacramento dicto, & persæpe ingenti pecuniæ vi adnumerata; qua accepta concessa est administratio, inque concessionis signum traditum pedum episcopale, & episcopalis annulus: atque hæc concessio & traditio dicta est *Investitura*. Henricus præsertim quartus hoc nomine regum Germaniæ; Imperatorum vero tertius turpiter quasi venales habuit Episcopatus atque Abbatias. Hæc omnia pugnabant cum Legibus Canonicis seu Ecclesiasticis in Imperio receptis: & ingentia in Ecclesiam damna invehebant; cum Henricus nihil sollicitus de doctrina & pietate virorum, Episcopatus & Abbatias venderet ditiore marsupio præditis, utut pessimæ

notæ

notæ hominibus. Præterea non decebat Imperatorem Inveſtituram per annulum & Baculum dare; cum per hæc inſignia Eccleſia ab antiquis temporibus indicare voluerit poteſtatem *ſpiritualem* Epiſcoporum, quam tradere Epiſcopis neutiquam erat Imperatoris, Principis nempe laici.

Gregorius itaque ſeptimus Pontifex Maximus, huic malo neceſſarium clavum fixurus Henricum qua epiſtolis, qua legationibus admonitum, cum ſemper ſaniora promitteret, ac ſemper fidem falleret, tandem exterrere tentavit, Conſiliariis ejus, qui cauſſa videbantur mali, anathemate perculſis (A. 1074.) Rex bello Saxonico perfunctus Wormatiam evocat ſuarum partium Epiſcopos, quibus dignitates vendiderat, ipſeque cum iis facinus deſignat inauditum. Concepta enim formula decernunt, Gregorium VII. Pontificem Maximum loco ac Pontificatu movendum. Hoc comperto Pontifex Henricum a Chriſtianorum ſocietate ſubmovet coacto Romæ Concilio. (A. 1076.) Proceres Germaniæ indigne ferentes Henrici impium faſtum eidem excommunicato renunciant, eumque diademate exuendum pronunciant, ni quamprimum Pontifici reconciliatus, & Eccleſiæ in gremio ſuſceptus denuo fuerit. Is ergo Italiam petit: nudipes, funeque e collo ſuſpenſo a Pontifice delicti gratiam flagitat, vulpemque indutus omnia ſancta ſpondet, *Inveſtituris* cedit, pactaque ſolemni ſacramento roborat, ſanctus Pontifex, quem ingenium viri minime latebat; dum ſacris operaretur, diviſa hoſtia ſancta partem ejus prehendit DEUM precatus, ut ſubita morte ipſe periret, ſi quid in ſe culpæ eſſet. Partem alteram porrexit regi cum dicto; fac ergo, fili, ſi placet, quod me facere vidiſti, ſi te innocentem noſti. Quod tamen ille renuit. Redux in Germaniam flocci habito jurejurando antiquum peccatum peccat. Proceres eum regno cecidiſſe declarant, ſublecto

 Rudol-

Rudolpho Sueviæ Duce in Imperatorem. At Henricus cum aliis suarum partium proceribus in Ecclesias Romano Pontifici fideles grassatur; Rudolphum in pugna occidit; Guibertum Antipapam suscitat [A. 1080.] dicto ei nomine Clementis III. Romam occupat: pulsus tamen inde a Roberto Guiscardo e Normannis Siciliæ & Neapolis Duce. Vixit deinceps atrox hoc schisma sub Pontificibus Victore III. Urbano II. Paschali II. & Gelasio II.

Calixtus demum II. evicit, ut Henricus V. Rex Investituris cesserit, agentibus ipsis Germaniæ principibus, atque in solemnibus comitiis Wormatiæ subscribentibus. [A. 1122.] Id quod Concilium œcumenicum Lateranense I. perenne esse jussit. [A. 1123.]

Q. III. *Quæ hæreses duodecimi seculi?*

℞. 1. *Henriciani* ab Henrico quodam in Aquitania, quin & in Germania Rhenana suscitati Baptismum parvulorum aversabantur [A. 1116.] & morem gerere magistratibus, præsertim Ecclesiasticis detrectabant. S. Bernardus eos confutavit.

2. *Petrus Abaelardus*, Gallus [A. 1130.] Dialectica præsertim disciplina probe subactus. Commendata ejus doctrinæ fuerat doctissima ævi sui virgo Heloissa, Græcæ, Hebraicæ & Latinæ, præter multas scientias gnara, quam ille turpiter seduxit. Cum nimium indulgeret subtili ingenio, in absurda quædam de rebus Divinis, sanctissimaque Trinitate incidit. S. Bernardus data opera erroribus ejus dicam scripsit; quos & Innocentius II. PP. damnavit. Abaelardus tamen opinionum suarum minime pertinax easdem & ipse suomet calculo proscripsit, ac monachum Cluniacensem indutus reliquum vitæ sanctus exegit. A. 1142.

3. *Arnaldus* Brixinenſis, Abaelardi quondam diſcipulus, homo verboſus jugique impatiens, cum de Baptiſmo perperam ſenſit, tum maxime plebem Romanam, aliasque in Pontifices & Epiſcopos armavit (An. 1138.) Lividis enim oculis videbat, Eccleſiam prædiis temporalibus frui: hinc jactabat, Sacerdotes, Epiſcopos, ipſumque Pontificem nonniſi Eleemoſynis, ſtipe, ac velut mendicato vivere debere. Profecto cæco populi furentis impetu non Clericorum modo ſed & nobilium multa prædia ædesque direptæ ſunt, latius indies creſcente inſania. Donec Friderici I. Imp. juſſu A. 1155. ferali rogo exuſtus interierit.

4. *Petrus Waldus* e Waldenſi (A. 1159.) oppido Lugdunenſis agri, audiens ex Evangelio legi: *vende omnia, & da pauperibus, & ſequere me;* falſo auguratus eſt, & indoluit, hanc Chriſti doctrinam nemini hodie obſervari; cum etiam Cœnobia bonis temporalibus fruerentur. Itaque bona ſua ipſe abjicit, idemque aliis perſuaſum it. Non pauci e civibus, multi e gente ruſtica in ejus ſententiam pedibus iverunt. Hactenus ſanctum quid ſapere videbatur Waldenſe hoc conſilium: at non diu fuit, cum ſe orci dolus proderet. Hi enim, e civibus ruſticisque mixtus numerus Pontificem conveniunt, ut ſibi pro concione ad reliquum populum dicendi copiam faciat, petunt. Repulſam a Pontifice, ac merito paſſi, indocta ac rudis turba, inſuper habito ſummi Paſtoris interdicto ipſimet ſuo marte pagos & provincias obeunt, ac Evangelium (ſi ſuperis placet) prædicant. Neque hic ſtetit temeritas. Decimas Eccleſiæ pendendas negant. Confeſſiones audire, aliaque Sacramenta miniſtrare non ad ſolos ſacerdotes, ſed ad omnes ac quosvis laicos pertinere contendebant. Sacra, aras, imagines, templa &c. impie ſimul ac ruſtice ridebant, aut calcabant: Summo Pontifici a nemine obtemperandum, neque Epiſcopos audiendos eſſe ſeditioſe decantabant. Alexander itaque III. nihil ultra cun-

ctandum ratus, diris Ecclesiasticis omnes devovit, ac Fridericus Imperator Majestatis reos damnavit. Vario nomine hi venerunt hæretici; dicti jam Catari, jam Cataphrigi, modo Picardi, modo Boëmi &c, multasque deinceps ex se hæreses infelici fecunditate genuerunt. Ac vides plane Lutheranorum & Calvinianorum, & Zvvinglianorum *puram*, videlicet, *doctrinam* cum Waldensium egregiis placitis ad amussim convenire. Desiere quidem Waldenses illi, & hi, qui in Sabaudiæ montibus adhuc numerantur, Calvini *pulcherrimo* dogmati se addixerunt.

5. *Albigenses* a Waldensibus nati (A. 1176.) nomen traxere ab Alba civitatula vicina Tolosæ in Occitania (*Languedoc*) ejusdem farinæ somnia cum Waldensibus somniarunt, ac sancta Ecclesiæ Sacramenta præcipue exsibilarunt. Hi armis etiam rem agentes a sacro Dominicanorum Ordine doctrina impugnati, a Comitibus Montforti marte oppressi sunt, classicum in impietatem canente Innocentio III. (A. 1213.)

Q. IV. *Nullum extitit hoc duodecimo seculo* schisma?

R. Haut leve *Sacerdotium* & *Imperium* inter grassatum est Schisma, Italiæ præsertim funestum: quod per transennam aspicere potes supra hoc ipso cap. 5. §. 1. in Pontifice 177. Gregor. IX.

Q. V. *Seculi decimi tertii Hæreses quot, qualesve fuerunt?*

R. Fuere aliquot; sed exigui nominis. Notissima est *Flagellantium*. Primum quidem (A. 1260.) incessit homines pius quidam ardor peccatorum suorum pœnas a se ipsis exigendi: visæque sunt passim hominum turmæ, terga sua flagris certatim demulcentium, nec plebejæ tantum sortis, sed & majoris subsellii.

Mox

Mox vero cum id ſine lege, ſine modo fieret, aditus patuit ſuperſtitioni, inde etiam hæreſi. Auſi ſunt enim jactare, nemini uni peccata adultum iri, qui non Flagellantium ſe turbæ adjunxiſſet; aliaque a Waldenſium erroribus non multum abludentia venditarunt. Tranſiit inſanum hoc œſtrum, & afflavit etiam Germanos, Hungaros, Bohemosque (A. 1346.) Clemens vero VI. eodem tempore ſectam extinxit.

§. VI.

Viri illuſtres.

Q. I. *Dic viros illos, quibus ſua laus ſeculo præcipue undecimo conſtitit.*

℞. Univerſo hoc trium ſeculorum tempore plurimi tam monaſtici ordinis, quam etiam Canonici egregiam ſcientiæ laudem tulerunt, Theologiæ nimirum, Juris Canonici; at præſertim Hiſtoriæ ſincera traditione. Pauciſſimos ex omni numero legam.

1. S. *Gerardus* Hungarorum Apoſtolus, is eſt autor Mariam Cæleſtem Virginem dicendi vulgato jam in gentes verbo *Dominam noſtram*; initio ſeculi undecimi. Obiit [A. 1047.]

2. S. *Lanfrancus* Pantavinus Monachus Beccenſis Benedictinus, ejusdemque cænobii Academiæ Profeſſor, demum Archipræſul Cantuarienſis in Anglia A. 1070. [ob. 1089.]

Ejus lucubrationes luci commiſſæ ſunt a P. Luca Dacherio Benedictino Gallo. An. 1648.

3. B. Petrus *Damiani* Ravennas, monachus Benedictin. Congregationis Avelanæ: Pontifici ſummo tantis in deliciis fuit, ob egregiam doctrinam, invictumque in negociis conficiendis ſtudium, ut ſuum ocu-

oculum, atque dexteram eum diceret. (Ob. 1072.) Cujus Opera vulgavit priore ſeculo Conſtantinus Cajetanus Abbas Caſinenſis Bened.

4. *B. Hermanus* Contractus dictus, quod a prima ætate membris omnibus captus eſſet. E comitibus Veringenſibus in Suevia monachus Benedictinus Augiæ Divitis (Reichenau) Hiſtoriæ, Poëticæ, Aſtronomiæ, Muſicæ, Linguarum etiam Græcæ, atque Arabicæ peritiſſimus: quam omnem eruditionem a B.V. Maria potiſſimum hauſit, cujus honori etiam compoſuit melos illud tantopere laudatum, quo antiphona *Salve Regina* concinitur ab Eccleſia. (Ob. 1054.)

5. *Guido Aretinus* Monachus Benedictinus, Muſicæ vere parens dicendus, qui ſcalam illam excogitavit: *Ut, re, mi, fa, ſol, la.*

6. *S. Anſelmus* Burgundus Academiæ Beccenſis Benedictinæ poſt S. Lanfrancum Profeſſor, dein Archiepiſcopus Cantuarienſis in Anglia. Obiit An. 1109. Ejus profundiſſima ſcripta edidit P. Gerberon Monachus Benedictinus Gallus an. 1675.

Q. II. *Perge ad ſeculum duodecimum.*

1. *B. Rupertus* Tuitienſis Abbas Benedictinus, ab ipſa Alma Virgine ſumma doctrina exornatus. (1135.)

2. *S. Bernardus* Abbas Clarævallis. Ciſtercienſem Benedictini ordinis reformationem feliciter propagavit. Hæreticos ſuorum temporum omnes confutavit. (1120.) Guilielmum Aquitaniæ Ducem virum ferocis animi, & ſchiſmatis fautorem fregit, dum eidem, ad eccleſiam properanti, cum SS. Euchariſtia manu prægeſta obviam ivit. Quo facto, gravique S. Bernardi voce ita tactus eſt Dux, ut non ſolum ejus pedibus ſeſe affuderit, ſed æneam nudæ carni inducens lori-

loricam maximi ponderis, summo cum vitæ rigore noxas suas expiarit. Obiit 1153.

Q. III. *Qui seculo decimo tertio?*

℟. 1. *B. Albertus* Magnus insignem philosophicarum maxime rerum scientiam a Diva Virgine nactus: Gente quidem Suevus e comitibus de Bolstat. Dominicanæ familiæ Decus. Episcopatum Ratisponensem an. 1259. susceptum paulo post abdicavit. Ob. an. 1280.

2. *S. Raymundus* de Pennafort Barcinonensis Hispanus, Quinque libros *Decretalium*, seu Juris Canonici collegit autoritate Gregorii IX. PP. a. 1230. Obiit a. 1275. Familiæ Dominicanæ.

3. *S. Thomas* patria Aquinas. Quinquennis puer oblatus Monasterio Benedictino Casinensi, literis ac pietate imbutus, deinde B. Albertum Magnum Magistrum nactus est. Hic, cum sodales illuderent Thomæ loquendi parcissimo, ac velut stupidum haberent, & *Bovem* etiam dicerent, fertur dixisse Albertus: *Hic bos aliquando mugiet, ut terrarum orbis ejus voce obstupescat.* Theologiæ Scholasticæ unicus instaurator, ordinisque Dominicani unicus honor. Obiit A. 1274.

4. *S. Antonius* Patavinus seu de Padua. Cujus mira nemini non nota. Ob. 1231.

5. *S. Bonaventura* Minoritarum Gloria. Ob. 1274.

6. *B. Alanus* Cisterciensis, ob eruditionem, disputandique scientiam ab omnibus in admiratione habitus, dictusque *Doctor Universalis.* Sub an. 1220.

7. *Hugo de S. Caro*, vulgo Hugo Cardinalis Dominicanus, *Concordantias* ita dictas in S. Scripturam primus adornasse fertur. Obiit an. 1274.

8. *Joannes Duns Scotus*, gente Hibernus, Doctor Oxoniensis in Anglia, dictus hodieque *Doctor subtilis.* Minoritarum velut quidam sol. Obiit anno 1308. Fabella est ea, quæ mentitur, illum de-

deliquio animi forte oppressum atque a suis præmature tumulo mandatum coactum fuisse in ipso feretro suamet membra depascere.

CAPUT VI.

A Clemente V. 1305. & secessu Avenionensi ad Leonem X. 1513. & Lutheri Hæresin.

§. I.

Series Romanorum Pontificum a Clemente V. ad Leonem X.

Q. I. *Quis a morte Benedicti X. vulgo XI. Pontifex summus est salutatus?*

℞. 194. *Clemens V.* [1305.] Cui nomen antehac Bertrandi de Agutis: Gallus gente. In gratiam Regis, tum & ob Italiæ intestinos motus in Galliam sese recepit, Avenione Sedem constituens. Templariorum Equestrem ordinem abolevit. Spirare desiit an. 1314.

195. *Joannes XX.* vulgo XXII. Gallus. Ludovicum Bavarum Imp. Sacris interdixit, qui Antipapam ei opposuit quendam *Petrum de Corbaria* Nicolai V. nomine. At is tandem Joanni PP. factus supplex delicti gratiam impetravit. (A. 1330.) Ipse Joannes PP. diem suum obiit Avenione. (An. 1334.)

196. *Benedictus XI.* passim XII. Gallus. Ordinis Cisterciens. (An. 1342.)

197. *Clemens VI.* Gallus Benedictinus. Memoriæ ita tenacis, ut semel lectorum oblivisci nunquam potue-

tuerit. Quæ dos ei obtigit vulnere, quo olim in vertice capitis ictus fuerat. A Joanna Siciliæ herede, & Comitiſſa Provinciæ (Provence) Comitatum Avenionenſem emto accepit. (A. 1347.) Vivendi finem nactus anno 1352.

198. *Innocentius VI.* Gallus. (An. 1362.)
199. *Urbanus V.* Gallus Benedictinus Romam tetendit, eoque petentem Orientis Imperatorem Joannem Palæologum, & ſchiſma ejurantem excepit. (An. 1369.) Obiit Avenione. (An. 1370.)

200. *Gregorius XI.* Hic e Gallia Curiam denuo Romam traduxit. (A. 1377.) Altero inde anno mortuus. (A. 1378.) Quæ translatio cum Gallos offenderet, Romanos contra de retinenda ſede redderet ſollicitos, ſemina in multorum animis peperit futuri ſchiſmatis.

201. Etenim nullum non lapidem movere Romani, quo Cardinales *Italum* eligerent futurum Pontificem. Damnati votis ſuis ſunt electo *Urbano VI.* Neapoli oriundo. Hic cum ſeverius nonnihil ageret, id pertæſi tredecim Cardinales Gallici ſanguinis Gebennam ſeceſſum faciunt, ac cum aliis tribus Italis Cardinalibus ſuas in partes tractis, omni jure ac moribus reclamantibus, alium Pontificem eligunt Robertum Gebennenſem, quem

* Clementis VII. nomine donant, atque in Gallias Avenionem transferunt. Ibidem anno 1389. extincto ſufficiunt Petrum de Luna, nomine

* Benedicti XII. qui vulgo XIII. habetur.

Urbanus vero VI. diem extremum clauſit an. 1389.

202. A Cardinalibus Romæ degentibus ſacras infulas ſuſcepit *Bonifacius IX.* Cui ex calculo graviter laboranti medici impio conſilio ſuaſere, ut jactura caſtitatis

ſtitatis morbum mortemque redimeret: quod ille deteſtatus mortem in lucro numeravit. (A. 1404.)

203. Cardinales ad electionem accincti jurejurando ſeſe una omnes obſtringunt, ut, quisquis ipſorum Pontifex deſignaretur, Pontificatu ſeſe ſponte deinceps abdicaret, ſi ad componendum Eccleſiæ ſchiſma id Sacro Collegio, aut cuidam coacto Concilio videretur neceſſarium. *Innocentius VII.* conſentientibus omnium votis expetitur. Haut multo poſt mortuus. A. 1406.

204. Eodem quo prius modo a Cardinalibus electus eſt Angelus Corarius Venetus nomine *Gregorii XII.* Cum videretur Schiſma ad Græcas fere Calendas abiturum, Sigismundus Imperator ad illud tandem ſopiendum omnem conatum adhibuit, moleſtis itineribus totam pene Europam percurſans. Ipſeque Carolus VI. Galliæ rex favorem Petro de Luna, ſeu Benedicto Avenione ſedenti negavit. Cœtus vero ille Purpuratorum Patrum, coacto Piſis Concilio (An. 1407.) utrumque, & Gregorium XII. & Petrum de Luna datæ Fidei ac jurisjurandi admonet. Quod cum etiam Gregorius ſervare tergiverſaretur, Pontificatum eidem abrogant. (A. 1409.) Demum ipſus ille in Concilio Conſtantienſi faſces poſuit an. 1415. Obiit an. 1417. Petro de Luna interim cedere nolente.

205. Itaque electus *Alexander V.* Ordinis Minorum S. Franciſci. Vitæ finem impoſuit an. 1410.

206. *Joannes XXI.* vulgo XXIII. Neapolitanus. Concilium Conſtantienſe coëgit: ibi dicto Sacramento ſpopondit, ſe ultro ceſſurum, ſi id facerent etiam duo antipapæ Gregorius, & Benedictus. Fecit id Gregorius: Benedictus vero pertinax ſententia lata ſubmotus eſt: Verum Joannes, ſubeunte eum promiſſi pœnitentia, clam urbe Conſtantia elabitur, ope Friderici Auſtriæ Ducis. Sed tandem tamen, agente Sigismundo Imp.

qui

qui Concilio cum multis principibus aderat, ſacram Tiaram ſponte poſuit. Benedictus vero ſeu Petrus de Luna in Hiſpaniam ſe recipere coactus a ſententia dimoveri non potuit, adeo, ut duobus Cardinalibus, quos in ſuis adhuc partibus numerabat, moriens præceperit, alium poſt ſe eligere. (A. 1424.) Id quidem illi non neglexerunt indito cuipiam nomine Clementis VIII. ſed quem nemo vel oculo dignatus eſt. Atque hunc in modum extinctum eſt graviſſimum ſchisma per Concilium Conſtantienſe, ceſſionem Gregorii & Joannis Pontificum, ac demum Martini V. electionem A. 1417.

207. *Martinus* vulgo V. alias dicendus III. Huſſitis ſacrum bellum, ſed ſiniſtro Marte indixit, defunctus anno 1431.

208. *Eugenius IV.* Venetus Synodum Generalem Baſileam indictam a Martino V. inchoavit. (A. 1431.) Ea cum Seſſionem vigeſimam quintam celebraret, Eugenius Apoſtolica autoritate eam edito decreto diſſolvit, & Ferrariam, Italiæ urbem tranſtulit. (A. 1437.) Cauſſa fuit, quod Patriarcha Conſtantinopolitanus, ceterique Græci, qui ad Concilium iſtud properabant, componendi ſchiſmatis ergo, laboribus itinerum fracti in Italia ſubſiſtere maluerint, tranſcendendis ulterius alpibus impares. Concilii ſolutionem iniquo animo ferentes quidem Baſileenſes Epiſcopi in Eugenium PP. inſurgunt, diem ei dicunt, audentque etiam eo ſpreto Antipapam creare Amedeum e Sabaudiæ Ducibus, eumque

* Felicem V. ſalutare, edito inſuper decreto, *Concilium eſſe ſupra Papam:* ſed quod ab illegitima ſynodo profectum nullius unquam roboris habitum fuit. Amedeus ſuaſu Galliarum regis, qui eundem primo nonnihil foverat, tandem pe-

 dum

dem male arreptum ultro posuit, sanctque obiit an. 1449.

Verum Eugenius IV. peste Ferrariam invadente Concilium ulterius movit Florentium (1439.) ibique præsente ipso Joanne Palæologo Orientis Imperatore Schisma a Græcis ejuratum est. Sanctus vero pontifex tot laboribus gloriose perfunctus hominem exuit an. 1447.

209. *Nicolaus V.* Misit Æneam Sylvium, & Joannem Capistranum ingentis Zeli virum e Familia D. Francisci, qui Hussitis in Boëmia irent obviam. Constantinopoli in Turcarum potestatem redacta, (An. 1453.) ingenti sumtu jussit Græcorum libros toto Oriente conquiri. Tumque Græcæ literæ in Italiam migrarunt, doctique Græci Turcarum furorem declinantes ab hoc Pontifice largiter sunt excepti. Obiit an. 1455.

210. *Callixtus III.* antea Alphonsus Borgia Hispanus, Expeditionem in Turcas indixit, qua illi ab obsidione Belgradi ingenti cum clade depulsi sunt. (An. 1456.) Ad DEI opem contra Turcas evocandam præceperat hora meridiana pulsu æris campani populum ad orationem excitari: quod & mane ac vesperi factum. Indeque natus est pulsus Angelicus, seu devotissimus ille mos Dominam nostram ad campanæ sonum salutandi. Vixit Calixtus an. 1458.

211. *Pius II.* Is fuit Æneas ille Sylvius patria Senensis e Piccolomineorum prosapia, obiit an. 1464.

212. *Paulus II.* Venetus (1471.)

213. *Sixtus IV.* Italus Franciscani Ordinis e vita excessit an. 1484.

214. *Innocentius VIII.* dictus ante Joan. Bapt. Cibo, origine Græcus, patria Genuensis. (A. 1492.)

215. *Alexander VI.* ante Rodericus Borgia Hispanus. Juvenis adhuc non optima fuit morum integritate: at

at Pontifex salutatus annum cum ageret 61. multa laboravit ad Ecclesiæ disciplinam stabiliendam aut restituendam, & ad Turcarum frangendos impetus nullis impensis, nullique labori pepercit. Ecclesiam amplissimis incrementis auctam vidit, detectis per Hispanos novi orbis insulis. Obiit an. 1503.

216. *Pius III.* Franciscus Tudeschius. Viginti septem modo diebus summo honore potitus.

217. *Julius II.* Monomachias, seu duella prohibuit excommunicatione in certantes constituta. Ob. A. 513.

§. II.
Propagatio Ecclesiæ.

Q. I. *Quid incrementi accessit Ecclesiæ seculo 14?*

℞. 1. Clemens V. PP. (A. 13 0.) Joannem de monte Corvino Minoritam cum potestate Legati ad Orientis plagas ire jussit, Tartaros, Indos, Æthiopas, aliaque Barbarorum nomina.

2. In regnum *Congo*, quæ Æthiopiæ pars est pertinaci soli subjecta, cum Lusitani suæ ditionis illud fecissent, Joannes Lusitanorum Rex petiit Christiana sacra propagari. (A. 1385.) Quod fecit Urbanus VI. PP.

Q. I. *Quid crevit Ecclesia seculo 15?*

℞. 1. In Concilio Florentino *Græci* posito Schismate ad Romano-Catholicæ Ecclesiæ sinum reversi sunt (An. 1439.) utut mox post Constantinopolitani ab ea defecerint. Cum Græcis una fecerunt *Armeni*, & Jacobitæ. Soluto vero Concilio missis Legatis sacramentum Romano Pontifici Eugenio IV. dixerunt *Æthiopes* an. 1442. *Syri* 1444. *Chaldæi* demum an. 1445.

2. Ferdinandus Castellæ Rex Granata *Maurorum* sede vi subacta illos universos tota Hispania exegit, (A. 1481.) pauloque post Judæos ingenti numero exulare jussit.

3. Christophorus Columbus patria Genuensis Naturæ sagacissimus explorator, suspicatus ultra Oceanum, solem occiduum versus, Orbem non esse terrarum vacuum, naves commeatum a Ferdinando rege obnixe rogat. His tandem impetratis vela facit tam faustis avibus, ut ingentes terrarum plagas detegeret, ac *novum* plane *Orbem.* (A. 1492.) Hoc comperto Summus Sacerdos Alexander VI. salutis tot populorum studiosus, Ferdinandum ad expediendam alteram classem excitat, eique copiam facit 180. *gradus longitudinis* Occidentem versus procedendi. Mittitur itaque Americus Vesputius Florentinus (A. 1497.) a quo etiamnum nomen ultimo huic orbis quadranti *Americæ* hæret. Qui sinceram Fidei lucem his populis afferrent, electi ex omni numero sunt Benedictini monachi duodecim cum antesignano *Buelio* Abbate, & totius novi orbis primo Patriarcha, Legato Apostolico.

4. Similem potestatem Alexander VI. fecit Joanni II. Lusitaniæ regi, pergendi Orientem versus: qui Calecutum, aliaque Indiæ Orientalis loca sui juris fecit, ac deinceps etiam Brasiliam amplum Indiæ Occidentalis regnum Anthropophagorum. Firmandæ porro Catholicæ Fidei ergo Franciscani, deinde Dominicani in has oras devecti, summa contentione collaborarunt in gentibus illis ad mitiores leges componendis, quæ ab omni cultu alienæ ferarum vitam degebant.

§. III.

§. III.
Perſecutiones.

Q. I. *Paucis abſolve, quibus turbis obnoxia fuerit Eccleſia binis hiſce ſeculis* 14. & 15.

℞. 1. Wenceslaus Boëmiæ rex (A. 1380.) & Cæſar pulcro cognomine *Segnis* (der Faule) non leviter res Chriſtianas afflixit, in Boëmia maxime: in Viros Eccleſiaſticos ſævus, ſacrorum contemtor. Joannem Nepomucenum, qui Imperatrici a confeſſionibus erat, tetro carcere affectum Moldava demum fluvio mergi juſſit, haut alia de cauſſa, quam quod ſacrilege prodere nollet, quæ ſibi ab Imperatrice in ipſo ſacro tribunali arcane credita fuerant. Is ſanctorum albo adſcriptus eſt a Benedicto XIII. A. 1729. Huſſitas impune graſſari, eorumque vires invaleſcere ipſe permiſit, atque hinc unica cauſſa fuit graviſſimæ deinceps eorundem adverſus Eccleſiam ſeditionis.

2. *Huſſitæ* (A. 1420.) primipilo Joanne *Ziska* (is lumine utroque licet captus, militiæ tamen ſtrenuiſſimus, cetera crudelis animi nebulo fuit) Boëmiæ ſacra loca fœde depopulati ſunt. Ziskæ ſolemne fuit captivorum verticem manu tentare, quosque e raſura capitis deprehendiſſet monachos aut Clericos eſſe, præacuto malleo, quem ſemper dextra præferebat, calvæ impacto necare. Is morti proximus ſuis juſſit, ut pellem cadaveri ſuo detractam ſuper tympanum extenderent, hoſtibus terrori futuram.

3. *Turcæ* Thracia ſub jugum miſſa Pannoniæ imminebant, eodem impetu protrituri univerſam, ni Joannes Hunniades Corvinus Hungarici exercitus Archiſtrategus accerrimus militiæ rem Chriſtianam ſuſtentaſſet. [A. 1441.] Vertente nihilominus anno tertio Uladislaus Hungariæ, Po-

 loniæ-

loniæque Rex cum universo exercitu internecione deletus est. (A. 1444.)

In Oriente Imperio præter Græciam, Constantinopolim, & quasdam insulas vix quidquam supererat ditionum, omnia rapiente Barbaro: dum eadem sors Regiæ *Constantinopoli* obvenit, quæ capta est. A. 1453.

§. IV.
Doctrina ac Disciplina Ecclesiæ.

Q. I. *Constititne hoc ævo suus decor Ordini Monastico?*

℞. Constitit; id quod nullo negocio disces ex recens tunc natis sacræ Monastices familiis.

1. *Ordo S. Salvatoris* a S. Brigitta Daniæ regis filia, Ulphonis principis apud Suecos viri vidua conjuge institutus est (A. 1363.) & ab Urbano V. PP. lege sancitus. (A. 1370.)

2. *Hieronymitanos* sub regula S. Augustini mereri docuerunt (A. 1274.) Petrus Fernandus Hispanus, & Petrus Romanus, annuente Gregorio XI. 1374.

3. *Eremitæ S. Hieronymi* prodierunt an. 1380. a Pio V. PP. deinceps ad pristinum vigorem revocati.

4. *Franciscanos* sic dictos seu Fratres minores *de observantia* severioribus his legibus constrinxit S. Bernardinus Senensis Minorita. (A. 1418.) Minoritæ vero deinceps dicti sunt *Conventuales* S. Francisci.

5. *Bursfeldensis* Congregatio a Joanne Rhodio Abbate Benedictino convocata est, atque e multis Cœnobiis per Westphaliam, reliquamque ad Rhenum & Visaram Germaniam coacta an. 1435.

6. S.

6. S. *Franciscus* Paula Italiæ loco oriundus, discipulos & alumnos suos, quos authoritate Sixti IV. conscripserat (A. 1474.) *Fratres Minimos* dici, atque humilitatis præcipuam curam habere jussit. Virorum sanctissimus, nullique mire gestorum gloria secundus immortalem vitam auspicatus est an. 1507. Cujus sacræ Exuviæ, nullam adhuc labem a putredine expertæ, cesserunt furori Calviniano, qui flammis sanctorum memoriam atque ossa deletum ibant an. 1562.

7. *Moniales de Conceptione* B. Mariæ V. Toleti in Hispania suscitatæ a Beatrice de Sylva nobili Lusitana. (A. 1484.) Quod ratum habuit Innocent. VIII. easque Virgines Cisterciensibus, ac Legi Benedictinæ subdidit. (A. 1489.) Post vero in S. Francisci castra transierunt. (1494.)

§. V.
Hæreses & Schismata.

Q. I. *Schisma Sacerdotii atque Imperii seculo decimo quarto extitisse dixisti; qualenam illud & unde?*

℞. Nempe Pontifices quosdam inter & *Ludovicum Bavarum* Cæsarem. Henrico VII. vita functo Germaniæ proceres, hi, quos, cum optandi Cæsaris penes ipsos stet potestas, Electores dicunt, in duas abiere sententias, (A. 1313.) his Ludovicum Bavariæ Ducem Augustum salutantibus, illis Imperii fasces Friderico pulchro Austrio deferentibus. Utroque rerum summam ad se pertinere putante, ventum ad arma est, (A. 1314.) atque pertinaci marte de corona certatum. Decretoria demum pugna in Bavaria commissa (An. 1322.) superior Ludovicus Schvvepermanni Strategi sui virtute Fridericum Austrium non regno solum, sed & libertate multat; quem triennio custoditum non

 ante

ante dimittit, quam omni in Imperium jure cessisset. A. 1325. Hæc inter summus Pontificum Joannes vulgo XXII. ratus, diuturno usu, & ab antiquis petito jure suarum partium esse, & coronare Cæsarem ab Electoribus dictum, & eundem confirmare, & ortam in Electione litem decernere, jussit utrumque & Ludovicum, & Fridericum fascibus interim positis suam summi Pontificis sententiam expectare. [A. 1324.] At Ludovico durum videbatur diadema missum facere, antagonista in ordinem jam fere redacto: neque adeo dubitabat Pontificis mandata insuper habere. Non tulit id Pontifex, sed die eidem dicto Ludovicum a Christianorum societate extorrem facit. Hac sententia commotior Ludovicus Romam [A. 1328.] petit, (a qua tum longe agebat Pontifex Avenione moratus) Petrum *Corbarium* infaustis, illegitimisque Infulis donat, Papamque dici jubet Nicolaum V. Obiit dein Joannes PP. [A. 1334.] Ludovico in sua sententia permanente. Benedictus XI. mitis ingenii Pontifex anathemate soluturus Ludovicum videbatur, nisi id cum Ludovici vel potius satraparum ejus & Legatorum inconstantia, tum Galli quidam intervertissent. Itaque nihil actum. Quin Clemens VI. priorem sententiam innovavit. [A. 1346.] Atque hoc loco res erant, cum anno subeunte Ludovicum subita fata auferunt. [A. 1347.] Qua morte & Caroli IV. Lucelburgici Boëmiæ Regis in Imperatorem electione extinctum est gravissimum illud schisma.

Q. II. *Ede jam* hæreses, *quas seculum* 14. *&* 15. *tulit.*

℞. 1. Primas hic tenet Joannes *Wiclef*, superbus in Anglia Academiæ Oxoniensis (Oxford) Theologus. Cum Præfecturam Collegii Cantuariensis invaderet, quæ solis Monachis debebatur, sententia Archiepiscopi primum, mox Urbani V. PP. deturbatus

batus eſt. [A. 1370.] Actus inde in rabiem cœpit acheronta movere, ac virus emovere. Novit callidus homo & vafer ingenio animis quorundam magnatum illabi : Schiſma etiam Avenionenſe, & perturbatæ id ætatis Angliæ res non parum ſerviebant malevolo homini & ad turbas nato. Errorum ejus ingens eſt farrago: ſed tu ex ungue leonem. 1. *Chriſtum reapſe non ſubeſſe Myſticis ſpeciebus.* 2. *Deum obedire diabolo debere.* 3. *Confeſſionem externam eſſe otioſam.* 4. *Principibus laicis adeſſe facultatem ſacra divinaque definiendi.* 5. *Plebeiis integrum eſſe pro ſuo arbitrio caſtigare Dominos ſuos peccantes.* 6. *Religioſis inſtitutis homines ineptos fieri ſervandis Dei juſſis. Sanctos, inſtituendo diſciplinam Monaſticam, gravi piaculo ſe obſtrinxiſſe. Nec viros religioſos Chriſtianorum numero habendos ante quam apoſtataverint. Imo Auguſtinum, Benedictum & Bernardum ultricibus gehennæ flammis teneri, niſi de monaſtice conſtituta eos pœnituit.* 7. *Academias, ſtudia, gradus diaboli negocium eſſe.* 8. *Imperatores & Principes diabolo manus dediſſe, cum Eccleſias prædiis & facultatibus auctum ivere.*

Tam infanda non potuerunt non a ſanis mentibus damnari. Solum vulgus turbarum ſtudioſum, & potentes quidam bonorum Eccleſiaſticorum cupidi Wiclefi ſomnia utroque pollice laudabant. Verum Academia Pragenſis tunc ætatis fere unica, editis ſolemnibus tabulis Wicleſum execrata eſt : [A. 1388.] quibus nomina ſua atque ſententias lubentes ſubſcripſere Joannes Huſs, & Hieronymus Pragenſis.

Et Richardus II. Anglorum Rex [1389.] ceterique qui eum exceperunt, exuri, æternisque tenebris mandari cum libros, tum Wiclefi doctrinam decreverunt. Qui Wiclefus infauſtam animam orco tradidit an. 1384.

Demum Concilium Conſtantienſe nefandum dogma latius proſcripſit: (A. 1414.) ipſumque infauſtum Hæreſiarchæ cadaver dudum tumulo mandatum refodi, redigique in cineres imperavit, pœna nempe hæreticorum.

2. *Joannes Huſs* Academicus Pragenſis Wicleſiana ſomnia in Boëmia ſuſcitavit, ſuisque novis auctiora etiam reddidit, quæ ipſe paulo ante damnaverat. Non fuit difficile Huſſio impie docere ſub impio rege Wenceslao. Tum maxime cum gentes Saxonum, Bojorum, Polonorumque a Wenceslao in magiſtratu Academico gerendo ſpretæ civitatem verterent (A. 1409.) triginta, ut ajunt, millibus octiduo emigrantibus. Tunc enimvero regnare Huſſius, tunc ſeditioſis concionibus (Sacerdotis enim munere fungebatur) populi in ſe ſtudium convertere.

Concionandi munere interdictus ab Alexandro (A. 1410.) & a Joanne XXIII. (A. 1411.) ad dicendam cauſſam Romam vocatus, contemſit: diris Eccleſiaſticis propterea jure devotus.

Concilium Conſtantienſe diem dixit hæretico. Sed nullius bonæ rei ſibi conſcius latebras quæſivit: donec Imperator Sigismundus commeatum (*Salvum Conductum*) dederit, quo tuto tranſire omnes Imperii terras Conſtantiam usque poſſet, vetito nihilominus, ne Conſtantia amplius diſcederet, inſalutato Cæſare. A Concilio tamen commeatum nunquam impetravit. Conſtantiam appulſus impotenter ſe geſſit, ut etiam in hoſpitio ſuo ſacris operari ſacrilegus myſta non horruerit. Monitus a Cæſare, ut palinodiam caneret, ni mallet rogo præda fieri, cuti ſuæ timens curru ſtramine onuſto ſeſe abdidit, fugamque tentavit. Verum ex ea retractus, Patrumque ſententia ſacerdotali officio exutus Poteſtati Judicum ſecularium traditus eſt, qui eum rogo addixerunt, itaque ductus eſt redimitus mitra papyracea, pictis in ea dæmonibus hac cum epigraphe: *Hæreſiarcha.* (A. 1415.)

3. Hie-

3. Hieronymus Pragenſis, qui in promovendo errore ſtrenuam operam Huſſio addixerat, pœna ſocii perculſus impium dogma valere juſſit: ſed mox relapſus eadem & ipſe interiit. (A. 1416.)

Q. III. *Quis fuit demum exitus funeſtæ hæreſis?*

℞. Deinceps, ut amat hæreſis, in partes abierunt Huſſii ſequaces: duas præcipue.

1. *Thaboritæ* dicebantur, quibus puta, puraque Huſſii doctrina cordi erat: id nominis nacti a caſtro *Thabor*, quod colli imminens tanquam ſeditionis ſuæ regiam duce Ziska conſtituerant.

2. *Calixtini:* qui hæc tantum quatuor capita prætexebant. 1. *Communionem ſub utraque ſpecie eſſe prorſus ad ſalutem neceſſariam.* 2. *Dominium civile Eccleſiaſticis eſſe abrogandum.* 3. *Concionandi munere omnes ſine diſcrimine Chriſtianos fungi debere.* 4. *Nullum publicum delictum condonari poſſe, etſi ex correptione graviſſima mala naſcerentur.* Concilium Baſileenſe (A. 1431.) indulſit iis communionem ſub utraque: modo ne dicerent plane neceſſariam, ſed liberam cuivis permitterent. Qua facta ſibi copia tres reliquos articulos ultro expunxerunt, & in fidem Eccleſiæ Catholicæ recepti ſunt. Felices, ni mox ad ingenium reverſi priſtinis erroribus ſe dediidiſſent.

Sigismundus vero Imp. Regnum Boëmiæ ſeditioſo hoc numero refertiſſimum nactus, difficile & anceps bellum octodecim ipſis annis geſſit ab an. 1420. ad 1438. quo anno bellis iſtis defunctus eſt, altero poſt etiam vita.

§. VI.

§. VI.

Viri illuſtres.

Q. I. *Lauda mihi claros eruditione Viros ſeculo decimo quarto.*

℞. Etſi ingens ſit eorum exercitus, ex Ordine Ciſtercienſium, Minoritarum atque Dominicanorum, non tamen numerabo niſi binos.

1. *Franciſcus Petrarcha* Aretinus Thuſcus in vitam editus an. 1304. mitiorum muſarum in Italia reſtaurator extitit.

2. *Engelbertus* Admontenſis in Stiria Abbas S. Benedicti Ordinis omni literarum genere cultiſſimus inſignia edidit, multaque lucubravit de Philoſophia, Hiſtoria, Ethica, atque Theologia. Ob. An. 1321.

Q. II. *Qui demum ſeculo* 15?

℞. Multo uberior hoc ſeculo doctorum ſeges, refloreſcente in Europa doctrina atque e Græcia (capta a Barbaris Conſtantinopoli) in Latium palam migrante. En paucos!

1. *Alphonſus Toſtatus* Doctor Salmanticenſis Epiſcopus *Abulenſis* in Hiſpania ſacræ Scripturæ interpres omnium celeberrimus. Obiit An. 1454.

2. *S. Joannes Capiſtranus*, Franciſcanus de Obſervantia adverſum Huſſitas, atque Turcas a Pontifice Legatus; non ſanctitatis ſolum, ſed & ingenii monimenta reliquit; ad meliora fata diſcedens an. 1456.

3. *S. Antonius* Archiepiſcopus Florentinus, e S. Dominici familia, ſcriptis clariſſimus. [Obiit A. 1459.]

4. *Panormitanus* Juris Pontificii interpres nominatiſſimus. Is fuit Nicolaus Tudeſchus, Abbas Benedictinus, Epiſcopus Panormi in Sicilia. Quare & a Juris-

pru-

prudentibus *Abbas* ut plurimum compellatur. [Obiit An. 1455.]

5. *Laurentius Valla* Romanus Patritius, Canonicus S. Joannis in Laterano. Elegantiarum Linguæ Latinæ ſex libros condidit. Cetera mordacis ingenii atque ſtili. Diem obiit A. 1465.
Eruditione caput paullatim attollente, neceſſe fuit quam plures Grammaticæ inſudare egregios ſcriptores, quorum nonnullos paulo poſt prodam.

6. *Joannes de Turrecremata*, Dominicanus, Cardinalis. [Ob. A. 1468.]

7. *Thomas a Kempis*, Canonicus Regularis S. Auguſtini: multa ad pietatem inſigniter facientia ſcripſit, fato functus an. 1471. At Libellus *de Imitatione Chriſti* non ipſum autorem habet, ſed *Joannem Gerſen* Abbatem Vercellenſem O. S. Benedicti.

8. *Joannes Picus Mirandulanus*, Mirandulæ Dominus ſeu Princeps, Comes Concordiæ. Nullo non doctrinæ ac linguæ genere imbutiſſimus. Annos natus non plus 24. Romæ librum edidit [A. 1482.] nongentarum Theſium ex omni ſcientia & arte, eumque publico eruditorum certamini expoſuit ita compoſitum, ut a communi Doctorum ſenſu abhorrerent pleraque, a Pico tamen cum omnium ſtupore invicte propugnata. Sed cum nonnulla illorum aſſertorum in regulas doctrinæ Chriſtianæ paululum offendere viderentur, Innocentius VIII. PP. vetuit, ne paſſim ab omnibus legeretur ille liber: Pico nihil invito, qui eum Palæſtræ tantum expoſuerat diſputationis ergo. Obiit A. 1494. ſummæ ſpei Juvenis annum agens 32.

9. *Joannes Trithemius*, Benedictinus Abbas Spanheimenſis, inde Herbipolenſis, Poëtica, Hiſtorica, Philoſophica, Mathematica, atque ſacra doctrina

ctrina neminem suo ævo superiorem habuit. Obiit anno 1516.

CAPUT VII.

A Leone X. 1513. ad Benedictum XIV. & præsens ævum 1741.

§. I.

Summi Pontifices a Leone X. ad Benedictum XIV.

218. *Leo X.* Joannes Medicæus. Sacra Tiara donatus anno 1513. Qui si quidpiam egisset censoria nota dignum, id non tacuisset Lutherus, qui odio plus quam Vatiniano in sanctum Pontificem ferebatur. Hunc tamen atro carbone depingere non cessant mendaces hodie hæretici Luthero ipso pejores. Obiit A. 152 .

219. *Hadrianus VI.* Batavus, præceptor olim Caroli V. Imp. (An. 1523.)

220. *Clemens VII.* Julius Medicæus. Fœdus, quo se Francisco Gall. Regi, & Venetis junxerat, iniquius tulit Carolus V. Ejus sane exercitus ex hæreticis Lutheranis nempe ac Zvvinglianis potissimum conflatus, inscio quidem, ut fertur, Cæsare Roma, Pontificeque capto sacra omnia pessumivit, equis per templa ad ipsas aras stabulantibus, & feroci milite passim per vicos jactante: *Lutherus Papa! Lutherus Papa!* Redditus libertati pius Pater Carolum Augusto diademate redimivit. (A. 1530.) Henricum Angliæ regem diris devovit ob incestas nuptias, (A. 1533.) & turpem a Fide defectionem. Vixit an. 1534.

221. *Pau-*

221. *Paulus III.* Alexander Farnesius. Juvenis ad vitia declinaverit, sed ad frugem rediens Cardinalitiam purpuram, ac Pontificalem demum tiaram meruit. Synodum œcumenicam ad componendas hæreses Tridentinum convocavit, (A. 1545.) multisque pro Ecclesia laboribus immortuus est. (A. 1549.)

222. *Julius III.* Syros in Fidem recepit (A. 1552. dein & Anglos cum *Maria* Regina a schismate resipiscentes. (A. 1554.) Defunctus anno 1555.

223. *Marcellus II.* altero & vigesimo Pontificatus die rebus humanis valefecit. (A. eodem.)

224. *Paulus IV.* Joannes Petrus Caraffa, Clericus Regularis ex iis, qui Theatinorum nomine celebres sunt. Doctissimus Pontificum primus vulgavit catalogum librorum illorum, quorum lectione interdicitur Christianis ob erroneæ doctrinæ virus in iis latens: eodemque anno ad meliora migravit. (An. 1559.)

225. *Pius IV.* Joannes Angelus Medicæus. Hic finem imposuit Concilio Tridentino (A. 1563.) idemque sua autoritate stabilivit. (An. 1564.) Animam deinde reddidit. A. 1565.

226. S. *Pius V.* Bononiensis, familiæ S. Dominici. Pontifex salutatus an. 1566. Elisabetham Angliæ reginam ad hæresin reversam anathemate perculit. Ejus auspiciis & precibus Turcæ ad Naupactum maritimo ingenti prælio fusi sunt. (A. 1571.) Cælos subiit an. 1572. Sanctorum Albo adscriptus a Clemente XI. PP. anno 1712.

227. *Gregorius XIII.* Bononiensis. Egregium Reipublicæ Christianæ opus præstitit corrigendo Calendarium a Julio Cæsare olim in hanc normam redactum, sed ob quædam, quæ ille neglexerat temporis momenta, decem jam dierum intervallo aberrans (A. 1582.) Huic Calendario, utpote a Pontifice profecto dicam scripserunt Hæretici; donec tandem ipsa rei

rei necessitate convicti nuperrime subscripserint. An. 1700. In vivis esse desiit. A. 1585.

228. *Sixtus V.* Minorita. Elisabethæ Anglorum reginæ maledixit ob commissum in *Maria Stuarta* Scotorum regina parricidium. [A. 1587.] Ædificiis Urbem auxit. Thesaurum quadringentarum myriadum (4000000) in futuros usus reposuit. Mortuus an. 1590.

229. *Urbanus VII.* [An. eod.]

230. *Gregorius XIV.* Nicolaus Sfondratus Mediolanensis. Obiit An. 1591.

231. *Innocentius IX.* I. Antonius Fachinettus Bononiensis, altero mense emortuus.

232. *Clemens* VIII. Aldobrandinus, patria Florentinus. Lucis usuram amisit A. 1605.

233. *Leo* XI. e Medicæorum gente. Ex morbo extremum decumbens nullis vel Cardinalium, vel Legatorum precibus adduci potuit, ut Nepotem suum, utut eo honore dignissimum, in purpuratorum Patrum cœtum adlegeret: quin Sacerdoti, quem a confessionibus habebat, idipsum sibi suadenti aspectu suo, aditque interdixit. Itaque sanctam animam egit, vigesimo septimo, postquam Pontifex renunciatus fuerat, die. (An. eod.)

233. *Paulus V.* Burghesii stemmatis. Vixit A. 1621.

235. *Gregorius XV.* Pompejus, Bononiensis. A Maximiliano I. Bavariæ Duce accepit [An. 1622.] signa hostibus hæreticis erepta in monte albo Pragæ, una cum Bibliotheca Palatina Heidelbergensi, tanquam spolium ab hæreticis reportatum, Vaticanis armariis inferenda. Congregationem Cardinalium *de propaganda* Fide instituit: (An. eod.) Sanxitque, Electionem Summi Pontificis deinceps habendam suffragiis non palam, seu viva, quod ajunt, voce pronunciatis, sed secretæ schedæ commissis. Parisien-

sem

ſem Cathedram juſſit deinceps eſſe Archiepiſcopalem. Ob. an. 1623.

236. *Urbanus VIII.* Matthæus Barberinus, Florentinus. Illi Æthiopum Imperator ſacramentum dixit. Janſenii librum de gratia, *Auguſtinum* dictum, proſcripſit. (A. 1641.) Præter reconditiorem eruditionem hic Pontifex non minimum etiam Venæ Poëticæ hauſit, editis non piis minus atque elegantibus carminibus. Fato ſuccubuit an. 1644.

237. *Innocentius X.* e Pamphiliorum nobili proſapia. Damnavit *quinque* famoſas *propoſitiones* e Libro Janſenii extractas. (A. 1653.) Pacem Monaſterii in Weſtphalia Cæſarem inter & Suecos ſancitam reprobavit, (A. 1649.) cum veræ religionis & Eccleſiæ commodis pugnantem. Cardinales Titulo *Eminentiſſimorum* honorari præcepit, aliis omiſſis. Obiit A. 1655.

238. *Alexander VII.* Fabius Chiſius. (A. 1667.)

239. *Clemens IX.* (A. 1669.)

240. *Clemens X.* Alteriorum e familia. (A. 1676.)

241. *Innocentius XI.* Benedictus Odeſchalchus, Lombardus Novocomienſis, Cœnobia Benedictina per Bavariam & Palatinatum ſuperiorem ſita in unam Societatem congregavit, atque Exemptam eſſe juſſit A. 1684. Tituloque *Sanctorum Angelorum* decoravit. Michaëlem Molinos *Quietiſtarum* autorem damnavit, 1687. Ad ſuperos migravit an. 1689. De cujus apotheoſi jam nunc Romæ agitur.

242. *Alexander VIII.* Ottoboni. Venetus. (A. 1691.)

243. *Innocentius XII.* Pignatellorum ex ſanguine, Neapolitanus. (A. 1700.)

244. *Clemens XI.* Joan. Franc. Albanus, Urbinas. Conſtitutionem illam: *Unigenitus*, vulgavit: (A. 1713.) vitam cum morte commutavit anno 1721.

245. *Innocentius XIII.* Princeps de Comitibus (vulgo *Conti*) magno sui relicto desiderio fatis cessit. an. 1724.

246. *Benedictus XIII.* Vulgari ordine dicendus XIV. Illustrissima Ursinorum, seu Orosinorum gente satus. Dominicanæ familiæ Augustissimum jubar: dictus ante Pontificatum Vincentius Maria. Quem sacrum collegium Pontificem salutavit die 29. Maji. an. 1724. Apostolici zeli, & in tanto honorum apice modestiæ summa laude oculos in se omnium, animosque rapiens, quædam etiam mira, homineque majora patrasse jamjam narratur.

247. Benedicto sanctissime fatis functo post diu agitatam electionem suffectus est *Clemens XII.* ex gente Florentina Corsinorum. 1730.

248. *Benedictus XIV.* electus 16. Aug. 1740. ex familia Lambertinorum, editis doctissimis libris clarissimus.

§. II.
Propagatio Ecclesiæ.

1. Caroli V. Imperatoris & Hispaniarum Regis auspiciis detectæ sunt ingentes in America terrarum plagæ Mexicani Regni, quod *novæ Hispaniæ* nomen nactum est, antiqua multo amplius. Inde *Peruvium* (A. 1525.) auro, populoque dives regio. Omnes hi populi jugo Christi colla submittere docti mire Ecclesiam auxerunt. Equidem auri cupidine tacti Hispani rudem gentem diris modis exagitarunt: verum ea de re edoctus Carolus, missis, qui in reos inquirerent, mitiora tempora restituit. (A. 1547.)

2. Nec minus Joannes III. Lusitaniæ rex Francisco Xaverio viro e Societate JESU sanctissimo potestatem fecit in Indiam Orientalem, *Japoniam* & *Chinense* imperium penetrandi, ingenti barbarorum numero ad Christiana sacra traducto. (A. 1552.)

3. Quid

3. Quid quod præter S. Dominici, ſanctique Franciſci alumnos, Veteranos jam in ſubigendis Infidelibus milites, & ſtipendia ſua adhucdum gnaviter proſequentes, DEI nutu inclyta *JESU Societas* his terris nata ſit, (A. 1540.) quæ ſolemni ſacramento ſeſe obſtringit ad difficillimas in barbaram quamvis gentem ſuſcipiendas expeditiones?

4. *Syri* a Neſtoriano dogmate reverſi Julii III. PP. juſſa exceperunt. (A. 1553.)

5. Gregorio XIII. *Cophti* Orientis populus & ſecta, fidem & obedientiam promiſere. (A. 1580.)

6. Ad Paulum V. Legationes miſere Reges *Japonum*, *Congi* & *Perſidis*, ſanæ Fidei regulas e Romana Cathedra petituri. (An. 1615.)

7. Spes erat regni *Siam* (Aſiæ pars eſt) Eccleſiæ finibus adjiciendi (A. 1680.) Rex enim erga Chriſtianos Gallos optime affectus rerum ſummam eis detulerat: at eo fatis extincto, procerum non nemo ſolum vertere omnes coëgit. Sub Alexandro VIII. PP.

8. Adhæc multi ex Catholicis Principibus ad Eccleſiæ gremium reverſi ſunt, ut Saxo, Palatinus, Würtembergenſis &c.

§. III.
Perſecutiones.

1. Funeſta ſane ſunt, quæ ab anno 1520. in præſentem diem auſi ſunt Hæretici in Catholicos Lutherani in Germania, Hugonotti ſeu Calviniani in Gallia, iidemque in Anglia & Batavia, ſeu Hollandia. Verum ea commodius §. 5. perſequar, cum Hæreſum iſtarum incunabula & progreſſum enarrabo.

2. Hæ Germanorum Hæreticorum turbæ cauſſa fuerunt barbaræ in Pannonas irruptionis Turcarum. Hi enim vigili oculo attendentes, Auſtriacos Principes atque reliquos Germanos in comprimendis ſeditioſis hæreticis eſſe occupatiſſimos, auſi ſunt infeſta ſigna

Europæ inferre. An. 1521. Maxime cum ab Hæreticis etiam invitarentur, adversum Austriacam Augustissimam gentem. Quid quod Lutherus palam sequaces suos damnabat, qui sacræ contra Turcas militiæ quidquam operæ præstare volebant?

§. IV.
Doctrina ac Disciplina.

Q. I. *Amabo his etiam postremis, funestisque temporibus Monasticus ordo splendorem retinuit?*

℞. Ne dubita, quin etiam adauxerit, recentibus Religiosorum familiis indies subnascentibus, quarum altera cum altera de vitæ rigore, de morum sanctitate, deque eruditione contendit. Præcipuas, reliquis missis, enumero.

1. *Capucini* a F. Mattheo de Bascio hac demissa paupereque vivendi methodo instructi sunt an. 1525. quod ratum habuit Clemens VII. an. 1527.

2. *Theatini* eodem tempore a B. Cajetano Thienæo patria Vincentino docti non modo prædiorum, aliorumque bonorum dominio se abdicare, verum ne mendicato quidem victum quærere, sed sponte tantum oblatis victitare; cum tamen plerique omnes ex illustri prosapia sanguinem trahant.

3. *Ordo Charitatis* seu de *Misericordia* a S. Joanne de Deo Hispano (A. 1538.) Confirmatus a Pio V. PP. an. 1572.

4. *Societas JESU* S. Ignatius Loyola Cantaber Hispanus in obsidione Pampelonæ arcis cum fractum tormenti

menti ictu crus cataplasmate, lectique custodia curaret, fallendi temporis ergo vitas Sanctorum pervolvit. Sancta illorum vivendi ratione tactus optimæ alias indolis adolescens mente agitare cæpit nescio quid de nuncio rebus terrenis mittendo. Sanitati restitutus nihil nectens morarum fuga se in Montem Serratum subducit: Vestibus, quibus pro conditione sua utebatur pretiosis, pauperi dono datis, armisque e tholo Almæ Virginis suspensis, primum animi vulnera Monachis ibi Benedictinis aperit, nactusque ab illis Patribus sanctioris vitæ leges, non modicum temporis, ut sibi uni ac DEO vacaret, impendit. Inde Lutetias profectus prima literarum rudimenta tentare non erubuit jam fere Vir, & trigesimum ætatis annum superans. Dies me deficiat, si quæ ille pro virtute & gessit, & pertulit, vel tenui filo describere ausim. Lectis ergo sex ejusdem animi Sociis una cum iis in montem Martyrum contendit, quod est Benedictini instituti cœnobium prope Lutetias, religiosioris vitæ sacramentum DEO nuncupat, idque mox Romæ in Ecclesia S. Pauli, quæ itidem Benedictinorum est, iterato ac solemnius agit, (1540.) postquam summus sacerdos Paulus III. leges illas seu regulas, quas sociis suis tenendas Ignatius proposuit, suo nutu comprobasset. Itaque summo totius Ecclesiæ bono natus est ille ordo, qui *Societas JESU* inclyto vocabulo laudari meruit, & a Pio V. PP. (A. 1571.) dictus est Clericorum regularium mendicantium, cum omnium bonorum possessionem (in *domibus* saltem, quas ajunt, *Professis*) a se plene abdicet. Hi inclyti Socii JESU languentes passim in Germania, aut aliquibus locis pene intermortuas scholas resuscitarunt; frequentiorem sacrorum mysteriorum (Pœnitentiæ & SS. Eucharistiæ) usum Christianis persuaserunt; ac demum in omnes novi præsertim orbis plagas difficillimas pro Christi Fide expeditiones (Missiones ajunt) susceperunt, singulari voto sese ad id genus laboris obstringentes.

4. *Congregatio Oratorii* Clericorum Regularium institutio debetur S. Philippo Nerio Sacerdoti Florentino. (A. 1575.) Quæ si nihil aliud fructus tulisset præter eruditissimum Annalium Ecclesiasticorum parentem commodis fecisset satis.

6. Congregatio Clericorum Regularium *Piarum Scholarum*, pauperum præcipue studiosorum bono omnem suam operam dicat; quam Josephus Calasantius Arragonius non eruditione, quam magna sanctitate minor sacerdos Romæ constituit. (A. 1617.)

7. Ut aliis enumerandis supersedeam, varii prodierunt seculo decimo septimo Monialium ordines, aut congregationes, quibus negocium est muliebrem etiam sexum tum in literis, artibusque generi congruentibus, tum maxime in pietate instituendi. Ita Salesian Virgines, (A. 1610.) ita Ursulinæ, A. 1611. ita demum congregatio Benedictina S. Scholasticæ (A. 1618.) Ecclesiam exornarunt.

Q. II. *Quæ fuit his seculis Doctrinæ Catholicæ facies?*

℞. Si nucleum ac medullam postules, eadem fuit, quæ primi ævi: quod sæpe te monui. Si methodum atque explanandi viam? noveris Theologiæ Scholasticæ, nunquam satis laudandæ, vim multum incrementi id ætatis sumsisse. Adhæc humaniores etiam musæ in obsequium Theologici dogmatis paulatim ascitæ plurimum huic splendoris attulerunt: Græca videlicet, Hebraicaque literatura; Historiæ qua sacræ, qua profanæ & cognitio & usus, Philosophiæ & Mathematices studia, ac quidquid demum est doctrinæ,

con-

convocatum eſt ad militandum pro ſinceritate Catholicæ Religionis contra hæreticorum furfures.

Verum ut fieri amat, ubi multa fervet doctrina, ibi multos reperire eſt, qui doctrina non utuntur, ea, qua par eſt, aut prudentia, aut pietate: ita his quoque temporibus nonnullis accidit. Nunquam tamen deſiderata eſt Maximorum Pontificum in medendo his morbis pervigil ſolertia. Quia Paulus IV. Nomina Scriptorum, quibus labis aliquid ſuis in libris excidiſſet, in elenchum collecta publice propoſuit (An. 1559.) eorumque librorum lectione Chriſtianis ſevere interdixit, a qua cura cum Tridentina Synodus, tum reliqui in hunc diem Pontifices nunquam remiſerunt.

Neve ſcholaſticis ſubtilitatibus aſſueta ingenia diſputationis æſtu abriperentur in doctrinas a ſano Eccleſiæ ſenſu non raro abhorrentes, ab Alexandro VII. (An. 1665.) ceterisque Pontificibus non paucæ talium doctrinarum, ſeu propoſitionum damnatæ ſunt, atque in ſcholis doceri vetitæ.

Q. III. *Cum variæ ſint inter ipſas Scholas Catholicas Sectæ, quarum aliam dici audio* Thomaſticam, Scotiſticam *aliam, aliam* Recentiorum, *& ego earundem ſectarum æmulos pro ſuis opinionibus velut pro aris & focis acerrime ſæpe decertantes hiſce auribus audiverim: ſcire velim, num hoc Catholico dogmati adverſum non ſit? novi enim unum ac conforme eſſe debere dogma illud, quod ab uno DEO ac Chriſto proficiſcitur?*

℞. Nihil te moveat Scholaſticorum fervor. Nam eos diſparis opinionis eſſe in iis tantum, quæ nec a Chriſto, nec ab Eccleſia palam decreta ſunt, ipſus cognoſces, cum illarum ſcholarum limen terere aliquando

occæperis. Cæterum omnes has diverſæ opinionis ſcholas videbis illico conſpirare, atque uno ore profiteri quævis dogmata, ſimul atque ab Eccleſia fuerint clare definita, utut ante definitionem ingentibus animis pro ſua quisque ſententia ſtetiſſet. Quisquis porro Eccleſiæ decreto aſſenſurus non eſſet, pro Catholico jam amplius minime haberetur, adeo non ſcholis aſſentiri, ſed Eccleſiæ, Catholicum facit.

Q. IV. *Non ſemel audivi, monaſtici, Clericalisque Ordinis diſciplinam tum temporis ſeculo decimo quinto, & quæ ſucceſſerunt, non minimum vitii contraxiſſe?*

℞. Non eo inficias, inteſtinis motibus, aliisque temporum injuriis, corruptum Clericorum, Monachorumque ſtatum fuiſſe, ſed multo maxime Laicorum. At non eſt, quod fidem adhibeas iis, qui nodum in ſcirpo quærunt, quique dum hærent in culice, camelos deglutiunt; hæreticos inquam, & alios in Eccleſiaſticum ordinem dicaces, hæreticisque parum abſimiles homines: qui ingentia fingunt crimina, & nihil ullibi ſanctitatis extitiſſe, credi ab omnibus volunt. Ne tamen ex vano me iſta arguere autumes, vera me dicere ex ſequentibus colliges.

1. Germania maxime vitiis obnoxia fuiſſe putatur: at non ita, ut criminantur malevoli. Vide enim Monachorum congregationes, quæ tum temporis conſtitutæ ſunt ad ſanctioris vitæ leges inſtaurandas: quarum Bursfeldenſis per inferiorem & ſuperiorem Germaniam ducenta fere Monaſteria complexa eſt: Cluniacenſis plurima ſuperioris Germaniæ cænobia ſancte inſtituit. Caſtellenſis (quod inclytum eſt Benedictinorum in Palatinatu ſuperiore cænobium, Societati JESU hodie datum) ſancta reformatio multis locis recepta; Bavariæ Abbatum labores ad inſtaurandam (dudum

dum antequam ſomniaret Lutherus) diſciplinam; Mellicenſis denique in Auſtria plurium cænobiorum congregatio falſi convincunt hæreticos.*

2. Tot viri illuſtres, quorum ne centeſimam quidem partem enumeravimus antehac, & paulo poſt enumerabimus §. 6. argumento ſunt, mentiri malevolos.

3. Si qua fuit enormis in ordine Clericali & monaſtico fœditas, ab impio Luthero profecta eſt; qui ſanctos eos dicebat, quicunque ruptis cænobiorum clauſtris ad ſacrilegas nuptias convolarent; illos porro dæmones, qui in clauſtris diſciplinæ ſtuderent. Qua fronte igitur audent Hæretici crepare, neceſſariam in Eccleſia fuiſſe Lutheri reformationem, ſi Lutherus ad ea ipſa ſcelera, libidines & peccata claſſicum cecinit, quæ ipſimet ajunt in monachis aut Clericis fuiſſe damnanda?

4. Adde, Principum, ſectam heterodoxam forte amplexorum, vi effectum eſſe, ut monaſteria dſererentur. Abbatibus enim & Religioſis exeſſe juſſis, Paſtor conſtitutus eſt Lutheranus aut ſartor, aut ſutor [id enim Lutheri dogma admittit] ejusque concionibus intereſſe non plebs ſolum, ſed & orphani illi Religioſi coacti ſunt. Nulli licuit in choro pſallere, nulli ad aram facere: detracta templis ſacra ſupellex, detractæ & exuſtæ ſacræ icones. Proventus denique annui Fiſco adjecti. Profecto hunc in modum nemo miretur, Aſceteria Religioſis viris orbata fuiſſe.



§. V.
Hæreſes & Schiſmata.
Num. I.
Hæreſis Lutheri.

Q. I. *Quis fuit Lutherus, & qualis?*

℞. Antequam ejus perſonam, ortum atque interitum exponam, quid de eo in faris fuerit, paucis accipe. Duo poſtremis temporibus regnum diaboli magnis incrementis auxerunt, *Mahumedes* & *Lutherus.* Hi ambo, & ſinguli num fuerint ipſe ille *Antichriſtus* a piiſſimo Salvatore dudum Eccleſiæ Catholicæ prædictus, an vero *præcurſores* tantum ejusdem fuerint, adhuc anceps eſt. Certe præclaræ illæ dotes, quæ de Antichriſto dicuntur, egregie conveniunt utrique. Nec impedit, quod duo ſint? Etenim plures futuros Antichriſtos ex ipſo Evangelio diſcimus.

Islebium itaque Saxoniæ oppidum publico orbis malo edidit Martinum Luder, ſeu Luther. (A. 1483.)

Per campos aliquando tendentis comitem adoleſcentem cum lapſum cœlo fulmen necaſſet, ipſe oſtento perculſus clauſtrum, habitumque ſacrum Eremitarum S. Auguſtini petit (1505.) terrore potius ductus, quam ſincero Numinis amore. Id quod ipſus ſuis in epiſtolis faſſus eſt poſtea.

Accenſus ſacro cœtui, vulpem tamen non exuit, quin fefellit pro homine probo apud pleroſque. Ajunt Romam aliquando negociorum cauſſa a majoribus miſſum, eminus etiam ſanctam Urbem e genibus ſalutaſſe, eodemque habitu ſacra loca circumreptantem viſitaſſe. Acceſſit, quod homo vafer ingenio ſuo qualicunque in

rem

rem suam egregie uti sciens, nullam captandæ auræ & opinionis occasionem negligeret.

At suboluit tamen aliis latens Hypocrisis, iis nempe, qui notarant, hominem jam inde a sacro tirocinio humiliora quæque obsequia declinare, ac præterea ventri etiam indulgere.

Sacrarum literarum Doctor creatus, sibi uni vigilare sapientiam ratus, ceteris vero obdormiisse, in id præcipue incubuit, ut amplo ac vehementi dicendi genere populum pro suggestu ab ejus ore pendentem raperet in sui primum admirationem, mox amorem.

His hunc in modum constitutis, patentem ad exerendam ambitionem suam campum nactus est, seu potius ipse sibi manu, quod ajunt, fecit. Miserat Leo X. PP. Joannem Tezelium Dominicanum cum potestate solemnes populo Indulgentias per Germaniam denunciandi. Luder id muneris libentius sibi arrogasset. Repulsam vero passus ab Archiepiscopo Moguntinensi, in ipsas Indulgentias declamare cæpit cum pro concione, tum propositis palam Thesibus. (A. 1517.) En hæc origo, hæc caussa, hæc incunabula funestissimæ hæresis!

Pontifex Ludero diem dicit, Romam ad caussam dicendam adesse jusso. Agente vero Friderico Saxoniæ Duce molli Luderi doctrina jam infecato, Cajetano Cardinali sistere se Augustæ jussus est. (A. 1518.) Huc igitur appulsus cum Joanne Staupizio Ordinis sui Vicario Generali, uno Notario, & quatuor urbis illius Senatoribus Cardinalem accedit. Post varia ultro citroque agitata tandem profitetur, staturum se decretis præcipuarum Academiarum, maxime Parisiensis, & Ecclesiæ Romanæ dictis audientem futurum.

At paulo post premendi deli haut amplius potens clam fugit cum Staupizio, edita appellatione ad Pontificem;

tificem, moxque ad Concilium aliquod Generale ipſius cauſſa cogendum.

Inde variæ ei cum Joanne Eckio & aliis diſputationes interceſſerunt, aliaque quæ paulo poſt referam, cum de progreſſu hujus hæreſeos dicendi locus erit.

Ipſe Luder a Summo Sacerdote diris Eccleſiaſticis devotus [A. 1520.] impotenti ſimul atque inſano auſu Pontificis hac ſuper re Diploma, & Corpus, quod vocant, Juris Canonici Vulcano dedit ſpectante oppido Saxoniæ Viteberga.

Accepto a Carolo V. Imp. commeatu [*Salvo-conductu*] Wormatiam tendit. [A. 1521.] Liber inde permiſſus abire, Banno tamen Imperiali ſubditus eſt tanquam pervicax hæreticus.

At Fridericus Saxo, qui ejus maxime partes ſuſceperat, clam omnibus peſtem detinet, ſervatque in arce Thuringiæ Wartburga, haut ita procul Iſenaco.

Biennio poſt, audito, Carlſtadium, ſuum antea Achatem, res novas moliri Vitebergæ, [A. 1522.] invito etiam Duce, erumpit ex aſylo, ſuumque Antagoniſtam dare locum cogit.

Neve aliquod deeſſet flagitii genus, Leonardum quendam Koppum ejusdem plane luti hominem ſanctam illam [ſi Superis placet] expeditionem in Parthenonem Nimicenſem ſuſcipere jubet, triaque Monialium plauſtra inde avehere.

Fuit in eo numero *Catharina de Borret*: quæ cum deinceps lupanaria aliquamdiu frequentaret, jamque uterum ferret meretrix ſacrilega, ſanctus ille vir Luder eam ſibi in Concubinam aſciſcit, prætento Matrimonii nomine ac titulo. Quin obſequium ſe præſtare DEO gloriatur, quaſi miſertus puellæ.

Ceterum vitam vixit non tam hominis, quam porci: ac periit demum Luder ipſo anno, quo Principes Smalkaldici Fæderis, cujus ipſe claſſicum dudum cecinerat, in Cæſarem inſurrexerunt. [A. 1546.]

Q. II.

Q. II. *Qui fuere errores illi, quos ex orco revocavit Hæresiarcha?*

℞. Aliquam multi quidem extiterunt, sed paucos tantum accipe. *Primo.* Nullum debere esse in Ecclesia Pontificem, seu Caput aut Moderatorem supremum, qui in rebus dubiis arbitretur. *Secundo.* Nihil credendum, quod non conceptis verbis seu *Expresse*, & luce meridiana clarius in sacris literis sit scriptum. *Tertio.* Easdem sacras literas esse per sese oppido claras, ut quilibet quantumvis rudis eas nullo negocio legere, intelligere, atque etiam interpretari valeat. *Quarto.* Huic addiderunt Lutheri sequaces; cuivis mortalium inditum esse *Spiritum* quendam *privatum*, seu numen intus loquens, quod omnia fidei Mysteria eum clare doceat, sensumque sacræ scripturæ cuivis seorsim reseret. *Quinto.* Sanctorum icones, ipsosque Sanctos, & Cælitum quoque Dominam nullo honore aut cultu esse mactandos. *Sexto.* Augustissimo Eucharistiæ Sacramento non contineri Christum transsubstantiatum; nec eidem adorationis cultum deferri posse. *Septimo.* Pia seu bona opera nullius esse meriti aut momenti, imo peccata ea esse. *Octavo.* Jejunia, corporis castigationes, preces Canonicas, quas psallunt Religiosi Choraulæ, manuum compositionem & erectionem, Crucis super frontem formationem, aliaque, nonnisi sacrilegas esse superstitiones. *Nono.* Confessionem auricularem non esse unquam faciendam. *Decimo.* Quemvis hominem, etiam mulierculas, Sacerdotes esse. Nec ullum ad hoc necessarium esse *Ordinis* Sacramentum. *Undecimo.* Romanum Pontificem esse Antichristum; Imperatorem vero, Reges, Principesque Catholicos membra esse Antichristi. *Duodecimo.* Religiones seu Ordinem Monasticum diaboli esse inventum. *Decimotertio.* Castitatem servatu esse impossibilem, ideoque sacerdotibus ducendas esse uxores. *Decimoquarto.* Demum Christianos omnes

omnes qua natura, qua gratia liberos esse, nec decere, ut sint subditi. *Decimoquinto.* Nefas esse Christiano, arma adversum Turcas capessere; nec Imperatorem in Turcas moventem a quoquam Christianorum esse adjuvandum.

Q. III. *Plurimorum aliorum dogmatum reus agitur Lutherus: Itane res habet?*

℞. Prorsus ita. 1. Nam Blasphemiæ, quas bene multas sparsit in Divos Cælites, in Christum Deumque nefandæ quidem sunt. 2. Præterea in sanctos Ecclesiæ Patres Augustinum, Chrysostomum, Gregorium &c. impie est debacchatus. 3. Quid quod sacras literas misere truncaverit suo libitu demens, addens, mutansque. 4. Spurcissimi oris rabula obscænos quosvis dicendi modos adeo sibi familiares reddidit, ut stercus & alia stercore fœdiora utramque paginam in plerisque ejus libris faciant. In more ei erat a cœna cum amicis suis miscere colloquia, tantæ turpitudinis, ut æternis tenebris merito sint damnanda: Et hæc nihilominus tanquam ipsa sacri Evangelii verba a cæcis hæreticis sunt suscepta, præ omni sanctorum Patrum doctrina! 5. In Principes & Magistratus quoque linguam exseruit, millies *Læsæ Majestatis* reus. Ac profecto nisi aliquorum Principum, Saxonis præcipue, diffidio tutus fuisset Lutherus, ferro aut rogo tollendus e medio fuisset, vel eo solum, quod pacem publicam turbarit, & summorum Principum temeraverit Majestatem. Vide mihi & obstupesce, imo detestare elogia, quibus ipsos salutat. Ait: *Ego efficiam, ut nec Ecclesia Christiana, neque Evangelium ullum agnoscat Magistratum, imo ut nesciat, quid magistratus sit. Hæc enim hominum sunt inventa, & mera Tyrannis.* Ut silentio premam, Imperatores, reges, principesque a præfrictæ frontis homine passim audi-

audire Truncos, Bestias, asinos, porcos, Calones, latrones, Carnifices, diaboli mancipia, aliisque titulorum ornamentis affici.

* Si quis Romanorum Pontificum ejusmodi sententias usurpasset non dico in Principes, qui tamen Papam superiorem ipsimet venerantur, sed in militem quemvis, vel nautam, profecto vel hoc solo nomine hæretici cruces & infernum conclamarent, omnemque Catholicismum una damnarent. Nunc, cum id facit Apostata & nebulo in Dominos suos & Imperatores, verbis sancti Evangelii comparantur, imo præferuntur!

Q. IV. *Nemone huic pesti ire obviam aut voluit, aut potuit?*

℞. Imo voluere permulti, potuere vero ne unus quidem: Ipsiusque Augustissimi Imperatoris omnis adhibita opera incassum cecidit. Ne vero eam rem prodigium existimes, (id quod hæretici venditant) paulo post enarrabo, quibus de caussis id effectum fuerit.

Q. V. *Quibus vero argumentis in hanc hæresin usi sint docti?*

℞. Variis: ac 1. Quod nulla esset in Lutheri dogmate Sanctitas, quod bona opera eliminabat, carni docebat indulgere, sacram Exhomologesin seu conscientiæ emundationem ejurabat. Quam suæ sectæ corruptionem non potuit non fateri ipse Lutherus, his omnino verbis ad suos pro concione dicens: Es wird die Welt aus dieser Lehr nur ie länger je ärger. Jetzt seynd die Leuth mit sieben Teufeln besessen, da sie zuvor nur mit einem besessen waren. Der Teufel fähret jetzt mit Haufen in die Leuth, daß sie unter dem hellen Licht des heiligen Evangelii (sic mendax rabula suam doctrinam appellat, nempe *sanctum Evangelium*

gelium) seynd viel geitziger, listiger, vortheilischer, unbarmhertziger, unzüchtiger, frecher und ärger, dann zuvor unter dem blinden Pabstthum. Idemque pluribus locis repetit.

Ac profecto qui fieri aliter potuit, cum Evangelista ille Lutherus tam præclaris vitæ honestæ exemplis suos docuerit omnem virtutem? Cum, ut ipse fatetur & gloriatur, plurima dogmata a dæmone, quo familiariter etiam uti solebat, acceperit? Atque tale humanæ gentis probrum credamus a DEO electum & constitutum ad veram & sanctam Fidem reducendam, spretis tot sanctissimis, unaque doctissimis Patribus Catholicis? Quis crederet Apostolo Paulo, si non solum ipse vitæ fuisset tam spurcæ & abjectæ, sed talibus etiam dicteriorum monstris suas onerasset edistolas? Lutherus autem ejusque sectarii cum blasphement, occidant, fornicentur & rapinas agant, dicunt se interim esse sanctos & sanctissimos, *sola* nempe *fide*.

2. Cum tot & tanta ad Ecclesiæ Catholicæ asserendam veritatem patrata sint jam olim, & in hunc diem patrentur mira, nemo Lutheranorum ope *quinti* hujus Evangelii vel equum claudum sanavit. Non enim aget unquam DEUS mendaciorum testem.

3. Nulla hæreticos inter est Fidei ac dogmatum consonantia. Hic tria agnoscunt Sacramenta, alibi duo vel unum. Quivis pro suo ingenio scripturam explicat, eamque explicationem regulam certam fidei & infallibilem contra aliorum omnium sensum tenet. Quilibet, quod libet, credit, quod non libet, damnat.

4. Si nihil aliud laceræ huic hæresi posset opponi, opponi sane posset ipsissimum ejus princeps fundamentum, quod sane fundamentum totam hæresin uno ictu evertit. Quale illud? Videlicet: *Nihil esse credendum, quod non clare scriptura sacra eloquatur.*

In

In coronam ergo ite, quotquot estis Lutherani hæretici, & explicatis sacris Codicibus legite nobis Catholicis, quo libro, capite, pagina aut versu scriptum sit illud: *Martinus Luder verus est Ecclesiæ Reformator, verique Evangelii conditor infallibilis, & Doctrina Lutheri est vera ac certa?* Quousque ex sacris literis hæc non dépromseritis, impudenter vestram doctrinam veram esse asseritis; cum id non sit *clare scriptum!*

Nec ullo pacto satis nobis fiet, si obliquas quasdam adduxeritis sententias: sed Lutheranam doctrinam nominetenus, & omnia ejus dogmata *clare*, *expresse*, ac verbis conceptis volo esse inibi *scripta*. Nam si obliquis tantum agendum est, multa firmiora pro nobis Catholicis stant sacræ scripturæ verba. Ut taceam *Universalem* nostram, id est *Catholicam* Ecclesiam, ejusque dogmata satis expresse ubique doceri ab ipsamet scriptura: ut adeo eadem ex vestra ipsorum sententia ac præcipuo argumento necessario sit vera. Nemo est tam infans, qui hoc momentum non facile penetret, atque Lutheranæ hæreseos imposturam clarius isthoc sole inde eruat.

Q. III. *Si tam turpis est, tam mendax, tamque cum sana ratione pugnat ista hæresis, unde obsecro, tam late potuit serpere, tamque altas radices agere?*

℞. Id vero & dictu & perceptu est quam minime difficile. Caussæ autem facilis propagationis fuere ut plurimum istæ.

1. Confessionis, jejuniorum, ac reliquorum omnium, quæ in Ecclesiæ Catholicæ disciplina rigorem quendam saluberrimum sapiunt, amolitio.
2. Connubia prædicantibus concessa.
3. Metus Purgatorii ignis eliminatus.

4. Bonorum Operum necessitas & cura abrogata: & quod diceret Lutherus multo commodiorem esse aliam ad salutem viam, nempe si modo *crederet* aliquis, Christum JESUM DEUM esse & Salvatorem: Id quod possunt etiam alias scelestissimi. Cum tamen Christus ille ipse sancte assereret, latam esse ad infernum viam, angustam porro ad cælum semitam, regnumque cælorum vim pati? Non enim omnis qui credit, seu qui dicit Christo, *Domine, Domine,* intrabit in regnum cælorum. *Matthæi cap.* 7.

5. Libertas, quam singulis permisit Lutherus, non solum credendi, quid quisque vellet, sed & agendi; & Magistratuum etiam excutiendi jugum: qua re non alia magis cæcos populos glomerat, ac præcipites in eam sententiam ire persuadet.

6. Bona Ecclesiarum, & Monasteriorum Principibus & aliis Laicis permissa. Cui sane prædæ inhiantes permulti principes & civitates, Catholicis sacris valere jussis libenter quamvis absurdam hæresin ambabus ulnis amplexi sunt.

7. Invidia, quam nonnulli Imperii Romani Principes in Augustissimam Austriacorum principum Gentem conceperant; cujus increscenti vigori ut sese objicerent, Hæresin contra illius voluntatem atque mandata defendendam susceperunt, titulo *Religionis* abutentes; & caussati, pro Religione obsistendum esse vel Cæsari.

8. Accessit, quod hoc in Romano Imperio intestinum bellum foverint exteri quidam Principes, rati, hoc pacto Imperii potentiam imminutum, suarum vero ditionum potentiam auctum iri. Cum præsertim limis oculis aspicerent Austriacæ Genti parere Hispaniam, alterumque orbem cum maxima Italiæ parte, Bohemia, Belgio, totoque Imperio Germanico.

9. Ad extremum ingentem malo fomitem dedit morum id temporis licentia, & mortales, ad prava quæcunque pronissimi, cum in Gallia, tum in Germania,

& ali-

& alibi demum Europæorum locorum. Si vis, adde exiguam tum fuisse doctorum hominum manum. Fuere quidem doctissimi quidam, sed tantis ubique turbis sopiendis impares tam pauci; maxime cum non tam calamis, & atramento res ageretur, quam ferro & cruore, & bonorum Ecclesiasticorum rapinis, & vulgi seditionibus.

Q. VII. *Tandem quo pacto, quoque ordine incrementa sua sumserit hæresis, compendio explica.*

℞. Quid rerum toto hoc binorum seculorum tempore acciderit, hisce velut terminis, memoriæ facilioris ergo, concludam.

1. *Rustici Tumultus.*
2. *Protestantium nominis origo & occasio.*
3. *Confessio Augustana.*
4. *Fœdus Schmalkaldicum natumque ex eo bellum.*
5. *Transactio Passaviensis.*
7. *Liber Interim dictus, &c.*
8. *Concilium Tridentinum.*
9. *Unio protestantium & Liga Catholica.*
10. *Turbæ Boëmico-Palatinæ.*
11. *Bellum tricennale seu Suecicum.*
12. *Pax Westphalica, & Risvvicensis.*
13. *Sollicitatio Græcorum.*
14. *Schisma Anglicanum.*

I. Rustici Tumultus.

Lutherus qua scriptis, qua concionibus emovit seditiosum vulgum ad excutiendum Magistratuum jugum, ac si id *expresse* in sacris literis esset *scriptum*, præsertim in S. Pauli Epistolis, qui ad Titum discipulum suum scribit: *Admone illos principibus & potestatibus sub-*

ſubditos eſſe, dicto obedire, &c. Nempe humilis erat Lutherus exiſtimans hanc epiſtolam *Tito* Epiſcopo eſſe ſcriptam non *Luthero*?

Cumque jam paſſim ruſtici Evangelicæ libertatis prætextu ſtare Dominorum mandatis negarent, & arma in eos capeſſerent, omnes in Lutherum tanquam ſeditionis authorem reſpexerunt. Ille ad declinandam a ſe invidiam dehortatus eſt ruſticos, ſed verbis, quæ novos illis animos addere poterant. *Principes eorum mereri quidem, ut a ſedibus ſuis dejiciantur. Sed hoc negocium non eſſe ruſticorum: neque hos multum profecturos. Timendum eſſe, ne hac adhibita vi abominationi fiat nova doctrina, & Catholica religio potius ſtabiliatur: item ne forte inter ipſosmet naſcantur diſſidia, & malum in ipſorum capita redundaret. Non eſſe rem tam crude & inconſiderate agendam &c.* Interim fervente tumultu publicas literas caſtigatorias (Beſtrafungs-Brief) typis edidit, ad Principes datas: quibus eandem de amoliendo principum poteſtatem ſententiam repetit: Es ſtehet heutiges Tags alſo, daß die Leuth ſolch euer Regiment und Gewalt nicht können, wollen oder ſollen länger gedulten . . . Wo dann ſchon das gemeine Volck auf dieſes mal nichts möchte ausrichten, werden doch andere hernach kommen. Man wird nit, man kan nit, man will nit euer Tyranney und Muthwillen in die Länge leyden, liebe Fürſten und Herren, &c. &c.

At perduelli turba egregie ubique vapulante, Lutherus homo omnium horarum, & doctus ſervire non veritati ſed tempori, ſtilum tandem vertit, & cum ante excitaſſet plebem, ut principes e medio tollat, nunc hortatus eſt principes: Sie ſolten die Bauren Haufenweiß zu todt-ſchlagen und in Stücker zerhacken; er nehme ihr Blut auf ſeinen Hals. Jedermann ſolle in ſie fallen, wie in die wilde Thier, &c.

Primi, quos furens ſeditionis œſtrum corripuit, fuere

fuere Suevi, qui an. 1524. Decembri Menſe in Comitem de Lupfen inſurrexerunt.

Hos ſecuti Kempenſes miſſo Principi, aliisque Dominis ſuis nuncio igne omnia ferroque vaſtare cœperunt, ac peſſima quæque auſi Comites, aliosque nobiles verubus confixos ignibus admoverunt, juſſis eorum conjugibus gyrare miſeram aſſaturam. Comitem de Helffenſtein adegerunt nudum per prætenſas haſtas currere, dum multis vulneribus deficeret, ejus Augusti ſanguinis conjuge, Maximiliani nempe Cæſaris filia naturali, ruſticis e genu licet ſupplicante, prægeſtato etiam parvulo filio. A. 1525.

Hunc in modum graſſatum eſt per omnem fere Sueviam, Franconiam, Lotharingiam, Alſatiam, Saxoniam, Thuringiam, Haſſiam, Rhenique oram.

Caput factionis & dux erat Thomas *Münzerus* quidam Lutheranus præco in Thuringia, Luthero ipſi ſingulari in honore habitus. Cui tamen ſeditioſum iſtud imperium ſuo capite ſtetit, poſtquam agreſtis maleque coacta turba fuſa eſt a Principibus Saxonicis atque Haſſiaco. Periere ſervili hoc bello mortalium fere 150000.

Eadem occaſione Liberæ Imperii Civitates pleræque a Catholicis ſacris palam defecerunt, direptis Monaſteriorum bonis, quæ intra earum vel mœnia vel ditiones tenebantur.

At in Weſtphalia (1533.) Joannes Leidenſis (Hanß von der Leyden) ſartor primum, mox hiſtrio, denique ex egregiis Lutheri dogmatibus in Anabaptiſtarum delapſus hæreſin, Civibus Monaſterii, quæ princeps eſt ejusdem Epiſcopatus civitas, perſuaſit, ut dejectis Epiſcopalibus magiſtratibus ipſum *Leidenſem* regem dicerent: multa alia nugatus, velut divinitus ea accepiſſet. Quem tandem Epiſcopus civitate alterum in annum ob-

ſeſſa fameque demum edomita, comprehenſum in furcam egit.

II. Proteſtantium nominis Origo.

Coactis Spiræ Comitiis Cæſar Carolus atque ceteri Catholici Principes urſerunt executionem Banni in Lutherum, ejusque partiarios dudum decreti, unaque reſtitutionem Bonorum Eccleſiaſticorum hactenus direptorum. His ſeſe oppoſuerunt, ac *Proteſtati* ſunt Joannes Dux Saxoniæ Elector, & Philippus Haſſiæ Landgravius ſeu Marchio, cum aliis Lutheranis Principibus; quibus ex eo tempore *Proteſtantium* nomen adhæſit. An. 1529.

III. Confeſſio Auguſtana.

Nihil non egit Carolus Imp. ut ad concordiam revocaret ſciſſos ex hæreſi Principum animos, quare permiſit agente Georgio optimo Saxoniæ Duce, conſcribi a quibusdam formulam doctrinæ univerſæ, cui ſubſcribere vellent Lutherani. Præcipuus in negocio fuit Melanchton, qui librum illum Cæſari in Comitiis Auguſtæ Vindelicorum agenti obtulit. (A. 1530.) Lectus eſt, & a Carolo amaris lacrimis exceptus, dolente, ſibi deeſſe vires ad peſtem uno ictu dejiciendam. Improbatus a Cæſare Liber pro ſymbolico tamen ſeu fundamentali deinceps habitus eſt a plerisque Lutheranis, nomineque *Auguſtanæ Confeſſionis* donatus. A. 1530.

IV. Fœdus Schmalkaldicum, natumque exinde bellum.

Rebus hunc in modum conſtitutis, firmandis ſuis partibus intenti Lutherani ultima tentare decreverunt: ac

ac ferro etiam in Cæsarem & Imperium experiri, ne cum pestifera doctrina relinquere cogerentur tot bona Ecclesiarum a se direptarum. Conspirant itaque & in fœdus patriæ funestum coëunt *Schmalkaldiæ*, quod oppidum est ad oram Thuringicæ Silvæ ditionis Hassiacæ. (A. 1537.) Factionis principes extiterunt Joannes Fridericus Saxo Elector, & Philippus Hassiæ Marchio. Metu tamen Cæsareæ potentiæ nil tentârunt palam, nisi quod an. 1542. Henricum Ducem Wolffenbuttelensem provincia exuerint.

Vocati vero ab Imperatore ad Comitia Augustæ 1545. parere detrectant. Quin anno altero 1546. Literas publicas (*Manifestum* vocant) evulgant in Cæsaream Majestatem, pacem publicam, ac Catholicam Religionem injurias, bellique nuncias, Cæsar iterum commonitos, iterumque contumaces Jure Imperii exuit, seu Banno percellit. Illi moræ impatientes cum centum millium minaci exercitu jam ante collecto in Cæsarem movent, sacramque ejus personam temerâssent nil tale cogitantem, suique securam Ratisponæ tum temporis degentem, ni DEUS hæreticorum oculos glaucomate quodam perstrinxisset, & Imperator Landishutum se recepisset, donec coactis copiis prope Ingolstadium castrametatus hostem coëgerit in Misniam se subducere. Nec multo post commissa ad Mühlbergam oppidum decretoria pugna Joannes Fridericus Saxo in potestatem Cæsaris venit, quem mox in custodiam secutus est Philippus ille Hassus. Udalrico vero Wirtenbergiæ Duci Majestatis reo ob initium Schmalkaldiæ fœdus, & expedita in Cæsarem arma, detracta provincia est, (A. 1547.) quam tamen mox Cæsari factus supplex ejus liberalitate recepit. Electoratum Saxonicum retulit Mauritius Saxo Misniæ Marchio, Joannis Friderici captivi cognatus, qui Mauritius Cæsari fidem integram servaverat. (A. 1548.)

At hic ipſe Mauritius in Magdeburgenſes Cæſareis mandatis parere recuſantes ire juſſus (A. 1551.) contractis ea cauſſa copiis in ipſum Imperatorem abuſus eſt, remque Catholicam, caput tum attollentem, vix non ſolo afflixit. Cum enim Lutheri hæreſi eſſet infectus, ægreque pateretur eam premi, icto cum Henrico II. Galliæ rege fœdere, eoque ad occupandas Imperii ditiones evocato, ipſe Cæſari ipſimet ex improviſo inſidias ſtruit. Carolus prorſus imparatus, nec ab ingrato cliente mali quidpiam ſuſpicatus, fuga ſibi conſulit pene ſolus, quem Mauritius ad interiora usque Tirolis inſectatus libertate multare non dubitaſſet, ni pii ſuperi decreviſſent meliora.

V. Transactio Paſſavienſis.

Imperator, ut rebus domi pacatis ſecurus in hoſtem exterum, Gallum nempe, iret, qui occaſione dexterrime uſus tres nobiliſſimos Lotharingiæ Epiſcopatus Metenſem, Tullenſem, & Verdunenſem in poteſtatem redegerat, cum Mauritio tandem res ſuas componere cogitur, agente maxime Ferdinando Rom. Rege Cæſaris fratre. Paſſavii igitur (A. 1552.) in has conditiones conventum eſt, *ut Principibus Lutheranis in perpetuam poſſeſſionem cederent Bona Catholicarum Eccleſiarum ab ipſis direpta: in Judicio quoque Cameræ Imperialis, quod ſupremum eſt, poſt Cæſaris autoritatem, in Imperio tribunal, non ſoli deinceps Catholici aſſeſſores agerent, ſed etiam Lutherani &c. &c.*

Prima hæc fuit conceſſio bonorum Eccleſiaſticorum hæreticis facta, urgente perduellium & inteſtinorum hoſtium æque ac exterorum extrema neceſſitate.

VI. Pax

VI. Pax Religiosa.

Poterat hæresis devorato tam opimo bolo esse contenta, si Hæresis, id est vitiosa doctrina non fuisset. Neque enim unquam, quæ vitiosa sunt, modum norunt. Ut igitur rebus suis arctius consulerent, querelis ac turbis perpetuis hoc demum expoposcerunt, ut quæ in favorem ipsorum admisit transactio Passaviensis, eadem publica Imperii lege sancta ac rata haberentur.

Minis malisque cedendum rati Catholici in Comitiis Augustanis conditam *Pacem Religiosam* suis suffragiis comprobant, seu potius tolerant. (A. 1555.) Hac permittitur Lutheranis publicum per totum Imperium suæ sectæ exercitium; Bona Catholicarum Ecclesiarum eisdem adjudicantur; iidemque, ut prætendunt, a Jure & potestate Ecclesiastica summi Pontificis eximuntur.

Pacis hujus seu legis tabulis Carolus quidem nunquam, Ferdinandus vero Augustus Frater cum lacrimis subscripsit.

Qui Ferdinandus eidem legi inseruit *Reservatum* illud *Ecclesiasticum*: Frementibus licet Lutheranis, ac Catholicam Religionem antiquissima sua possessione dejicere simul & semel contra omne jus, fasque volentibus. Reservato illo cautum erat, ut quisquis Episcoporum vel Prælatorum Catholicorum ad Lutheri sectam deficeret. Officio, Jurisdictione, Episcopatu seu præbenda excideret.

VII. Liber Interim, & formula Concordiæ.

Cæptum jam erat (An. 1545.) Concilium Generale Tridenti, cum suborta lues Pontificem coëgit illud transferre Bononiam: (A. 1547.) invito Cæsare &

Episcopis Hispanis. Cæsar ergo, quousque Concilium pristino loco liceret resumere, librum exarari mandavit (A. 1548.) a Julio Pflug Episcopo Naumburgensi, Michaële Sidonio Ep. Merseburgensi, & Joanne Agricola Islebio Concionatore Aulico Brandenburgico; quo libro sancita erant, quæ in rebus Religionis servanda in Imperio essent *Interim* usque ad Concilii reductionem.

Improbavit eum librum Pontifex summus, tum quod non competeret Cæsari res aliquas Fidei sua autoritate definire: tum quod aliqua sacris Canonibus & institutis contraria eo libro, Cæsar permitteret, ut connubia Clericorum, aliaque.

Maximæ ex hoc libro inter ipsos hæreticos natæ sunt tricæ, quibus tandem sopiendis diu post procusus est liber seu *formula Concordiæ*, edita an. 1580. auspiciis potissimum Augusti tunc Saxoniæ Ducis & Electoris. Quanquam ne sic quidem in unam formam atque faciem coalescere potuit hæretica ista doctrina, semper sui dissimilis.

VIII. Concilium Tridentinum.

Unicum hoc hæreticorum, aliorumque Novatorum asylum est, provocare ad Concilium aliquod Generale celebrandum. Id ea de caussa faciunt, quod sciant, convocationem Concilii magni moliminis rem esse, & quandoque vix intra plures annos decerni posse, ob ingentes plerumque in eligendo idoneo loco, aliisque rebus necessariis constituendis difficultates. Inde moras quærunt hæretici & spacium disseminandæ interim suæ hæreseos.

Lutherus tum mox initio ad Concilium Generale provocavit, tum sæpe alias. Idemque importunissime efflagitarunt Lutherani Principes. At cum tandem labore

labore ſtudioque Caroli Cæſaris permotus Sanctiſſimus Pater Paulus III. Synodum Generalem Tridentum conciviſſet, adque illam perhumaniter invitâſſet omnes Lutheranos, factâ liberrimâ diſputandi copiâ, præſtitâ pleniſſimâ accedendi, recedendique libertate ac ſecuritate nemo tamen illorum comparuit. Qua re palam toti mundo fecere, ſe nonniſi ludere ſummos Orbis Monarchas; ideoque indignos, quibus ulla unquam fides adhibeatur.

Cæptum eſt autem ſacrum illud œcumenicum Concilium 13. Decembr. An. 1545. Tridenti, quæ urbs eſt Germaniæ, Italiæ finitima. Paulo III. PP.

An. 1547. ob morbum translatum Bononiam.

An. 1550. reductum in urbem Tridentinam a Julio III. PP.

An. 1552. ob motus a Mauritio Electore in Cæſarem excitatos in Germania, & in Lotharingia a Gallo, ſuſpenſum eſt.

Denique an. 1562. reſumtum a Pio IV. eodemque Pontifice ſummo totius Orbis Catholici bono concluſum. An. 1563. 4. Decemb.

IX. Unio & Liga.

Is eſt hæreticorum ſpiritus, qui nunquam ſibi conſtet, ſed identidem turbas amet. Oderant Lutherani Calvinos hæreticos cane pejus & angue. Verum cum animadverterent aut ſperarent fore, ut Catholici demum ſuperiores evaderent, ſi eosdem Calvinianos in ſocietatem reciperent, omnium votis expetita eſt utriusque hæreſeos Unio. Unum erat, quod remoram negocio facere videbatur, nempe pace religioſa Lutheranis tantum; non vero Calvinianis indultum eſſe ſuæ ſectæ in Imperio exercitum.* Probe itaque agnovere Lutherani, tamdiu ſe actum acturos, quamdiu

diu Calviniani non eadem quoque lege ac jure gauderent. His accedebat, nihil remedii ad id impetrandum superesse: ergò, quod unum reliquum erat, audere aliquid ac vim tentare decernunt. Coitur Heilbronæ in Suevia, ac utrosque inter fædus icitur seu *Unio*. (A. 1610.)

Quo animadverso periculo Catholici, ne segniores essent pro veritate, ac illi pro turbulentis mendaciis, alio fœdere iisdem occurrunt, quod *Ligam* dicere placuit, Ducisque provinciam demandare Maximiliano I. Bavar. Principi.

X. Turbæ Palatino-Boëmicæ.

Apertum erat per *Unionem* Jani templum: occasio tantum cruento de Religione bello quærebatur. Cum ecce eam sibi manu faciunt Lutherani & Hussitæ Boëmici.

Indulserat illis Rudolphus II. Imperat. & Rex sectæ libertatem diplomate edito, quod *Literas Majestatis* vocabant, den Majestäts-Brief. (A. 1609.)

Eas quidem valere jussit Mathias, Successor, attamen irritatus tum *Unione*, tum insolentia hæreticorum *Novas* sibi Ecclesias construentium contra privilegii sui vires, solo eas æquari jubet. (1617.) Boëmi hæretici ad res novas spectant, comitia ipsi sua autoritate non salutato rege convocant. Ergo dehortaturus eos a manifesta factione Ferdinandus, (cui tanquam cognato suo Mathias Boëmiam cesserat, assentiente toto regno, & sacramentum eidem dicente) Pragam legatos mittit. A. 1618. Patuit ea tempestate, quam non pacem, sed seditiones tantum spirarent, & quærerent hæretici. Subito enim facta manu insana multitudo arcem Pragensem superat, Legatosque Ferdinandi Regis sui Wilhelmum Baronem de Slavata, Jarislaum Baronem de Martiniz, & Philippum Fabritium a Secretis, compre-

hensos

henſos per feneſtras præcipites dant altitudine 27. ulnarum, exoneratis in cadentes aliquot ſclopis. Verum cum fimeto inciderent, ſalvi ſe ſubduxerunt legati.

Hinc arma parant rebelles: inde Ferdinandus defenſionem ſuæ Majeſtatis atque Religionis: quibus nempe ſpretis Boëmi ſpurium ſibi regem popoſcerunt (An. 1619.) Fridericum V. Electorem Palatinum Calvinianæ ſectæ. Hic perurgente conjuge ſua Eliſabetha Jacobi I. Angliæ regis filia, femina ambitioſa ac nil præter coronas ſomniante; hac, inquam, ſtimulante coronam Boëmicam male delatam inconſulto acceptat.

Nec otioſi Boëmi ſuas in partes pellexere Moravos, Luſatos, Sileſios, atque Hungaros, quorum plerique aut Luthero famulabantur, aut Calvino. Ferdinandi vero jamdum Cæſaris partes ſuſtinebant Saxones, Boii, atque e Belgio Hiſpani.

Maximilianus Bavariæ Dux collectis copiis, quas Principes *Ligæ* addicti ſubvehebant, Cæſariis auſpiciis magno animo in hoſtes movet, eosque adortus in *monte albo* propius Pragam, delet, die 20. Novemb. A. 1620. eadem Dominica, qua Evangelium jubebat: *Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & DEO, quæ ſunt DEI.*

Fridericus Palatinus præcipiti fuga ad Sileſios primum, inde ad Brandeburgenſes, mox ad Batavos tendit. Qui, quod una tantum hyeme coronam uſurparit, nomen inde tulit, Winter-König. Proſcriptus a Cæſare 1621. provinciisque ſuismet exutus Moguntiæ tandem exilium cum vita finiit an. 1632. Electoralis dignitas cum magna ditionum parte conceſſa Maximiliano Bavariæ Duci: cum in belli ſumtus, tum in præmium rei catholicæ e ſententia geſtæ.

XI. Bel-

XI. Bellum Suecicum.

Tricennale hoc bellum dicitur, si a primis suis incunabulis, seu turbis Boëmicis anni 1618, repetatur, gestum usque ad pacem Westphalicam an. 1648. *Suecicum* vero dicendum est posterioribus annis viginti, quibus Suecica arma ac fœdera ingentes omni Germaniæ calamitates pepererunt.

Res suas in Boëmia minus e voto suo cecidisse cernentes hæretici, ut tandem optatis potirentur, nempe Catholicos opprimendi, Calvinianos vero in societatem & participationem *Religiosæ Pacis* suscipiendi, novas turbas cient. Lavenburgi enim congressi (A. 1625.) Inferioris Saxoniæ Status *Circulare* fœdus ineunt (Creyß-Verfassung) atque ne viribus essent Cæsari omnino impares, Danorum regem expeditionis Ducem constituunt, exterum Principem, hoc tamen colore utentem, quod nempe Holsatiæ partem teneret, quæ Germanica & Imperii quædam provincia est.

Non tulit Cæsar exterum regem Caput fieri Circuli alicujus Imperialis, maxime in ipsum Cæsarem conjurati. Quare Tillio stratego suo in Saxones, Danosque movere jusso direptis aliquot præsidiis, memorabili victoria eosdem conterit ad Lutteram. (A. 1626.)

Quæ fuerit Dani & Fœderatorum intentio, facile hinc discimus, quod Angli, Batavi, Gallique pecunias in belli sumtus suffecerint.

Tandem Ferdinandus Imp. *Edictum* illud *Restitutorium* proposuit, (A. 1629.) quo hæreticos cedere jussit omnibus Bonis Catholicarum Ecclesiarum, quæ *post pacem Religiosam* sibi arripuerant. Justissimum fuit illud Edictum. 1. Quia pace Religiosa ea tantum bona Lutheranorum potestati relicta sunt, quæ ante ea tempora occupârant: ergo, aliis ut cederent, juste mandatum est. 2. Præsertim cum tot conspirationibus, & molitionibus meruerint etiam prioribus bonis privari: nam molitiones illæ *pacem publicam* violare judi-

judicatæ ſunt a Cæſare: &, lege Imperii, violatores pacis publicæ omnibus ſuis bonis ſunt exuendi.

Nihilominus nunquam iniquiorem conditam eſſe legem, atque iſtud *Reſtitutorium Edictum*, clamitarunt hæretici, quare rebus ſuis conſulturi, cum neque *Boëmica* auxilia, neque *Danica* ſatis momenti attuliſſent, demum *Suecicam* opem circumſpexerunt.

Erat ea tempeſtate a Polonicis, Boruſſicisque bellis recens *Guſtavus Adolphus* Suecorum Rex militiæ acer, qui anno a partu Virginis ſupra milleſimum ſexceteſimum trigeſimo, die Junii 24. in Rugiam (Rügen) Pomeraniæ citerioris inſulam, cum claſſe non admodum numeroſa appulſus, funeſtum Germaniæ bellum intulit. Subitæ impreſſioni ceſſere primum Pomerania, mox Brandenburgenſis limes ſeu Marchia, ac Ducatus Megalopolitanus. (A. 1631.)

Animadverſo autem, ſe non fore ſuſtinendæ Cæſaris potentiæ, Gallicum fœdus quæſivit & opes, quas ad Germaniæ cladem invenit eſſe in promtu.

Interea temporis Magdeburgenſes ſeditioſa arma in Cæſarem corripuerant, dedignantes Leopoldum Auſtrium principem, ſuum colere Antiſtitem loco Chriſtiani Wilhelmi Brandenburgici dudum Exautorati. Cincta illico urbs, cum æquas conditiones nullas admitteret, coronâ tandem capta eſt a Tillio, ea militum commotione ac furore, ut ultra triginta civium millia tota cum urbe quâ incendiô, qua ferrô peremta fuerint 1631.

Magdeburgenſium partes non obſcure ſecutus fuerat Elector Saxo, hactenus quidem fidus Cæſari, ſed ſuæ tamen gentis amore in aliena abreptus conſilia, cum natum ſuum Auguſtum Magdeburgenſi mitrâ

præ

præ Auſtriaco auctum vellet. Acceſſit *Edictum reſtitutorium*, quo non contemnendam bonorum Eccleſiaſticorum vim reddere Saxo jubebatur. At Lutheranus cum eſſet, non potuit non edictum illud execrari. Igitur Sueco ſeſe jungit, certus ultima tentare potius, quam vel latum unguem Catholicæ rei concedere.

Mirum, quantum animi ac virium Suecis hinc acceſſerit. Certe commiſſo (die 7. Septemb. A. 1631.) ad Lipſiam prælio Guſtavus rex Tillii exercitu magnam partem deleto, Franconiam, Palatinatum, Rhenique oram ſuæ ditionis fecit. Propius inde in Cæſarem moturus magnam Sueviæ partem, omnem denique Bavariam ſub jugum mittit. Auſtria ſupererat, quam cum ſuis oppreſſum ibat Guſtavus, eo conſilio, ut auguſta hac gente, & Catholicarum rerum unica columna e medio ſublata, Germanici Imperii diadema ſibi, ſuæque hæreſi conciliaret. (A. 1632.)

At Wallenſteinius (Tillio interim hoſtili glande necato) Militiæ præfectus facta in Miſniam impreſſione Suecum e Bavaria ſimul elicuit, ſimulque ab Auſtriæ vaſtatione abſtinuit. Rex magnis itineribus Miſniam repetens nihil cunctatus collatis ad Lutzenum ſignis Cæſarianos aggreditur: cum vero incautius ex acie in ulteriora ſe proriperet hoſtis explorandi ergo, trajectu glandis periit, an a ſuis inquietum hominis ingenium exoſis, an ab hoſtibus? incertum. Ejus ſonipes regio equite deſtitutus, ſanguine tamen perfuſus in caſtra ſe recipiens tanta vindictæ libidine ſuccendit manipulorum animos, ut ancipiti licet Marte uſi antea, Cæſareos tandem acie fuderint. A. 1632. 6. Novemb.

Poterat belli incendium cum ſuo fomite rege videri extinctum. Verum duplici victoria elati Sueci latius etiam victricia ſigna circumtulerunt, Germaniam omnem ad incitas redacturi, niſi Ferdinandus Ferdinandi

nandi Cæſaris impiger gnatus, Hungariæ & Boëmiæ rex, poſteaque Imperator, Wallenſteinio in temperanda militia ſuffectus rem Catholicam reſtituiſſet, Suecis prope Nordlingam Sueviæ ingenti clade deletis. A. 1634.

Vario Marte dehinc pugnatum eſt, at Lipſiæ tandem ſiniſtro. (A. 1642.) Torſtenſohnius enim Suecorum Dux Leopoldum Wilhelmum Auſtriacum Ferdinandi II. filium, illum, cui olim Magdeburgenſis mitra decreta erat, tunc vero Cæſaris ſummum belli Imperatorem acie profligavit. Nec felicior fuit Galaſſius An. 1644. in Holſatia: & Hazfeldius an. 1645. in Boëmia.

Nec defuere Transſilvani, quorum viginti quinque millia Suecis ſuppetias properârunt, cum odio gentis Auguſtæ, tum rei Catholicæ perdendæ ſtudio ducti.

XII. Pax Weſtphalica & Riswicenſis.

Feſſa belli totque malorum omnis Germania pacem nullis non votis ſuſpirabat. Ea tandem ſancita eſt (A. 1648.) in Weſtphalia duplici quidem loco, Monaſterii cum Gallis, Oſnabrugæ cum Suecis: ita tamen, ut unum tantum fœdus idemque pactum eſſet & haberetur, ejusque tabulæ in legum publicarum (*pragmaticas* dicunt) numerum referrentur.

Hic tandem votis ſuis damnati ſunt hæretici, & quod hactenus tot in Imperatorem, Imperium, & Eccleſiam Catholicam machinationibus quæſierant, obtinuerunt. 1. Ut Calviniani *pace* illa *religioſa*, id eſt ſectæ ſuæ exercitio, & bonorum Eccleſiaſticorum poſſeſſione æque ac Lutherani gauderent. 2. *Ut reſervatum Eccleſiaſticum* etiam in ſic dictos Episcopos L u t h e r a n o s extenderetur, ut nempe & ii

bonis exciderent, si ad Catholicam Religionem transirent. 3. Ut omnia Ecclesiastica bona, quæ hæreticis hoc tricennali bello fuerant abrepta, iisdem redderentur, omniaque in eum statum redigerentur, quo fuere Anno 1624. die 1. Januarii. 4. Ut non solum in Camera Imperiali, sed & in Consilio Imperiali Aulico jus diceretur, vocatis in consilium Acatholicis assessoribus: sed hoc etiam efflagitarunt, ut parem ubique vim, si non majorem haberent ipsi ac Catholici in omnibus Imperii negociis.

Quantum præterea hoc pacto ex hæreticorum pervicacia nato afflictæ fuerint res Catholicæ atque Germaniæ, difficile dictu est.

1. Secularisati sunt complures Episcopatus & Cœnobia; id est profanati, atque Acatholicorum relicti manibus.

Brandenburgensis tulit Archiepiscopatum Magdeburgensem, Episcopatus Caminiensem, Halberstadensem, & Mindensem.

Brunsuicensis Cænobium Walkenried, & Alternativam, ut vocant, in Episcopatu Osnabrugensi: ita videlicet, ut alternis Episcopus eligeretur nunc quidem Catholicus, eo vero emortuo Acatholicus e Domo Brunsvvico-Luneburgica.

Hasso-Casselanus Abbatiam Hirsfeld.

Megalopolitanus Episcopatus Schvverinensem & Razeburgensem.

Suecus Archiepiscopatum Bremensem, & Episcopatum Verdensem.

Gallus retentis tribus Episcopatibus Lotharingiæ Metensi, Tullensi, & Verdunensi Alsatiam, aliaque Imperio abstulit. Quo quidem rei Catholicæ nihil decessit; Imperium tamen., & Domus Austriaca debiliores sunt effectæ ad resistendum hæreticis.

Quare Innocentius X. Pontifex maximus hoc fœdus rei Divinæ ac Religioni perniciosum improbavit; fidem-

fidemque a Catholicis datam nullius esse roboris palam decrevit.

* Pax Riswicensis.

Ludovicus XIV. Galliæ Rex infestis armis Palatinatum petierat. Multisque locis occupatis Catholica Sacra imperaverat, abrogato hæresis Calvinianæ usu. Positis vero armis pax Imperium inter & Gallos coaluit (A. 1697.) Rysvvici, quæ villa est Hollandiæ Batavorum Provinciæ, haut procul distans Haga comitum, quæ Batavorum ordinum perpetuo Conventu celebris est. Instrumento pacis, *articulo quarto*, conceptis verbis cautum est, *ut in locis per Gallos eo bello occupatis, & nunc restituendis Catholica religio sarta tecta esset.*

Immanem sibi injuriam irrogari questi sunt hæretici, eumque articulum pugnare cum pace Westphalica, quæ rem religiosam limitibus anni 1624. circumcluderet. Nihilominus, cum Galli nihil aliarum conditionum admitterent, ratum habuerunt. Legati enim Gallici animadvertentes, Acatholicos tantis animis pro sua secta instare, non minores & ipsi animos sumserunt pro tuenda sua antiquissima ac vera Religione. Cumque postularent hæretici Canonicatus suis præconibus servandos, cordate responsum est a Gallis *Lutheranum Canonicum* in Gallia adeoque & Argentorati, quod Gallici tum juris factum est, nonnisi pro *monstro* haberi: neque vel regi, vel sibi ipsis unquam constitisse aut constare, quod Præbendæ, & Canonicatus, ac Beneficia Ecclesiastica ad alios possint, quam ad Catholicos pertinere.

Ab illo tempore multa in Palatinatu turbarunt hæretici. Quin in ipsis Imperii Comitiis (A. 1699.) conspirantes inter sese Status acatholici negarunt ullis de-

liberationibus sese accessuros ante, quam quartus ille articulus Rysvvicensis abrogaretur. Neque vero reapse accesserunt ante annum 1702. 12. Septembr. cum bellum in Gallos denuo decerneretur, atque ita sperarent illi, una cum pace Rysvvicensi illum etiam quartum articulum deinceps sublatum iri.

Fefellit homines opinio. Etenim Pace *Padensi* (A. 1714.) illa Rysvvicensis denuo confirmata cum suo 4. art. fuit. Quod quidem commeritæ pœnæ loco censeri posset; cum hæreticorum Imperii fratres & sequaces, Angli nempe & Batavi tum priore illo bello, tum hoc posteriore Cæsaris partes deseruerint, solique cum Gallis in suam rem pepigerint. Ægerrime tamen id accepere Acatholici, & exinde non cessant importunis quærelis Imperium, & Cæsareas aures onerare. Quid quod variis in locis hic Borussus, illic Hannoveranus vindictam exactis Catholicis sumserint? (An. 1720.)

XIII. Sollicitatio Græcorum.

Hæretici augendis suis partibus intenti; probeque scientes, Græcos seu Orientales a Romano-Catholicis perantiquo Schismate diffidere, sperarunt fore, ut iidem Græci odio in Romanos ducti facilius Lutheranæ sectæ subscriberent, quam Romani Pontificis autoritatem revererentur. Quæ res si ex sententia succederet, triumphum canebant hæretici, quippe quibus Ecclesia Orientalis inde ab Apostolis propagata suffragaretur.

Stimulante itaque Martino *Crusio* Tubingæ Græcarum literarum Magistro, aliisque, subornatus est Stephanus Gerlach Cæsareus ad Turcam Orator. (An. 1674.) Hic tam nobilem in se provinciam suscepit haut invitus, convenit Jeremiam Constantinopoli tum Patriarcham,

archam, Confessionem Lutheranam Græce a Melanchtone jam olim redditam obtulit. Jamque passim jactabant Lutherani suam doctrinam Orientalis Ecclesiæ calculo esse probatam. Cui mendacio simul & vafræ hæresi obviandum ratus Jeremias Patriarcha tribus editis libris Lutheranorum ora oppressit: alii vero Episcopi, coactis aliquot in Oriente Conciliis, iisdem vestigiis institerunt.

Idipsum tentaverant Calviniani, qui Cyrillum Lucarem ære copioso instruxerunt, quo in Patriarchatum Constantinopolitanum involavit. Hic Confessionem Calvinianam suo nomine edidit; quam actutum in lucem promiserunt Calviniani Batavi, gloriantes insuper, imo mentientes, eum esse totius Orientis sensum. At vero Græci Episcopi, re comperta, Lucarem exautorarunt an. 1638. ejusque confessionem Calvinianam anathemate confixerunt. Luçar vero variorum scelerum reus judicum sententiâ in Pontum præceps actus est.

XIV. Schisma Anglicanum.

Fuerat hactenus Anglia sanctitatis schola. Ejusque alumni monachi Germaniam etiam veræ Fidei adjunxerant.

Nec solis in Monachis hæsit sanctitatis disciplina: sed plerique etiam Reges tam integri vitæ, tam pietatis fuerunt studiosi, ut eorum non pauci inter Divos relati exemplo esse possint suis in regno posteris.

Vestigia majorum suorum premens Henricus VIII. ea tempestate Anglorum Rex, cum primum Luderus attolleret caput, suopte Marte librum elucubravit, quo hominis novas opiniones ac hæresin perstrinxit (A. 1519.) Laudavit institutum Leo X. PP. ac regem titulo *Defensoris Fidei* auxit.

Poſt vero in transverſum actus a Pontificis obedientia palam deſcivit: non veritatis ergo aut virtutis, ſed libidinis atque ambitionis.

Catharina Ferdinandi Hiſpaniæ regis filia nupta quidem fuerat Arthuro Henrici VIII. fratri; ſed cum eodem conjuge ſuo non niſi virgo vixit. Ambivit propterea ejus nuptias Henricus, Arthuro jam vita functo. Indulſit id, veniamque legum Eccleſiaſticarum fecit Julius II. PP. (A. 1509.) Inter hæc Rex in libidines pronus furtivis in amoribus habere cæpit has & illas e regio Gynæceo puellas, iisque etiam abuti; donec tandem ſuammet conjugem exoſus a ſuo etiam thoro abeſſe juſſerit, ac repudiarit. Veneres nempe *Annæ* cujusdam *Boleniæ* hominem dementarunt; quæ quidem Anna ejusdemmet Henrici ſpuria filia fuiſſe creditur. Ad hæc Adulatorum turba regium ſcelus laudavit. Jungitur regi Bolenia; (A. 1533.) improbat Pontifex Clemens VII. adnitente quoque Carolo V. Imper. & Hiſpan. rege; perſiſtit in ſententia Henricus; jubet Pontifex dimiſſa Bolenia reduci Catharinam, minatur diras Eccleſiaſticas.

At rex puellæ captus amore, ac aulicorum quorundam, hæreſi Lutherana jamjam obſeſſorum ſuaſionibus, non ſurda modo aure Pontificem excepit, ſed omnem ejus obedientiam una exuit. Quin ſuo ac Senatus (*Parlamentum* vocant) nomine decrevit, ſeſe ipſum Anglicæ Eccleſiæ ſupremum caput, & Pontificem eſſe. (An. 1535.)

Joannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis, ac Thomas Morus Regni Cancellarius, aliique, qui nulla ratione adduci poterant, ut regis temerariis auſis ſubſcriberent, capitis damnati ſunt. Eccleſiarum ac Cœnobiorum bona fiſco addicta; monachi, ſacræque DEO virgines ad ſæculum & ſacrilegas nuptias redire

dire juſſi, quique id nollent, crudelibus ſuppliciis e medio ſublati.

Cæterum Catholicum dogma palam non immutavit, nec abjuravit Henricus, nec vel Lutheri, vel Calvini hæreſin ratam habuit.

Verum, ut eſt male ſani amoris comparata natura, non diu Amaſio ſuo potita eſt Bolenia. In ſuſpicionem enim adulterii adducta, reciſa cervice pœnas dedit. (A. 1536.)

Tandem letali tentatus morbo dicitur conſilia iniiſſe de Pontifice & Romana Eccleſia ſibi reconcilianda, ni aulicorum turba ſufflaminaſſet negocium. Ante vero, quam animam ageret, Catholico ritu S. Synaxin a ſe prius flexo poplite adoratam, ſuſcepit.

Teſtamento porro Eduardum ſuum ex Joanne Seymoura tertia conjuge Filium novennem regnorum hæredem ſcripſit, datis ſexdecim optimatibus (catholicæ plerique religionis erant) qui pueri ætatem curarent, regnique negocia. Eduardo, ſi is præcoci forſan fato tolleretur, ſuffecit *Mariam*, ſuam ex *Catharina* Hiſpanica prima conjuge Filiam: Huic demum *Eliſabetham*, quam ex Anna *Bolenia* ſuſceperat.

His conſtitutis fatali neceſſitati manus dedit, ac tandem aulicorum coronam ultimum circumſpiciens, cum dicto: *Amici, omnia perdidimus!* ancipiti fato deceſſit. (A. 1547.)

A morte Henrici Eduardus Semerius Tutorum præcipuus, reliquis ab adminiſtrationis ſparta excluſis pro ſua libidine omnia ſolus egit, Eduardum regem juvenem Zvvinglii dogmate infecit, Petrum Vermilium Martyrem, Martinum Bucerum, aliosque Calvinianos evocavit, ſcholas iis publicas tradidit, juventutem eorum ab ore pendere coëgit, Cramerus vero, quem Cantuariæ archipræſulatu auxerat Henricus rex Schiſmaticus, Aras Catholicorum evertit, Sanctorum Cælitum Ico-

Icones indigne habuit, verbo, impiam hæresin jussit regnare. Id quod Regni Comitia (*Parlamentum*) anno 1547. missis per omnes provincias satellitibus, Episcopis, monachisque aut cæsis aut in vincula conjectis, perfecit.

Moriturus deinde rex Eduardus IV. tentavit quidem *Mariam* spe succedendi dejicere & Joannem Grajam reginam fore testamento jussit in gratiam Dudleyi Northumbrorum Ducis. Verum *Maria* omnium ordinum consensu, & ex Patris Henrici VIII. tabulis regios fasces capessivit. (An. 1553.) Hæc Catholicam rem in Anglia restituit, consiliis usa Cardinalis Reginaldi *Poli* Pontificis Julii III. Legati.

Huic sine prole defunctæ illico subrogata est (An. 1559.) *Elisabetha* illegitimo Henrici Octavi cum Bolenia thoro sata. Illa Pontificem Paulum IV. ea de re fecit certiorem. Verum Pontifex Natalium & matris Boleniæ, & Patris Henrici vitio regno ineptam pronunciavit. Molestissime id tulit femina; ac vindictæ loco Calvinianam hæresin palam, ac summo studio revocavit. Quin, quod rideas, supremam in Ecclesia potestatem sibi arrogavit, qua Episcopos & sacerdotes crearet, Concilia cogeret, de summis fidei capitibus non cognosceret modo, sed decerneret. Nempe tales Episcopos & sacerdotes, talemque Ecclesiam talis decet Papa.

Motus feminæ impotentiâ Pius V. Pontifex sanctus, eam regio nomine & honore excidisse pronunciat, omnesque subditos sacramento illi dicto absolvit; (A. 1570.) eandemque sententiam confirmavit Gregorius XIII.

Unum est præ ceteris facinus, quo Elisabetha documenta dedit, tum qua esset origine nata, tum quibus fidei, morumque principiis imbuta. *Maria* Stuarta Scoti-

Scoticis rebus Regina moderabatur. Hanc perfidi subditi non solio modo cedere, sed & patria extorrem esse jusserunt. (A. 1567.) Illa dignitati suæ consultura Elisabetham adit, Agnatam nempe suam. At misera suique incauta, dum charibdim vitat, in scyllam incidit. Nam Elisabetha detentam carcere, latâ in exulem supremi supplicii sententiâ, ferali in pegmate Reginam securi percuti jubet, idque carnificum manu ictu bis repetito: adhibito, qui Mariam Catholicam in hæresin pelliceret, præcone Calviniano: sed quem illa verbis ac labori parcere jussit. (An. 1587.)

Facinus toti orbi detestandum, & exemplum regio sanguini infestum diris omnibus detestatus est Sixtus V. & Elisabetham iterum maledicto Ecclesiæ universæ subjecit.

At illa his etiam commotior nihil non egit, ut Geusios, seu Batavos Regis Catholici sive Hispani jugum tum excutientes, idemque magno molimine audentes in Gallia Calvinianos, dictos Hugonottas, pecunia, milite, armis juvaret. Hoc nempe didicerat e puro illo & pacifico Lutheri & Calvini Evangelio, Rebellium partes adversum suos reges sustentare. Ac facile licet ominari, nihil mitioris sententiæ ab ea relaturos fuisse Reges Hispaniæ & Galliæ, si in eandem cum Maria Scotica sortem, & in Elisabethæ venissent potestatem. Nihilominus feminam regio, cognatoque sanguine fumantem hæretici in Sanctorum Albo, seu Calendario, expuncto Immaculatissimæ Virginis Mariæ Conceptionis festo, reposuerunt!

Elisabetham excepit (A. 1603.) *Jacobus* hoc nomine IV. Scotorum, Anglorum vero I. Rex, cui Mariæ Stuartæ obtruncatæ filio hereditario jure regnum utrumque debebatur. Sed ab eo tempore, quo a Fide defecit Anglia, nunquam regibus licuit esse in

regno tutis. Funeſtæ fuere in Jacobum conjurationes Anglorum Catholicum regem dedignantium. Illa maxime *Pulveraria:* pulvere enim pyrio Curiæ, quo frequens Senatus ad regem convolare ſolitabat, clam magna copia ſubjecto ultimum ei exitium ſtruxerunt, & patefactum deinde ſcelus impegerunt piis Societatis JESU Patribus. Ac ſi neſciret orbis Anglorum in ſuos reges animum?

Carolus I. Jacobi filius Scotos ſuos pejora indies tentantes mandatis coërcere dum niteretur, a tumultuante populo contemtum tulit, & repulſam. 1637. Laudavit id Parlamentum Anglicum, etſi Scoticarum rerum nulla ad idem cura pertineret. Nec multo poſt Hiberniæ proregem Comitem Straffordium virum apprime Catholicum, regis autoritate res civiles ibi temperantem neci dediderunt. [A. 1641.) Senſit Carolus a Prorege furorem graſſaturum denique ad Regem. Matura itaque fuga ſe ſubducens, cum arma ſuorum in ſe parari cerneret, collectis & ipſe copiis cauſſæ ſuæ juſtæ deeſſe non voluit. Fairfaxius vero & Oliverius Cromvvelus perduellium anteſignani eo tandem adegere regem, ut ad Scotos ſuos velut aſyli cauſſa confugeret. Verum hi, ne Anglis viderentur meliores, acceptis ducentis florenorum millibus Parlamento prodiderunt regem. (A. 1645.)

Hic ſubditi, rege ſuo cauſſam dicere juſſo, eo tandem impudentiæ progreſſi ſunt, ut Carolum tanquam proditionis reum, ac publicum regni hoſtem lata extremi ſupplicii ſententia capite multarint carnificis manu, An. 1649. die 9. Febr. Num Catholicus obierit, num Acatholicus, anceps eſt. Dum viveret Acatholicam amplectebatur, moriens palam teſtatus eſt, ſe in fide *Majorum* ſuorum animam agere.

Cæſo

Cæso rege, Caroloque II. filio exacto Cromvvelus regia potestate abusus est, sed *Protectoris* tantum *nomine:* (1653.) post illum etiam mali corvi malum ovum Richardus Cromvvellus (1658.) Sed hic dexteritate patri longe impar a populo in ordinem redactus est.

Occasione illa bene usus Monkus quidam Scoticorum armorum præfectus *Caroli II.* clam studiosus, ea solertia ejus partes egit, ut eum in regnum postliminio reduxerit. (A. 1659.)

Nescit quiescere semel emota turba, præsertim cum potens sibi etiam contra regem videtur. Caroli Frater Nicolaus Catholica Sacra amplexus fuerat. Indignissime id ferentes hæretici Angli Edicto publico sanxerunt, (A. 1673.) ne quis deinceps ad majora regni munia admitteretur, nisi qui Synaxin Anglico ritu in Ecclesia aliqua Anglica ante perciperet, unaque dicto jurejurando transsubstantiationis dogma, seu realem Christi in hostia consecrata præsentiam abjuraret. Id jusjurandum vulgo dicitur Ayd des *Tests.*

Carolus denique proximus jamjam morti vocato P. Joanne Huddleston Monacho Benedictino ejurata hæresi in fidem veræ Ecclesiæ receptus, sacroque pastus viatico animam Deo reddidit. (A. 1685.)

Jacobus Caroli Frater & ipse Catholico dogmati dudum subscripserat an 1676. Nec erat per totam Europam quisquam, qui Jacobo huic Coronam auguraretur. Verum Deo regum æque ac populorum Domino rerum momenta temperante eodem mox die Rex salutatur *Jacobus II.*

Angli Catholici regem suæ fidei nacti eidem supplicarunt, ut illud Jusjurandum *Testium* antiquaretur; indignum dicentes, ut populus Anglicus a regni muniis arceret Catholicos, cum non dubitasset regios honores decernere ejusdem religionis asseclæ? Verum Jacobus

ne

ne recentem adhuc a turbis populum denuo concitaret, prudentiore consilio usus est. In legem jamjam redacta erat schismatica illa sententia, *Regem Angliæ simul esse Papam.* Religionis itaque curam sibi incumbere cernens Jacobus, simulque impossibile sciens, ut populo satisfaceret, si ipse sententiam in ejusmodi caussis diceret, *Septem* constituit rerum Ecclesiasticarum Judices: qui profecto de collusione non poterant esse suspecti, cum sex eorum fuerint Acatholici, unus demum Catholicus.

Hi cum Londinensem præsulem Acatholicum suâ ipsius culpâ officio ac dignitate exuissent, natum est illico populi murmur, Anglicanam libertatem periclitari quiritantium.

Increbuit vehementius rumor, ubi Innocentii XI. PP. Nuncius Angliam subiit, qualem a multo tempore non viderant Angli.

Nihilominus Rex non a Catholicis solum, sed a magna etiam hæreticorum parte, illorum nempe, qui se *Non-Conformistas* vocant, exoratus decrevit, (A. 1687.) omnibus deinceps licitum fore, quacunque vellent religione libere uti. Gratulati sunt regi de hoc decreto non modo nobiles regni, sed ipse Magnus Senatus.

Rem tamen etiam Parlamenti seu generalium Comitiorum autoritate fulciri optans, jussit coire proceres, & eos, quos populus mittere solebat. Verum acatholici ita dicti Archiepiscopi regis dicto se fore audientes palam negabant. Octiduo igitur a judicibus & Senatu in honestam dati custodiam, regio tamen mandato dimissi, populum incendere, atque occulte in regem conspirare cæperunt.

Interea temporis Maria Eleonora e Principum Estensium gente Jacobi lectissima conjux puerum enixa est

est (1688.) *Jacobi* nomine donatum, præsentibus in conclavi Reginâ viduâ, omnibus Consilii aulici proceribus, Comitumque (*Milordos* dicunt) ac nobilium Matronarum utriusque Religionis magnâ frequentiâ. Hunc spurium ac suppositum esse fœtum criminati sunt malevoli; quod certi episcopi huic partui non fuerint præsentes. Verum Episcopi illi inobedientiæ ac motuum rei non poterant in conspectum regis & reginæ admitti. Nec potuit magnus alias præsentium numerus non sufficere ad testimonium de partus sinceritate dicendum: quod etiam testimonium deinde die 1. Novemb. coram universo Senatu dictum, ratumque ab omnibus habitum est.

Crescente vero indies malevolorum numero, & ad Batavos migrantibus non paucis excitatus est in spem regni Wilhelmus Princeps Arausicanus, (Oranien) Batavorum Gubernator, Gener licet ipsius Jacobi II. cujus sibi filiam matrimonio junxerat. Principi favit etiam Fridericus Brandenburgicus Elector, & Batavi classem amplissimam instruxerunt, qua in Britanniam appulsus Wilhelmus (1688.) Socerum regem compulit primum conjugem cum filio parvulo clam hostium furori fuga subducere in Galliam, aspera jam hyeme, 20. nempe Decemb. quam paucis post diebus & ipse eodem secutus est.

Fructum ingratitudinis in socerum Wilhelmus tulit soceri sceptrum cum regno Anglico, Scoticoque. Parlamentum vero sanxit, neminem deinceps aptum fore Anglico sceptro, nisi Acatholicum, seu *Protestantem*.

Obiit Jacobus II. in exilio anno 1701. 16. Septemb. Ejusque Unigenitus Jacobus III. ad Pontificem tandem confugit An. 1721. Eum vulgo Acatholici *Prætendentem* nuncupant, aut *Equitem S. Georgii*.

Cete-

Ceterum Wilhelmo Arausicano successit *Anna* (1702.) altera Jacobi II. filia, soror Jacobi hujus III. Ea demum fatis sublatâ *Georgius* Ludovicus princeps Hannoveranus & Brunsvvicensis Elector, (1714.) cujus Mater Sophia tanquam Jacobi I. Neptis heres regni declarata a Parlamento fuerat an. 1701. Hic in Germaniam transmittens inopinato extinctus est an. 1727. regnumque reliquit *Georgio* filio.

Num. II.

Hæresis Calvini & alii errores.

Q. I. *Paucis velim expedias hujus hæreseos incunabula, & incrementa.*

Joannes Calvinus Novioduni in Galliis infaustâ Lucinâ natus, (An. 1509.) sacris aris destinatus est a Patre. Verum ille venditis duobus Beneficiis Ecclesiasticis vitæ liberioris fundamenta jecit. Facile fuit sic in facinora pronum facinorosa hæresi, Lutheranâ nempe imbui a Germano quodam Græcæ linguæ ibi locorum magistro. Parisiis evomere tentans, quod hauserat, virus, vix effugit rogum. Candente quoque lilio seu stigmate humeros inustus (1542.) ob crimen, cujus nomen aures & animus refugiunt, ausus tamen est projecti pudoris homo librum edere, seu *Institutiones*, ex Melanchthone & Oecolampadio maximam partem decerptas. Vafri ingenii tenebrio impuram, impiámque doctrinam eleganti stilo exornavit, eo consilio, ut vel hac ratione lectores alliceret. In sociorum numero præcipuos habuit Vermonium, Ramassorum, & Bonum hominem. Ipse demum delatus ad extrema, cum sibi moriendum sentiret, actus in desperationem furere cœpit, atque Natalibus suis, suisque studiis maleprecari; huncque

que in modum inter blasphemias in DEUM sparsas misere periit An. 1563.

Doctrinæ ejus capita à Lutheri sensu plerumque non abludunt; hæc tamen suopte marte addidit homo ingeniosus: nempe 1. *Omnes, quibus vel hilum alicujus fidei adesset, certo certius salutem adepturos, quidquid deinde peccatorum alterius generis perpetrent.* 3. *Nullam homini esse libertatem, neque ei integrum esse, ut non peccet, sed necessario peccare.* 3. *Eucharistiæ Mysterio Christum plane non contineri, sed nudam esse figuram ac significationem Christi, &c.*

Francisco II. rege Galliarum vitâ functo (1560.) Condæus regii sanguinis Princeps, regnique administer, adnitente Henrico rege Navarræo, utroque Calviniana hæresi dudum infecto, connivente etiam Catharina Medicæa Regia Matre, altas radices hæresis egit. (An. 1562.) Toto passim regno eversa templa, imagines, Sanctorumque reliquiæ Vulcano datæ, nec petulantiæ & impietatis quidquam omissum est. At Carolus IX. prætextâ tandem positâ rebelles aggressus armis (1569.) omnem movit lapidem, ut ad saniora consilia revocaret populos, Nobilesque, qui interea cum hæreticis Germanis fœdus icerant.

Id temporis, Margaritâ Caroli sorore Henrico Navarræo in matrimonium collocatâ, nuptialia festa Parisiis agebantur. Qua die nempe S. Bartholomæo sacra, vigesima quarta Augusti ex condicto, regisque mandato ingens toto regno Calvinistarum seu Hugonotarum strages est edita, cui cædi nomen deinceps hæsit der Pariser-Hochzeit. (A. 1572.)

Henricus IV. Borbonius ad sceptrum capessendum ante non est admissus, quàm hæresin, qua tenebatur, ejurâsset. (1593.) Nihilominus Hugonotis *Edicto Nanne-*

Nannetensi copiam fecit hæreseos exercendæ. (An. 1598.)

Edictum illud sustulit Ludovicus XIV. Præcones hæreticos, omnesque, quibus volupe non esset, valedicere erroribus, regno migrare jussit. (A. 1685.)

Q. II. *Qui potissimum fuere hi, quos in serendis erroribus socios habuerunt, Lutherus & Calvinus?*

℞. *Luthero* operam collocarunt hi, quos mox nominabo. Noveris tamen, iisdem cum Luthero nunquam ex integro convenisse in doctrina. Hoc enim habet hæresis, ut nunquam sibi constet. Eo solo consensere, ut Catholicam veritatem affligerent.

1. *Andreas Carlstadius* vero nomine Bodenstein, simultatibus cum Luthero susceptis ad Zvvinglium defecit.

2. *Philippus Melanchthon*, græco nomine, quod affectabat, dictus, sed suo Schwarz-Erde. Augustanam Confessionem finxit primum, ac paulo post refinxit, quasi lusus religio foret? Eruditus musis humanioribus, cum semel abreptus in errores esset, questus deinceps est, quantum eum pœniteret, quod in messem Theologicam manum unquam misisset.

3. *Joan. Brentius*, Tubingæ Professor.
4. *Lucas Osiander*.
5. *Cythræus*, Suevus.
6. *Martin. Chemnitius*, Brandenburgicus.

Calvini succenturiati sunt:

1. *Joannes Oecolampadius*: sic græce dici amavit, cum a patre vocaretur Hausschein.
2. *Petrus Martyr*, Italus.
3. *Wolfgangus Musculus*, Lotharingus.
4. *Henricus Bullingerus*, Helvetus.
5. *Theodorus Beza*, Burgundus.
6. *Joan. Buxtorffius*.

7. *Joan.*

7. *Joan. Coccejus.*
8. *Joan. Dallæus*, Præco Parifiis.

Q. III. *De Janfeniftis multum fama cantat. Dic, quod genus hominum fit iftuc?*

℞. *Cornelius Janfenius* gente Belga, DoctorLovanienfis, tandemque Epifcopus Iprenfis in Flandria Vir pius ac doctus librum ediderat, cui nomen fecit, *Auguftinus.* Indulferat nonnihil ingenio Cornelius cum in hoc tum in aliis, quos non parvo numero elucubraverat, libris. Ejus rei probe fibi confcius, cum ad extremam vitæ lineam properaret, Superos, hominesque teftatus eft, ut, fi quid unquam fcripfiffet Catholico dogmati utcunque adverfum, pro non fuo haberetur. Obiit contracta lue à fubditis fuis, quibus pefte laborantibus ipfe Epifcopus piiffime adfuit. (An. 1638.)

Lecti funt ejus libri, atque repertæ in iis *quinque* potiffimum fententiæ, feu *propofitiones* cum Catholico dogmate fubtiliter pugnantes. Non potuit non Innocentius X. PP. cenforiâ eas notâ afficere, (1651.) obteftantibus id ipfum plerisque Galliæ Epifcopis, quibus fincera doctrina cordi erat.

At homines, ut fieri amat, doctrinæ qua novitate, qua fubtilitate capti, non Innocentii folum, fed & fequentium Pontificum decreta miris artibus eludere noverunt, dum tandem Clemens XI. An. 1713. die Septembris 8. iterum reprobârit centum & unam propofitiones e libro *Quesnelii* Galli, earumque aliquot e fententia ac mente Janfenii intellectas. Data hanc in rem Conftitutio, cui exordium; *Unigenitus.*

Tum vero multi novarum rerum ftudiofi & palam & clam obftrepere, negare Pontifici id faciendi autoritatem fuppetere, denique ad Concilium generale provocare. Conftantia vero Pontificis maximi, Regis-

 que

que providentia immorigeros in ordinem redigentis, ac innumeris, quæ eam in rem periculose susceptæ sunt, disputationibus modum facientis, quietæ tandem res sunt, etsi necdum ex asse compositæ.

Q. IV. *Memini me de Quietistis aliquando audire. Sodes, quæ fuit horum origo, quis modus?*

R. *Michaël Molinos* Cæsaraugustanus ex Hispania, presbyteri habitu abusus, sub pallio sanctitatis insigniter & turpis fuit, & impius. Duodecim ipsis annis sacra Exhomologesi conscientiæ nævos eluere distulit, utut non cessarit quot diebus ad aram facere.

Nunquam tota & ad extremum usque occulere sese hypocrisis potest. Prodidit se tandem Molinos Romæ in vigesimum secundum jam annum degens. Caussam dicere jussus ea confessus est, quæ nemo vel a perditissimo speraret. Palinodiam igitur suorum errorum canere, ac tum carcerem, quoad viveret, subire necesse habuit. (A. 1687.) In ejus scriniis præter ingentem auri vim repertæ sunt epistolarum duodecim millia, quibus longe lateque sectæ suæ studiosos & ipse hortatus est, & ab iis salutatus.

Cardo errorum ejus in hoc agebatur: *Animum exercitatione quadam interna DEO velut affigi debere per contemplationem. Quo semel obtento nullum deinceps esse scelus corpore vel sensu perpetratum, quo a DEO, ejusque gratia sejungi jam amplius homo posset.* Egregia scilicet doctrina, quæ dum animam dicit *quiescere*, nullum abhorret nefas. Ab illa itaque, quam stulte sibi finxerunt, quiete *Quietistarum* sibi nomen hauserunt, quotquot perditæ doctrinæ manus dedere.

§. VI.

§. VI.
Viri illuſtres.

Q. *Plena manu prodas velim, ſi quos poſtremo hoc ævo melior Phœbus amavit, viros inquam doctos.*

℟. Nunquam a condito orbe tanta ſuperbivit doctrinæ ſeges, quanta duobus abhinc ſeculis. At ego non plena manu eos edam, ſed parca tantum. Nam ſi neſcis, omnium hac ætate doctorum nomina ac lucubrationes percenſuro nec centum majoris folii volumina ſuffecerint. Itaque pauciſſimos accipe.

1. Franciſcus *Ximenes* a Ciſneros, Hiſpanus, Franciſcanus, S. R. E. Card. Archiepiſcopus Toletanus Hiſpaniæ totius Prorex ſummis regni temperandis negociis ſummam adhibuit in omnibus linguis ac literis doctrinam. Edidit præſertim Biblia Polyglotta, ſeu multarum linguarum, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Græcæ &c. (Ob. A. C. 1516.)

2. Deſiderius *Eraſmus* patria *Roterodamus* Belga, ſuo nomine dicendus *Gerardus Gerardi*. Grammaticorum ſui ævi facile princeps. Studioſiſſimus rerum antiquarum plurima ſanctorum Patrum ſcripta e tenebris ac pulvere producta primus ipſe typis excudi fecit. Verum cum Theologica ſcientia ferme deſtitutus eſſet, in iis cenſendis ſæpiuſcule hallucinatus eſt. Ceterum vero Græcæ atque Hebraicæ peritus. In Lutherum quoque calamum ſtrinxit. (A. 1526. obiit.)

3. Thomas de Vio patria *Cajetanus Cardinalis* Theologiæ ſcientia, editisque tam in ſacram Scripturam, quam in D. Thomam Commentariis Clariſſimus.

mus. Is ipſe eſt, qui Lutherum ad dicendam cauſſam evocatum Auguſtæ Vindelicorum audiit: Ordinis Prædicatorum ſeu Dominicanorum illuſtre decus. (Ob. A. 1534.)

4. Julius Cæſar *Scaliger* Italus, & Patre etiam major Joſephus *Scaliger* natus in Gallia eruditionis reconditæ veluti quidam dii ſunt habiti. (Ab an. 1535.)

5. Polydorus *Virgilius* Urbinas Italus, qui Poëtarum principis ſtirpe gloriatur, concinnato de *Rerum Inventoribus* eleganti libro nomen ſibi peperit. (Ob. An. 1555.)

6. Paulus *Manutius* Aldi Romæ Typographi eruditiſſimi filius, Tullianæ eloquentiæ æmulus. Hic Doctrinæ Chriſtianæ librum, ſeu Catechiſmum à Concilio Tridentino Italice conſcriptum Latinitate donavit. (An. 1560.)

7. Ludovicus *Bloſius* ſanguine clarus apud Belgas, ſed clarior virtute ſcriptisque piiſſimis libris; Græcæ inſuper & Hebrææ gnarus, Lætienſi Cænobio Benedictino Abbas moderatus eſt. Carolo V. Imp. præcipuo in amore ac deliciis fuit. Ob. An. 1566.

8. *Sixtus Senenſis*, patre Hebræo editus, ſacræ D. Franciſci familiæ accenſus, eidem cum nuncium remiſiſſet, hæreſin quoque Calvinianam amplexus eſt. Deprehenſus, rogoque jamjam addictus Pii V. poſtea Pontificis operâ in libertatem ac Ordinem Dominicanorum aſſertus eſt. Quem ipſum qua ſingulari doctrinâ, qua pietate illuſtriorem reddidit. (Ob. 1569.)

9. *Benedictus Arias Montanus* Hiſpalenſis, omnium pene gentium linguis ac literis inſtructiſſimus, quatuor nonniſi annorum labore molitus eſt (A. 1572.) mirandum opus Bibliorum Antvverpienſium, quæ Pentaglotta ſunt, nempe Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæ, Syriacæ, ac Latinæ. (Ob. An. 1575.)

10. *Cor-*

10. *Cornelius Janſenius* Gandavenſis Epiſcopus. Quem eo conſilio hoc loco nominavi, ut alium hunc eſſe ſcias ab illo Janſenio *Iprenſi*, qui Janſeniſtarum Novitatis anſam dedit. (Ob. 1576.)

11. Joan. Ludovicus *Vives* Hiſpanus, patria Valentinus. Mariæ, Angliæ deinde reginæ, juventutem moderatus eſt 1522. Ad artium ac ſcientiarum meliorem modum plurimum operæ ac momenti attulit. (Ob. An. 1537.)

12. Cæſar *Baronius*, Soræ natus in regno Neapolis. Congregationis Oratorii presbyter, quos vulgo *Nerianos* dicimus. Primus Hiſtoriam Eccleſiaſticam continuo filo uberrime proſecutus eſt. Cui exornandæ 30. annos impendit. Ob. 1606.

13. Petrus *Caniſius*, Belga Noviomagenſis. Societatis JESU per Germaniam ſuperiorem primus Provincialis. Illique nihilo inferior Henricus Caniſius frater, qui ſacros Canones in Academia Ingolſtadii docuit, antiquitatis præterea & hiſtoriæ ſtudio celebris. (Ob. 1597. Petrus.)

14. Juſtus *Lipſius* Belga Romanis præcipue rebus explanandis, & Stoicorum philoſophiæ illuſtrandæ, nec non Politicæ doctrinæ manum ſummo cum omnium plauſu admovit. Dicendi vero genere uſus eſt, quod non facile quispiam imitetur. (Ob. 1606.)

15. Robertus *Bellarminus* Politianus Patria, gente Italus, Dignitate Cardinalis, vitæ inſtituto JEſuita. Eo fuit, in rebus ſacris maxime ſed & aliis omnibus, ingenio, eâ doctrinâ, ut Auguſtino non multum inferiorem, atque præcipuorum Eccleſiæ Doctorum numero accenſendum non pauci judicarent. (Ob. 1621.)

16. Jacobus *Gretſerus* Suevus Societatis JESU, Hiſtoriæ ac literarum Græcarum velut quædam Pharus: Profeſſor Ingolſtadii. (Ob. 1626.)

17. Franciscus *Bacon*, Baro de *Verulamio.* Elisabethæ Anglorum Reginæ carus, dein Jacobo rege totius regni Cancellarius. Vir summæ media inter negocia eruditionis, maximique in rem literariam meriti. (Ob. 1626.)

18. Jeremias *Drexelius* Augustæ Vindel. natus, JEsuita, & Serenissimo Bavariæ Duci a Concionibus; politiores, quibus pollebat, Musas ad sacra argumenta transtulit, quæ plurima persecutus est felicissime. (Ob. 1628.)

19. Dionysius *Petavius* Aurelianensis Gallus JEsuita nullo non doctrinæ genere; sed maxime Chronologia celeberrimus. (Ob. an. 1636.)

20. *Cornelius* Cornelii *a Lapide*, Belga. Quo nemo uberius sacras literas est interpretatus. (Ob. 1637.)

21. *Aubertus Miræus* Bruxellensis, Cathedralis Ecclesiæ Antvverpiensis Decanus multorum Chronicorum solertissimus conditor. (Ob. 1640.)

22. Hugo *Menardus* Blessensis, in Virdunensi S. Vitoni cœnobio Benedictinus monachus, parens velut & instaurator literarum in Congregatione Gallica. (Ob. 1644.)

23. Hugo *Grotius* Delphis in Hollandia natus. Quatuordecim non plus annos natus Philosophiam integram propugnavit, cum jam octennis eleganter carmina pangeret. (Ob. 1645.)

24. Famianus *Strada* Romanus JEsuita Bellum illud, quo Hispani rebelles sibi Batavos domitum ibant, ea diligentia sibi describendum sumsit, ut primo duntaxat volumini viginti ipsos annos consecrarit. Nemini dubium esse debet, quin summis præconiis digna sit ea historia: utut Caspar Scioppius, Grammaticus quidem nobilis, sed infenso in Societatem animo, libellum ediderit Momicum, quo Famiani phrasin ac Latinitatem indignis modis habet. (Ob. 1649.)

25. Jo-

25. Joannes *Caramuel* Hispanus. Abbas Benedictinorum Montferratensium Viennæ, inde etiam Pragæ, post Episcopus Vigevitanus. Miri vir ingenii, nulliusque doctrinæ expers, sed Dialectica præcipue disciplina ad miraculum subactus. (Sub. an. 1679.)

26. Josephus Saënz de *Aguirre* Hispanus Benedictinus, Purpura, in eruditionis præmium, donatus ab Innoc. XI. (1686.) Philosophiæ utriusque, Theologiæ, Juris, historiæque peritissimus. Diem obiit 19. August. an. 1699.

27. Cælestinus *Sfondrati*, Lombardus, Gregorii XIV. ex fratre nepos, an. 1656. Studiorum rudimenta duodennis fecit in Monast. S. Galli, Germanico. Adlectus quin imo in ascetarum ibi numerum, primum Campidonæ, inde suæ domi Philosophiæ, Theologiæ, ac Juris Canonici ludum aperuit. Id ipsum cum Salisburgi faceret, ea fuit discipulorum audiendi virum cupido, ut amplissima licet aula numerum tot scholarium respuente, admotis scalis per fenestras etiam Doctoris verba exceperint. Hinc rusticam plebem parochus erudire jussus, mira id modestia, mira etiam sollicitudine executus est. Principis deinde, id est, Abbatis S. Galli auctus honore auxit etiam ipse tam vitæ sanctitatem quam eruditionem, ut non potuerit sibi ab eo in supremum Ecclesiæ senatum adsciscendo temperare Innocent. XII. an. 1695. 12. Decemb. Obiit Romæ 1696. 3. Sept. In ejus Libris nescias an eruditionem, an Styli gratiam majori in pretio habeas?


28. Joannes *Lucas d' Achery*, Picardus Benedictinus Congregationis S. Mauri in Gallia, quanta sit doctrinæ laude mactandus, vel ex eo solo metiamur, quod *Mabillonio* occasio & Dux eruditionis fuerit. (Ob. 1685.)

29. Josephus, Paulus & Franciscus *Mezgeri* fratres germani, Benedictini ac Professores Salisburgensis Aca-

Academiæ, Hiſtoricis, Theologicisque Scriptis nominatiſſimi. (A. 1690.)

30. Joannes *Mabillon*. Is eſt, quem ætas proxime lapſa eruditionis principem adorat, cui omnis Doctorum chorus faſces lubens ſubmittit, & quem eruditorum nemini licet ignorare. Vico Saint Pierre-Mont in Campania Gallica editus 1632. ſancto Benedicto nomen dedit, A. 1654. acutiſſimis initio Capitis doloribus vexato Literarum ſtudia ne a longe quidem attingere licuit ad annum usque 1663. quo Lucæ d'Acherio jam tum ſeni laborum non tam tyro, quam mox ſocius, & Magiſtro ipſo major adjunctus eſt. Fuit ille vir lectionis infinitæ, ſcriptionis plurimæ, memoriæ tenaciſſimæ, ac judicii præſertim ab omni fere hallucinatione eximii. Quidquid ſtylo aggrederetur, ea dexteritate perſecutus eſt, ut nemo ſe id facturum melius ſperaret. Cum vero omnes doctrinæ magnitudine infra ſe deſpiceret, modeſtiæ in omnes, atque in ſuperos pietatis extitit integerrimæ. Eo piiſſimis fatis extincto (A. 1708.) nemo fuit in tota ampliſſima Urbe Pariſina alicujus ſortis, qui non ad ſpectandum celebratiſſimi viri funus certatim accurreret. Panegyricus, qui eidem a Regia ſcientiarum Academia dictus erat, typis confeſtim mandatus eſt, unico hactenus exemplo.

31. Theodoricus *Ruinartius* Remenſis, Benedictinus Mabillonii ſocius ac ſuppar. (Ob. 1709.)



CA-

CAPUT VIII.

Observationes in Historiam Ecclesiasticam, ejusdem usus, & quid maxime ex ea notandum?

Quæst. *Quid me oportet ex Historiæ Ecclesiasticæ notitia discere?*

℞. Plurima quidem: Nempe disces Divinam Providentiam in regenda, conservandaque sua Ecclesia. Disces Omnipotentiam e tot miris in ea patratis. Disces ab exemplis sanctorum virorum vitæ integritatem: Concipies quoque ardorem quemdam eorum imitandi doctrinam, ac pro Ecclesia adversus hæreticos standi.

Unum tamen est, cui præcipue advertere animum debes: *Solam* nempe Ecclesiam *Catholicam* esse *Veram*. Itaque lectione & studio istius Historiæ firmari te oportet in Religione Catholica, hæreticorum vero errores & fraudes nosse simul, simul & detestari.

§. I.

De summis Pontificibus.

Quæst. *Quid observatu est necessarium de Pontificibus Romanis?*

℞. 1. Petrus Apostolus a Salvatore Ecclesiæ Autore constitutus est Ecclesiæ in terris caput & fundamentum, quando conceptis verbis non dubitavit decernere: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adver-*

ſus eam. Matthæi cap. 16. Nuspiam autem ſcriptum leges. *Tu es Luder, & ſuper &c.*

2. Hæc poteſtas, omnisque Petro conceſſa facultas etiam in Petri Succeſſores neceſſario tranſiit. Neque enim Eccleſiam talem conſtituit Chriſtus, quæ in Petro ſtaret, illo deinceps emortuo deficeret. Oportebat ergo, & a morte Petri eſſe, qui Eccleſiæ fundamentum & caput eſſet. Hoc non fuit alius quisquam, omnium vero minime Lutherus, aut Calvinus; ſed ſoli, qui Petro legitime ſuccenturiati ſunt, Pontifices.

3. Uti poteſtatem, ita non minus doctrinam ab Apoſtolo (qui a Chriſti ore eam traxit) accepere hi Pontifices: atque in hoc conſiſtunt *Traditiones* illæ quam veræ ac neceſſariæ, tam modernis hæreticis inviſæ. Neceſſarias autem dixi; cum omni dubio vacet, non omnia, quæ Chriſtus geſſit & docuit, *Scripta* plane eſſe, ſed multa oretenus tantum tradita. Nihil enim prorſus obſcuritatis habent illa Joannis Evangeliſtæ verba, Joan. cap. 21. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit JEſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Profecto non capit ea Lutherus cum ſuis, ſed *ſcripta, ſcripta* vult exhiberi, non *tradita.*

4. *Quapropter eis, qui in Eccleſia ſunt, presbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum Epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis certum ſecundum placitum Patris* (Chriſti) *acceperunt; reliquos vero, qui abſiſtunt a principali ſucceſſione, & quocunque loco colligunt* (ſeu congregant ſibi Eccleſiam vel ſectam) *ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, & malæ ſententiæ, vel quaſi ſcindentes & elatos, aut rurſus ut hypocritas, quæſtus gratia & vanæ gloriæ hoc operantes.* S. Irenæus L. 4. contra hæreſes cap. 43.

Edant

Edant hæretici *origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris habuerit autorem & Antecessorem.* Tertullianus Lib. de Præscriptionibus, cap. 32.

§. II.

De Ecclesiæ Propagatione.

1. Ipsa Christianæ Doctrinæ seu Ecclesiæ in omnes mundi plagas disseminatio Nomen *Catholicæ*, id est, *Universalis* eidem conciliavit. Cum eadem non modo in omnem partem se se extenderit, sed insuper, quod summi ad veritatem momenti est, *in omnibus* & ubique sit *eadem*, ejusdem Fidei ac Doctrinæ: cum interim hæreses in Angulo aliquo orbis delitescant; vel, si etiam latius extenduntur, nuspiam ac nunquam sibi consentiant, nec in eadem sæpe domo.

2. Ita præclarum est hoc *Catholicæ* seu *Universalis* Ecclesiæ nomen, itaque invidiosum, ut omnes hæreses sibi illud acquirere semper contenderint. Admiranda vero DEI Providentia factum est, ut nulla unquam Ecclesia *Catholica* dicta, æstimataque fuerit, præter istam Romanam, cui nos adhæremus, a Petro descendentem.

Perspicuum est, dolorem proprium caussam Ecclesiæ non putandum, nec stomachum unius hominis (seu indignationem ac turbas Lutheri) *imo per illum aliorum Generali Ecclesiæ vocabulo nuncupandum.* S. Hieronymus Epist. 62. ad Theophylum adversus Joannem Hierosolymitanum.

Catho-

Catholicæ nomen non sine caussa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut, cum hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam veniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere. S. Augustinus contra Epistolam Manichæorum, *fundamentum* dictam.

Sicubi audieris eos, qui dicuntur Christi, non a Domino JEsu Christo, sed a quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, Campitas (Lutheranos denique, Calvinianos, Quietistas &c.) *scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Ex hoc enim ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus prænunciavit* (Antichristi præcursores & socios: erunt homines se ipsos amantes &c. Epist. 2. ad Timotheum cap. 3.) *Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt: cum & diabolus de Scripturis aliqua sit locutus; & scripturæ non in legendo consistant; sed in intelligendo.* S. Hieronymus contra Luciferianos, fine.

§. III.
De Persecutionibus.

1. Ex his & Christianorum incredibili constantiâ, quorum millena millia exquisitissimis tormentis enecari maluerunt, quam à Christi fide & Ecclesiâ *Catholica* deficere, ex his, inquam, veritatem Catholici dogmatis necessario colligere est. *Nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur.* S. Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam.

2. Persecutionibus tantum abest Ecclesiam defecisse, ut potius immensa incrementa ceperit. *Aut non manifesta se tum Dei virtus contra odia humana porrexit, cum tanto magis Christus prædicaretur, quanto magis præ-*

prædicari inhiberetur? S. Hilarius contra Auxentium. *Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, urebantur, laniabantur, trucidabantur, & Multiplicabantur.* S. August. L. 22. de Civitate Dei. cap. 6. Nec ullus tamen martyrum inventus est, qui pro *Luthero* aut *Lutherana reformatione passus* esset, sed omnes pro *Catholica* fide.

§. IV.

De Doctrina.

1. Doctrina semper in Ecclesia Catholica eadem fuit, sibique constans. Vide, quæ initio dicta sunt. cap. 1. §. 5.

2. Ergo *Licet nos, aut Angelus de cælo* (ne dicam Apostata monachus Lutherus) *vobis evangelizet, præterquam quod evangelizavimus vobis, Anathema sit!* Hæc Pauli est sententia, ad Galatas cap. 1. *Aliud autem evangelizat, qui periisse dicit de cetero mundo Ecclesiam, & in parte Donati* (Lutheri aut Calvini) *in sola Africa* (Germania, Anglia) *remansisse dicit: Ergo Anathema sit:* S. August. Lib. de Unitare Ecclesiæ.

Cur post quadringentos annos (imo post mille supra quadringentos ô Luthere) *docere nos niteris, quod ante nescivimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Usque ad hanc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit.* S. Hieronymus Epist. 65. ad Pammachium de Erroribus Origenis.

§. V.

De Hæresibus.

1. Unde natæ fuerint hæreses dictum est. *cap.* 1. §. 6.

2. Quibus argumentis in Lutheranam præcipue sit uten-

utendum *capite* 7. §. 5. cum de Luthero sermo erat, diximus. Eorum non pauca contra reliquos etiam hæreticos faciunt. *Vid. etiam c.* 1. §. 5. *Q.* 7.

3. Omnes recens natæ hæreses prætenderunt, se Ecclesiam reformaturas. Ad quid hoc rei est? cum unus nigrum dicat, rubrum alter? Arius Filium Dei Patre minorem dicit, Lutherus negat. Calvinus abnegat Christum ulla ratione Eucharistia reapse præsentem esse: Lutherus eum tum, qnando a manducantibus sumitur, advolare asserit. Denique quod alter hæreticorum asseverat, alter pernegat. Et nihilominus eorum quivis audet gloriari de doctrinæ Ecclesiasticæ reformatione & veritate?

4. Cum tot prodierint hæreses Ecclesiam reformaturæ, earum nulla ætatem tulit, sed desierunt cum tempore omnes: Catholica interim Ecclesia inter hæresum ruinas stat, stabitque, dum etiam istæ paucæ, quæ residuæ sunt, hæreses cadant.

5. Blandiuntur Principibus hæretici, eorum imperia fore firmiora, si ejurata catholica Ecclesia, ejusque legibus, raptis quoque Ecclesiarum bonis, Pontificis obedientiæ renunciarent. Verum quam felici eventu, docent clades in Gallia, Germania, & Anglia: Dissidium perpetuum in Imperii Comitiis, quod Catholicis movent hæretici: quodque dissidium solum efficit, ne Germani sint invincibiles. Nunquam Anglia tam nefanda in regum suorum Caput & sanguinem ausa est, quam postquam evasisset hæretica &c. &c.

§. VI.

Viri Illustres.

1. *Sanctitas* in Ecclesia nunquam defecit. Prima quidem ætate Martyrii occasione, & Apostolorum exemplo fuere longe plurimi sancti viri, ac feminæ. Siquis vero postremis etiam annis Religiosos ordines con-

consideret, non minorem numerum inire licebit. Fac enim in singulis monasteriis, aut religiosis cætibus singulos tantum seu unum versari DEO singulariter servientem ac charum: pro quantus, si colligas, numerus nascetur? Computa deinde alios.

2. *Eruditio* suas passa est vices, nunquam tamen penitus extincta est. Prima quidem ætas trium seculorum simplex potius, quam docta audit. Altera *Doctorum* est. Gothis vero, aliisque Barbaris omnia susque deque agentibus, Romano Imperio scisso, verbo, turbulentis temporibus gravem paulatim labem traxit eruditio.

Ordo quidem D. Benedicti jam inde ab incunabulis juventutis eruditioni sese dicavit. Scholas publicas, & Academias cum suis in Monasteriis, tum etiam extra illa aperuit: at iisdem, quas dixi, turbis non raro & ipse fuit interpellatus.

Illum excepit ordo Prædicatorum S. Dominici, ac nonnullarum, imo multarum scholarum possessionem cepit.

Ab illo vero tempere, quo Constantinopoli a Turcis capta Græci una cum libris suis etiam doctrinam ad nos in exilium deportarunt, erigere demum caput eruditio cæpit; cui sustollendæ humeros supposuerunt præter alios complures Franciscus Petrarcha, Erasmus, Scaligeri &c.

Demum extremo tempore inclyta JESU Societas hunc sibi laborem velut proprium fecit, occupatis plerisque publicis Scholis.

At in Gallia præter alios eruditionis, omnisque doctrinæ laude celebres seculo nuper lapso Monachi Benedictini præcelluere, & adhuc præcellunt.

Quid quod hodie Barbaræ gentes, quibus abhinc paucos annos vix elementa litterarum satis nota fuerant, nunc ingenium exercere gaudent Moschi, inquam, & alii?

Ipse

Ipse Turcarum Sultanus, utut genti Turcicæ, literarum studiis interdictum sit a Mahumede, Typographeum Arabico-Turcicum constituturus dicitur hoc ipso, quo hæc scribo, die: additurus paulo post etiam Græco-Latinum; Et profecto anno 1729. non pauca exempla in eadem officina elegantissime excusa sunt.

Quid hæc sibi volunt? Quid si Deus illustret hanc gentem, ut agnita veritate ineptissimæ suæ legis nugas execretur, atque mitescat in exteros & Christianos?

Quid vero si literis imbuti Turcæ, iis facti astutiores, abutantur in perniciem rei Christianæ? Est sane, unde id liceat formidare, vel ex eo, quod Apostatarum opera in hoc eruditionis negocio utatur Turca. Sunt apostatæ Christianis multo quam ipsi Turcæ infensiores: & ii maxime, qui e Batavis, Anglis, aliisque hæreticis ad Turcicam impietatem defecerint.

Hæretici quoque hujus temporis de multa Juris, Historiæ, Criticæque scientia celebrantur; sed rite examinata, vento plena & ostentatione pleraque reperiuntur.

In Omnibus Glorificetur DEUS.



LIBER



LIBER PRIMUS HISTORIÆ PROFANÆ.

A Mundi Ortu ad Imperium Augusti Romanorum Monarchæ, circiter natum Salvatorem.

Quatuor hactenus extiterunt vasta Imperia atque summa, quæ *Monarchiarum* vocabulo vulgo dicuntur, Nabuchodonosori dormienti has Monarchias monstravit Deus in imagine Statuæ magnæ, cujus *caput* auro constabat; *pectus* & brachia argento; *Venter* & femora ære. *Tibiæ* ferro, pedes extremi partim ferro, partim luto. Daniel dein a DEO submissus ænigma sic evolvit, dicens, quatuor monarchias hac statua designari, prima harum (*Assyria* erat) aurea: altera (*Persica*) argentea: tertia (*Græca*) ærea: quarta (*Romana*) ferrea. Quæ ipsa ad extremum divisa, mixta, atque hinc infirmior futura esset; id quod nunc in Romano Imperio experimur, ut alibi dicemus.

CAPUT I.

Prima Monarchia ASSYRIORUM ad Cyrum, & Perſicæ Monarchiæ incunabula anno Mundi 3401. ante Chriſtum 559.

Q. I. *Sæpe curioſitate ductus noſſe optavi, qui primus rex, aut quando fuerit? Tune me hac ambiguitate expedies?*

℞. Præferam tibi facem. Aures præbe narranti. 1. Cum *Adamus* ille Protoplaſtes terram coleret, ad cataclyſmum usque nemo Rex audiebat, nemo in alios ſibi arbitrium ſumebat.

2. A Diluvio, Cham Noëmi Patriarchæ degener filius, quod habuerit contemtui parentem, id imprecationis ſibi promeruit, ut *Servus* cum poſteris ſuis eſſet. Servire non poſſet, niſi eſſet, qui dominaretur. Itaque vindicta Numinis factum eſt, ut homo libertati natus deinceps ſeu regibus ſeu tyrannis morem gereret; quia nolebat Parentes eo, quo oportebat, cultu proſequi.

3. Cæpit enim alter alteri primum invidere, poſt inſidias ſtruere, denique alios ſuæ poteſtatis facere & mandatis ſuis obnoxios. Inde cum quis hominum non ſpernendam manum ſuis velut ſub ſignis numeraret, crevit dominandi libido, ut etiam vicinos vellet habere dicto audientes; nec vicinos modo, ſed longius quoque remotos.

4. Quisquis ergo hoc pacto quaſi frenum impoſuiſſet populis, *Rex* dicebatur, vario quidem nomine, pro cujusque idiomatis genio; ſenſu tamen eodem, hoc nempe ut Dominum eum omnes intelligerent.

Q. II.

Q. II. *Quis demum fuit ille, qui præ aliis hanc sibi spartam sumsit?*

℞. *Nemrodus* is est Chami illius nepos. Quem conceptis verbis sacræ literæ docent *Babel*, seu Babylonem urbem condidisse, ac potentiæ limites late protulisse. *Genesis Cap.* 10.

Q. III. *Estne istud Imperium Assyriacum?*

℞. Non placet hoc rerum peritioribus, qui mille amplius annis serius extitisse credunt illius regni exordia, ac cum *Belo* cæpisse.

Q. IV. *Cur autem* Assyrii *dicti hi principes?*

℞. Autumo, hoc nominis haustum fuisse ab *Assure* quem sacri libri nominant. Is Babylone valere jussa Niniven urbem excitavit (*Genes.* 10.) & Imperium istud, quod Monarchiam Assyriam vulgo dicimus, auspicatus est.

Q. V. *Paulo ante dicebas, Belum Monarchiæ parentem esse; nunc Assurem vis. Constantne sibi ista?*

℞. Constant, ni fallor; nam *Bel*, *Beel*, seu *Baal* non personæ sed honoris est nomen: *Dominum* enim dicit, ac posteris etiam *Deum*. *Assurem* igitur tantum regem, quid aliud vocarent subditi, quam Dominum, & adulatores quid aliud, quam Deum, id est *Belum*? Profecto multis post seculis *Bel*, & *Bal*, dictum est illud numen seu idolum, quod divinis honoribus mactarunt plerique Asiæ populi, Assyriæ nempe monarchiæ olim coloni.

Q. VI. *Monarchæ Assyrii qua serie jura populis dixerunt?*

℞. Longa eorum series fuit: quorum gesta obliteravit ætas. Duos tantum in medium proferam, *Semira-*

miramim feminam, & *Sardanapalum* femina nihil viriliorem.

1. *Semiramim* uxorem duxerat Ninus Assuris Beli filius. Hic mulieris captus blanditiis eidem flagitanti regni habenas incircumscripta potestate triduum permisit. Semiramis ergo sumta Nini persona mandare, Semiramis vetare, illa vitæ, illa necis potestatem exercere, verbo dominari. Cernens vero, maritum istorum omnium esse patientem, aulamque omnem suis imperiis stantem, subit illam cogitatio de stabiliendo sibimet regno, nisi potius id consilium dudum ante agitavit. Tertia itaque luce satellites subornat, qui Ninum e medio tollerent. Quo perpetrato, rerum jam secura Imperium deinceps gessit animis femina majoribus. Illa Babylonem urbem *Hortis pensilibus* exornavit, ac maximi operis muro circumscripsit. Alia non pauca de hac muliere fabulæ canunt.

2. *Sardanapalus*, qui profanis Scriptoribus *Tonosconcoleros* appellatur. Huic mos erat publico abstinere semper: in Gynæceo vero delitescere, ac deliciis ad satiem indulgere, regni vero habenas permittere Satrapis. Id forte fortuna animadvertit *Arbacem* quendam Medorum Provinciæ præfectum, qui indignum ratus, tot populos a nutu pendere effeminati regis, conciliatis sibi Medorum animis atque armis, Sardanapalo in urbe Ninive imminet. Non potuit Sardanapalus armis evadere superior, quem belli vel nomen forte latebat. Itaque ne vivus in potestatem hostium veniret, in rogum se cum Gazis conjicit. *Anno mundi* 3213. *ante Christum* 747.

Q. VII. *Quæ deinde post Sardanapalum Imperii facies?*

℞. Arbace fatis suis perfuncto in tria divisum est Imperium. Primum *Medorum* fuit. Secundum *Assyriorum*. Tertium *Babyloniorum*.

Q. VIII.

Q. VIII. *Paucis expedi regnum* Medorum?

℞. Regia fuit Urbs Ecbatana. Ipſum imperium ſorte varia ante uſum denique Cyrus Perſis vindicavit.

Q. IX. *Dic de* Aſſyriis?

℞. Ex his regibus Sennacherib Solymam obſedit. Sed cum Judæorum Numini male diceret, eadem nocte centum & octoginta quinque millia de exercitu cæſa ſunt ab Angelo. Ipſeque domum iniquo animo repetens a filiis ſuis eſt neci datus, quos idolis immolare ipſe conſtituerat.

Regnum poſtea a Cyaxare Medorum, & Nabopolaſſare Babyloniorum monarchis occupatum, atque inter utrumque diviſum eſt.

Q. X. *Quibus rebus notandum eſt* Babylonium *regnum* ?

℞. Duabus præcipue. 1. Nabuchodonoſor Magnus (profani hiſtorici Nebucadnezar ſcribunt) ſextus decimus illorum regum Judæis ſeptuagenariam illam captivitatem impoſuit, templumque Hieroſolymorum toto orbe auguſtiſſimum ſolo æquavit. Danielem ſummo loco habuit. Animo vero factus elatior, & divinos ſpirans honores pœnas tales vero Numini dedit, ut ab humana forma deſciſcens, ac bovem indutus cum feris ſeptennio ipſo degeret: quo labente, ſibi, priſtinæque ſpeciei, ac ſolio redditus eſt.

2. *Balthaſſar* ſeu Belſazer nepos prioris, cum aliquando genialius victurus ſacris illis vaſis (quæ e templo Solymæo rapuerat avus) ad ſuam abuteretur cænam, portento mox perculſus eſt; in aulæ enim pariete ſubita exſtans manus hoc in ea triverbium exaravit: *Mane*, *Thecel*, *Phares:* quo ænigmate exitium ei ac regno portendi Daniel interpretatus eſt.

Nec diu fuit, cum a Cyro finis omni Assyriorum imperio datus est, *An. Mun.* 3422. *ante Christ.* 538.

CAPUT II.

Altera Monarchia.

PERSARUM.

A Cyro an. M. 3422. ant. Chr. 538. ad Darium ab Alexandro M. Arbelæ superatum, an. mun. 3630. ant. Chr. 330. atque adeo usque ad Monarchiam Græcorum.

Q. I. *Quis iste fuit Cyrus Persarum Imperii parens?*

℟. Astyages Medorum regum postremus filiam suam Mandanen Cambysi cuidam, nobili inter Persas loco, nuptum dederat. Hæc partum edidit masculum, cui totius Asiæ dominatum augures divinarunt. Subiit Astyagem ejus rei invidia, metuentem suo sceptro: puerum ergo maturæ neci dedi jubet. At Harpagus, cui ea provincia mandata fuerat, pastori clam nutriendum commisit. *Cyrum* hunc dixit pastorum postea turba; quem sacræ nostræ literæ *Corem* appellitant.

Q. II. *Quo fato ad regnum grassatus est pastor puer?*

℟. Miro: nam Medorum primum, mox etiam Babyloniorum amplissima imperia suæ fecit potestatis. Puer adhuc

adhuc pastores inter nihil humile & abjectum spiravit. Per jocum & pastoritium lusum (ut amat id hominum genus) rex a sodalibus lectus, nudum nomen abhorruit, sed reapse inter suos pro rege se gessit, hunc plectens, alium expellens, suo demum arbitrio cuncta temperans. Insolens juvenis indoles innotuit Astyagi. Inquisitum est in natales, & reperti sunt regii, ex Mandane nempe illa. Astyages Cyrum quidem nepotem suum Cambysi deinceps educandum tradit, Harpagum vero mensæ suæ aliquando adhibitum truculento facinore mactat. Carnes apponebantur, quas dum penitius arbitratur Harpagus, suimet filii eas esse agnoscit. Dissimulato tamen tantisper dolore abit, recta ad Cyrum pergens, quem in Astyagem avum concitat. Is haut multum cunctatus, collecta Persarum manu eundem solio pellit. *An. Mun.* 3401. *ant. Chr.* 559.

Q. III. *Sed Babylonem quomodo subegit?*

℞. In eam cum exercitum moveret, Gynden late fusum amnem (alii Euphratem volunt) vado superaturus regiorum equorum unum alveo haustum amisit. Actus ergo in iram juravit, se eo redacturum illud flumen, ut calcari etiam a feminis posset. Nec mora, admotus operi ingens exercitus in 360. rivulos diduxit alveum. Babylonem deinde expugnavit, *quæ capta cum esset, ferunt, partem aliquam ejus civitatis tertia die nondum aliquid sensisse.* Aristotel. Lib. 3. Politicor. cap. 2. tanta erat unius urbis amplitudo.

Q. IV. *Reliqua Cyri gesta evolve?*

℞. 1. Judæorum gentem a Nabuchodonosore olim solum vertere jussum ad patrios Lares redire permisit, mox ut Babylonem subegit. An. M. 3422. ante Chr. 538.

2. Crœsus erat opibus affluens Lydorum rex. Hic acerbe intuens vicinam Cyri potentiam arma in illum decernit: ne tamen temere egisse videretur, oraculum

lum consulit, a quo responsum fert in hæc verba:

Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Pervertit sane, sed opes suas potius quam Cyri. Superato enim Haly amne, qui limes erat Persici Imperii, exercitu, regno, libertate multatus est a Cyro, ac pene vita. Rogo jamjam impositus identidem succlamavit: *O Solon! Solon!* Percontatus rex de nomine, audit, Solonem Crœso olim extitisse morum magistrum, qui suis opibus nimium freto hoc præceptum dederat; *Ultima semper expectanda dies hominis, dicique beatus ante obitum nemo supremaque funera debet.* Memor ergo hujus doctrinæ Crœsus fastum suum damnabat, miseram in rogo sortem lugebat. At Cyrus eandem sententiam & in se quadrare animadvertens, vitæ gratiam facit Crœso, non tamen coronæ.

3. Scythæ populi, seu Massagethæ Caspio mari, Pontoque Euxini adsiti, imperium, quod in illos etiam extendere Cyrus parabat, dedignati sunt. Tomyris enim Barbaræ gentis regina vafra ingenio mulier in angusta montium deducit Cyrum, suique nimium securum castris ac vita exuit. Cujus resectum a cervice caput scrobi cæsorum cruore redundanti immersit cum dicto: *sat jam tandem bibe sanguinis, quem tantopere sitiisti.* Millenorum millium exercitum in Barbaros eduxerat, utque ordine fieri omnia in tanto militum populo possent, singulis nomina ipse imposuerat Cyrus, nihilque hæsitans suo quemque vocare noverat. E quo summam viri memoriam ingentemque animum æstimare licet.

Q. V. *Quid Cyri posteri memoratu dignum ediderunt?*

℟. Missis aliis tres tantum nominandi veniunt 1. *Darius I.* Hystaspis. 2. *Xerxes I.* 3. *Darius* Codomanus.

1. *Da-*

1. *Darius I.* Hystaspis filius nova ac ridicula quadam ratione rex salutatus est. Diffidentibus enim optimatum animis in id tandem conventum est, eum regno potiturum, cujus equus ab ortu solis primus hinnitum edidisset. Producti in campum Satraparum equi muti adstiterunt omnes, præter caballum Darii, quem astu quodam stabularius instruxerat.

Hippiam Pisistrati Tyranni filium urbe exegerant Athenienses: Is vindictam coquens animo ad Persas transiit, huncque Darium in exitium Græcorum excivit. Centies mille milites in Græciam effudit rex: quos Miltiades cum parva suorum (nonnisi duodecim millia numerati sunt) manu adortus in campo *Maratonio* turpi fuga domum egit.

2. *Xerxes I.* Magnus. Patris dedecus ulturus millenorum millium aut eo majorem populum potius quam exercitum adversus Græcos eduxit. Miro ausu Hellespontum immani ponte jungere nisus erat; quem cum suborta procella nonnihil rupisset, actus in rabiem fabros omnes capite plecti, æquor ipsum mille plagis vapulare jussit. Non eodem successu juga montium superavit. Loca enim inaccessa (*Thermopylas* vocant) cum trecentis solum occupans Leonidas Lacon Persarum 20000. delevit, cum antea suos his nonnisi verbis cohortatus fuisset: *Sic commilitones prandete* (nam corpora curare eos ante pugnam jusserat) *tanquam apud inferos cœnaturi:* Progressus inde Xerxes ad *Artemisium* montem triduana pugna a Themistocle Atheniensium stratego profligatus est: maritimo etiam prælio ad *Salaminem* insulam ab eodem fusus.

Ad extremum ægre in patriam redux nocte quadam mero & epulis gravis ab Artabano Satrapa confossus periit.

3. Cum *Dario III.* demum Codomanno exequias passa est Persarum potentia. Philippus Macedo reliqua Græcia in suam ditionem redacta gentis suæ injurias a Persis ultum ibat. Consilium intercepit Pausanias regem Philippum ex insidiis necans. Id tamen executus est Alexander filius, qui hanc sibi provinciam a patre relictam gavisus cum modica sed lectissima manu Persas variis præliis attrivit, ac ultimam demum manum imposuit in pugna illa ad *Arbelam* commissa, e qua se recipiens Darius suorummet Ducum perfidiæ jaculis cecidit. *An. Mun.* 3630. *ante Christ.* 330.

CAPUT III.

Tertia Monarchia.

GRÆCORUM.

§. I.

De rebus Græcis ante Monarchiam constitutam.

Q. I. *Fuitne Græcia unum duntaxat regnum?*

℞. Minime vero. Nam antiquissimis temporibus *Sicyoniorum*, inde *Argivorum* regna celebria fuere, denique *Mycenarum* regnum ex Argivis subnatum est sub Perseo, quem fabulæ celebrant. Recentiore ævo plurimæ extiterunt Respublicæ, plurimaque Græcorum regna, *Corinthiorum*, *Thebanorum*, *Megarensium*, *Cretensium*: Sed hæc tanquam minorum gentium missa faciam: Dicam autem de *Atheniensibus*, *Spartanis*, ac *Macedonibus*.

I. *Athe-*

I. *Athenienſe* regnum, quod *Atticum* quoque antiquitus dictum, a *Cecrope* 1. initium ducit, qui Moſis ævo vivens *Areopagum* condidit. Locus is eſt, in quem convenientes, qui magiſtratum ſummum gerebant, jus dicebant, idque noctu, ſi res majoris momenti decernenda foret, ne perſonas noſſent litigantes, ducive affectu poſſent. 2. Dudum poſt *Theſeus* extitit ab expeditione Argonautica notiſſimus: is ipſe eſt, qui *Oſtraciſmi* legem propoſuiſſe dicitur, qua in exilium honeſtum acti ſunt Cives, qui præter communem ſortem ſeu divitiis, ſeu populi favore, aliave re formidandi evaſiſſent; idque eo conſilio, ne potentia ſua abuterentur in patriam, eamque libertate multarent. Verum hac lege omnium primus expulſus eſt ipſe Theſeus. 3. Ultimus illorum regum *Codrus* fuit, *An. Mun.* 2866. *ant. Chr.* 1114. Hic difficili cum Peloponneſiis bello, cum oraculo proditum fuiſſet, Athenienſes ſuperiores fore, ſi eorum regem Peloponneſii intereniſſent, ſæpe ſe hoſtium telis ultro objecit. Sed ii, quos nempe non latebat oraculum, omni ſtudio ab ejus cæde ſibi cavebant. Demum Codrus mendicum indutus in hoſtium caſtra tranſiit, ibique ignotus trucidatus eſt. Deinceps Athenienſes abdicato regio nomine *Archontes* ſuos (Principes latine dicas) rempublicam curare juſſerunt; qui decennio primum, demum in ſingulos annos Magiſtratum geſſere. 5. Ex annuis hiſce Archontibus *Draco* leges Civitati ſcripſit, ſed quarum ſeveritatem mox corrigere debuit *Solon* antiquæ ſapientiæ vir. 6. Ad ſenium tandem vergente republica Civilibus bellis, ut fit, cum peſſumire regna occipiunt, omnia mixta ſunt; *Piſiſtratus* præſertim tyrannidem arripuit, ejusque filius *Hippias* Perſarum arma in patriam excivit. 7. Cum a Perſis quies eſſet, centum fere annis cum Lacedæmoniis vario Marte pugnatum eſt. Idque bellum dictum eſt *Peloponneſiacum*. Donec tandem Macedonum poteſtati tota Græcia cederet.

II. *La-*

II. *Lacedæmonii*, *Lacones*, five *Spartani*, Athenienſium regno non multum recentiores originem Lacedæmoni primo ſuo regi debent. Sed usque ad Trojanum bellum non admodum cogniti; quod bellum ipſorum cauſſa a tota Græcia ſuſceptum eſt. Tindari enim filiam *Helenam* Menelai Laconum regis ſponſam a Paride Trojano raptam repetebant. Fuit Troja regnum antiquum a Dardano conditum, a Troë & Ilo celebre redditum. Id temporis Priamus rerum potiebatur, cujus intemperans filius Alexander five dictus etiam *Paris* Helenam rapuit. Emota probro Græcia decennio ipſo Urbem premit, donec Antenoris, & Æneæ, ut ferunt, proditione capta in cineres abierit *An. Mun.* 2778. *ante Chr.* 1182. 2. *Lycurgus* Philoſophus Leges Spartanorum condidit, quibus cum armorum, tum juventutis præcipue curam haberi voluit, & pueros, qui a præceptore ſe caſtigatos quererentur, bis caſtigari, parentesque, qui id neglexiſſent, haberi infames præcepit. Accinctus deinde itineri, convocata civium concione petiit, uti ſibi ſacramento ſponderent, ab his legibus ſe non receſſuros, donec reverteretur ipſe, quo accepto jurejurando abiit: quem alii dicunt Æthnæ montis voragini ſe injeciſſe, alii alibi gentium diem ſuum obiiſſe, ac teſtamento caviſſe, ut defuncti cadaveris cineres torrente mergerentur, ne quidquam Lycurgi Spartam redire poſſet, quod violandarum legum anſam præberet Civitati. 3. Romuli tempore regibus additi ſunt *Ephori* 5. ſeu ſeniores e civibus, qui regum poteſtati frenum injicerent. 4. Diuturno bello cum Meſſeniis primum, inde cum Megarenſibus, ac demum cum Athenienſibus colliſi, Macedonum jugo ſubditi ſunt.

III. *Macedones* primum regem ex Heraclidarum, ſeu Herculis poſterorum gente nominant *Caranum* quemdam eo fere tempore, quo Aſſyrium imperium cum Sardanapalo extincto diviſum eſt. Poſteri reges alienis

alienis bellis, negotiis, ac imperiis abstinentes vixere quidem sine magni nominis umbra, sed ob id ipsum quieti; nisi quod a vicinis Illyriis aliquoties armis tentarentur. 2. Philippus vero II. acer ingenii, manuque promptissimus ceteras Græcorum Respublicas bellis civilibus per sese attritas felicibus aliquot præliis labefactavit, ac demum decretoria ad *Cheroneam* pugna profligatas juris sui ex integro fecit. *An. Mun.* 3622. *ante Ch.* 338. Hac auctus victoria bellum in Persas decreverat: sed in nuptiis filiæ suæ a Pausania nobili Macedone pugione confossus est; Olympiade conjuge cædis, ut fertur, vel autore, vel conscia.

§. II.

De Alexandro Magno.

Q. I. *Quod fuit Alexandro genus, qui natales?*

℞. Olympias ei mater fuit, sed Philippum patrem nec ipse agnovit, affectans patrem Jovem: alii aliunde genitum asserunt. Natus est *Pellæ*: eademque nocte mirum illud Dianæ Ephesinæ delubrum arsit, ignem submittente quodam, cujus nomen perpetuo silentio premendum sanxerunt Græci: quod tamen scire multi historiographi volunt, & *Herostrati* esse.

Q. II. *Quæ pueri Principis educatio?*

℞. 1. Aristotele magistro usus, homine ad miraculum callido & erudito, intimam exhausit sapientiam.

2. Bu-

2. Bucephalus equus tauri capite ſtabulabatur in hara Philippi, ferus adeo, ut quemcunque ſeſſorem dedignaretur. Ajunt etiam vaticinio palam fuiſſe; eum, qui id animal ſubigeret, ſumma poteſtate gaviſurum. Vel indole ſua, vel vaticinio allectus Alexander, utut dehortaretur eum cum aula ſua Philippus, equum frenum omne reſpuentem conſcendit tamen, unoque impetu abreptum, reducit manſuetum. Eo deinceps ſemper uſus, occiſo etiam monumentum condidit Urbem ejus nomine dictam.

3. Corpore minime procero, cervice in alterum humerum nonnihil reclinata, oculis erat diſcoloribus, fulvo altero ac velut igneo, altero ſubnigro. Sudorem ejus ferunt roſam reddidiſſe odore.

4. Animis erat ingentibus, & gloriæ plus etiam, quam decet, cupidis. Quoties enim nuncium ei ferebatur de patris Philippi victoriis, a lacrymis ſibi temperare non potuit, queſtus, omnem ſibi gloriæ campum a patre præripi.

Q. III. *Nunc ejus geſta quam potes pauciſſimis abſolve.*

℞. Ingentia ſunt: ſed non eſt, quod fidem adhibeas ſcriptorum nonnullis, qui antiquorum in hoc viro fabulas inſtaurarunt, ceteros tamen inter verecundius nonnihil ludit Curtius.

1. Thebas jugum excutere parantes ſolo æquavit. *An. Mun.* 3624. *ante Chr.* 336.

2. Scripto 35000. exercitu Aſiæ fines ingreſſus Memnonem Darii Belli ducem ad Granicum Bythiniæ amnem fudit. *An. M.* 3626. *ante Chr.* 334. Ipſum deinde Darium cum 500000. ſibi occurrentem ad Iſſum urbem rejecit 130000. Perſarum deſideratis. Quo prælio capta eſt Darii Mater, Uxor Roxane, & filiolus. ant. Chr. 333.

3. *Anno Mun.* 3628. *ant. Chr.* 332. in Syriam penetravit, Tyrum cepit jacto per mare aggere. Palæstinam deinde ac Jerosolymam cum exercitus parte lustrans, Jaddum Pontificem obvium habuit, qui ostenso in Prophetis vaticinio, Alexandrum Asiæ dominum fore, immunitatem Judæorum populo impetravit. Rex ipse sacerdotis pedibus affusus fassus est suis, sibi in Macedonia eadem, qua Pontifex apparebat, specie Deum per somnum oblatum esse, qui Asiæ Principatum spopondit. Sub hæc Ægyptum ac templum Jovis Hammonis adiit, atque urbem sui Nominis Alexandriam condidit.

4. *An. mun.* 3630. *ante Chr.* 330. cum Dario signa decretoria contulit Arbelæ Mediæ oppido. Darius victus paulo post a Besso proditorie necatus est. Alexander Orientis totius Imperio potitur. Atque ab hoc tempore Græcorum Monarchiæ primordia capienda sunt.

5. Gloria, deliciis, opibus denique subactus ducum suorum fidissimos Parmenionem & Clitum e medio sustulit, Persarum ritus Macedonibus veteranis imperavit, denique fastu & ferocia omnium sibi odia conscivit.

6. Ab Indis reversus Babylonem, bellum in Carthaginenses, qui Tyriis suppetias tulerant, & in Romanos parabat. Sed fato præveniente eadem in urbe extinctus est, vel ebrietate & crapula; vel toxico, quod ei mistum ab Antipatro Duce olim suo, tum vero temporis Macedoniæ Præfecto, ajunt. Nec desunt, qui Olympiadem, atque Aristotelem hujus facinoris reos agant. *An. Mun.* 3636. *ante Christ.* 324.

§. III.

§. III.

Ab Obitu Alexandri de rebus Macedonum, Ægyptiorum, Asiaticorum & Syrorum.

Q. I. *Quem tantæ fortunæ successorem habuit Alexander?*

℞. Nullum. Erat equidem Alexandro filius sed spurius *Hercules*: erat spes legitimæ prolis ex Roxane conjuge, quæ uterum tum ferebat partui vicina, pauloque post enixa est posthumum *Alexandrum*: Sed erat etiam *Aridæus* Alexandri frater impos sui & mente vix non captus. Duces igitur Hercule & Alexandro spretis rerum summam *Aridæo* deferunt, ipsi interea provincias administraturi: non alio utique consilio, quam ut sub bardo rege suam quisque rem ageret, ac sibi quas posset provincias subderet. Patuit id eventu: nam pro se quisque sollicitus vicinum venenis, insidiis, aperto denique Marte tollere annitentes eo rem deduxerunt, ut e Græca illa Monarchia *quatuor regna* prodierint, 1. *Macedonicum*. 2. *Ægyptium*. 3. *Asiaticum*. 4. *Syriacum*.

Q. II. *Macedones reges persequere?*

℞. Non est tanti momenti, ut singulos persequar: præcipuos dabo.

1. *Aridæum* Olympias mater enecavit: ipsa pariter a Cassandro Antipatri filio sublata, cum omni Alexandri prosapia. Nec id sua sine mercede fecit, corrosus demum a vermibus Cassander.

2. *Galli* deinde bis terve in Græciam effusi magna clade affecerunt Macedones.

3. *Philippus II.* ab Hannibale sollicitatus in Romanos infesta signa movit; sed belli tandem & cla-

dium

dium fessus pacem impetrat obside dato Demetrio filio.

4. *Perseus* alter Philippi filius iterum favens Carthaginensibus a Paulo Æmilio oppressus, captus, cumque binis filiis triumpho ductus est, & Macedonia Romanorum Provincia facta. *An. Mun.* 3792. *ante Chr.* 168.

Q. III. *Nunc de* Ægyptio *regno tibi incumbit narratio.*

℞. 1. Ægyptiorum plurimæ antiquitatis regnum est, & Abrahami jam ævo percelebre. *Apim*, Serapim, seu Osirim primum nominant regem. Qui eum excepere *Pharaones* dicti sunt omnes, ut nostri nunc Cæsares: qui populum immensis & vectigalibus, & operibus exhauserunt condendo præcipue Pyramides, tantæ molis, ut uni excitandæ trecenta & sexaginta hominum millia decem omnino annis insudarint, sub tempora Sardanapali. *An. Mun.* 3200. *ante Chr.* 760.

2. Deinceps a Cambyse Persarum monarcha subacti, & ab Alexandro M. in fidem recepti sunt.

3. Post Alexandri fata *Ptolomæus* quidam Lagi filius unus Alexandri Præfectorum diadema sibi imposuit. Nomenque *Ptolomæorum* in omnes posteros, ut olim Pharaones, transmisit. *An. mun.* 3637. *ante Chr.* 323.

4. *Ptolomæus II. Philadelphus.* Alexandriæ Bibliothecam condidit 700000. voluminum; sacras Hebræorum literas Græce reddi per LXX. Interpretes curavit. *An. Mun.* 3691. *ante Chr.* 269.

5. *Ptolomæus* Dionysius Pompejum a Cæsare victum ad se confugientem jussit necari. Cæsar persecutus fugientem Alexandriam delatus est. Ibi omnia pro arbitrio gerere volenti Cæsari arma minitantur proceres. Suæ itaque saluti consulturus, atque ut fugiendi sibi spatium faceret, palatio ignem subjicit, ut restinguendis

 flam-

flammis intenti cives a persequendo Cæsare abstinerentur. Sed, malum! eo incendio regia illa Philadelphi Bibliotheca in cineres abiit. *An. Mun.* 3913. *ant. Christ.* 47.

6. Hujus Ptolomæi conjux *Cleopatra* lectissimæ quidem formæ, sed intemperantis animi & ambitionis femina regnum a Cæsare, amore ejus capto, precario recepit. M. Antonium Triumvirum Imperatorem eodem fascino seduxit: cujus in pelago piscantis hamo cum assos etiam aut tostos pisces per urinatores occulte fecisset alligari, aliisque modis ludibrio eum habuisset, Antonius tamen improbo mulieris amori Cæsaris Augusti amicitiam postponere nullus dubitavit, repudiata Octavia ejus sorore, quam paulo ante sibi desponderat. Quæ res utrique & Cleopatræ & Antonio exitium ultimum peperit. Actiaca enim maritima pugna inferior Antonius in Ægyptum se recepit, unaque cum amasia Cleopatra violentas sibimet manus intulit. Augustus vero Ægyptum Romanam Provinciam fecit. *an. mun.* 3930. *ante Christ.* 30.

Q. IV. *Quodnam fuit* Asiaticum *regnum?*

R. Illud occupavit Antigonus ex Alexandri Ducibus, Asiam minorem, Persiamque complexum. Cui successit Seleucus Nicanor, is qui Syriæ etiam imperavit. Quo defuncto in quatuor minora regna abiit hæc provincia, nempe

1. *Pergamenum*, cujus hæredem cum ingentibus divitiis Populum Romanum scripsit Attalus III. *an. mun.* 3828. *ant. Chr.* 132.

2. *Ponticum*. Hic sceptra rotabat *Mithridates VII.* Magni cognomine, qui imperium etiam in finitimos protulit, ac viginti duarum subditarum sibi gentium linguas ex asse calluit. Romani regnorum helluones etiam huic imminebant, jamque passim in Ponto nidulabantur: cum Mithridates non intempestivo minus quam iniquo consilio Romanorum omnium cædem

tot•

toto suo regno eadem nocte patrandam clam indicit. Cecidere his insidiis 80000. *an. mun.* 3872. *ant.Christ.* 88. Missus in eum primo Sylla, tum Lucullus, inde Pompejus ad eas incitas redegerunt, ut venenum hauserit, quo nihil læsus, jugulum servo præbuit an.mun. 3895. ant.Christ.65. A puero enim assueverat veneno medicato vesci, atque autor creditur antidoti istius, quod *Mithridaticum* vel hodie dicunt.

3. *Armenum* circa fontes Euphratis. Cujus *Tigranes* ultimus rex Mithridatis gener eadem cum illo sorte a Romanis oppressus est. Attamen *Dejotaro* ejus filio Ciceronis amico, agente eodem Cicerone, regnum vectigale permissum est a Senatu Populoque.

4. *Parthicum.* Primus ibi regnavit *Arsaces:* unde Arsacidarum nomen posteris hæsit. Ardua Romanis cum hoc regno bella intercesserunt. *Marcus* sane *Crassus* Triumvir Imperator, vir tantarum opum ut exercitum suo ære aleret, in Parthos profectus cum 100000. exercitu occisus est. Cujus amputato capiti liquescens candensque aurum infudere barbari, ut satiaret tandem perpetuam auri famem, amaro joco jubentes. Id ipsum est, quod hodie in ancipiti versari videmus potentissimum Persarum regnum.

Q. V. *Syrum regnum quale fuit?*

℞. Huic initium fecit *Seleucus* Nicanor, seu Nicator, id est victoriosus, anno ab obitu Alexandri 12. Ex ejus nepotibus *Antiochus III.* Magnus instigante Hannibale in Romanos ivit cum splendidiore quam fortiore exercitu, pessime ab iisdem acceptus in campis Magnesiæ, quæ urbs est Lydiæ Sypilo monti subjecta. 2. *Antiochus IV.* Epiphanes cum Ægypto bellum inferret, a Romanis arma ponere jussus est. Tergiversantem ac tempus ducere volentem Popilius Romanorum Legatus virga circumscripsit in sabulo, jubens

eum in arena consilium aut pacis, aut belli capere. Elegit pacem. Judæos ac Macchabæorum præcipue gentem dire habuit, spoliato templo, exustis sacris libris. Sed pediculis tandem præda factus interiit. 3. Deinceps inter ipsosmet Seleucidas intestinis odiis ac bellis pugnatum est; tandemque Syri illorum pertæsi regnum detulere Tigrani Armeno, quem dixi. At Pompejus his omnibus superveniens Syriam, Palæstinam, omnemque Asiam Romani Imperii Provinciam fecit. *An. Mun.* 3896. *ant. Chr.* 64.

§. IV.

De Viris illustribus Græcorum, aliisque dignis notatu rebus.

Q. I. *Recense viros aliquot ab antiquitate Græca decantatos.*

R. Ævum illud, quod a diluvio ad Olympicorum ludorum initia fluxit, fabulis scatuit. Idcirco viros tum temporis celebres laudabo in Mythologia potius, quam hac in historia. Reliquorum vero nonnullos hic loci exhibebo.

I. Reges & Belli duces.

1. *Miltiades*, Archon seu Princeps Atheniensium, & in bello contra Persas ductor. *Vid. supra Cap.* 2. *Quæst.* 5. *num.* 1.

2. *Leonidas* Lacon. R. ad Thermopylas pro patria strenue occumbens. *Vide ibidem num.* 2.

3. *Themistocles* Atheniensium Dux. *Vid. ibidem.* Juvenis primum erat vitæ non optime compositæ, sed cum Miltiadem a Persico bello inter civium suorum plausus revertentem vidisset, subito cæpit languere, ac velut contabescere. Causam rogatus reposuit: *Miltiadæ*

tiadæ triumphos sibi somnum suffurari. Ab illo nempe tempore cæpit res magnas & egregias meditari.

4. *Cimon* filius Miltiadis in Cives munificentissimus. Trecentas quinquaginta naves Persis eripuit.

5. *Pericles* Atheniensis. Primus fuit Oratorum: idemque regnandi, bellandique peritissimus. Rogatus aliquando ut testem ageret non verum, respondit: *Amicus usque ad aras.* Dux fuit primo bello Peloponnesiaco. Sub *An. Mun.* 3531. *ante Christ.* 429.

6. *Alcibiades* Periclis cliens, filius Cliniæ. Profligatis moribus adolescentem hunc ambivit Socrates Philosophus, atque ad frugem reduxit. Inde vir & ingenii & animi acerrimus evasit. Summus Atheniensium contra Spartanos Imperator invidia tandem sibi conciliata solum vertere jussus est. Hinc ad Spartanos se contulit, contra Athenas tamen militare semper recusavit: servans fidem & amorem etiam in ingratos. Sciens, vulgus curiosum esse carpendi magnos viros, ut ipse hoc effugeret, canem magno emit, eumque abscissa cauda urbem oberrare permisit. Caussam roganti respondit, id eo a se factum esse, ut populus hoc factum carpens, ocium non haberet alia ejus gesta arguendi. Sub *An. Mun.* 3545. *ant. Chr.* 415.

7. *Epaminondas* Thebanus. De hoc ajunt, neminem unquam scivisse plura, neminem tamen parcius fuisse locutum. Thebanorum adversus Spartanos Dux creatus cum 6000. suorum viginti quinque Laconum millia occidit pugna illa famosa *Leuctrica.* Invidia tamen populi in ordinem redactus, & sordibus civitatis purgandis præfectus est. Quod ille munus tam dextre gessit, ut deinceps honestissimi cives illud ambirent. Ita non magistratus virum, sed vir sæpe ornat magistratum. Iterum deinde ca-

ſtris admotus teli ictu occubuit in pugna Mantineenſi, An. mun. 3602. ante Chriſt. 358.

8. *Pelopidas* Thebanus Epaminondæ in tenendo reipublicæ clavo ſocius. Obiit biennio ante illum.

9. *Dionyſius Senior*, ſive *Major* Rex electus a Siculis, ut eo ſolertius eos a Carthaginenſibus defenderet. Sapiens ac probus fuit rex. Verum *Dionyſius Junior* ejusdem filius Tyrannide impotenter abuſus eſt. A Timoleonte ergo Corinthiorum Duce exutus purpura, poſt Ludimagiſtrum egit Corinthi.

II. Philoſophi.

1. Præ ceteris magni nominis fuerunt *ſeptem Sapientes*, qui fere ſequentes extiterunt, eodemque ævo vixere ſub annum mundi 3400. ante Chriſtum 560.

Thales Mileto natus. Juvenis ephebos egreſſus noluit conjugii lege ſe obſtringere; cauſam edidit, eſſe ſe nimis adhuc juvenem: Senior factus cum id ipſum recuſaret, dixit, ſe jam eſſe nimis ſenem.

Pittacus Mitylenæus primum caſtra ſecutus mox Muſis operari cæpit.

Bias Priennenſis. Hoſte irruente cum alii facultates ſuas in tutiora loca conferrent, ipſe omnium nudus exivit, inquiens; *omnia mea mecum porto*, animum nempe & ſapientiam, quam nullus hoſtium rapere poſſet.

Solon Athenarum legislator. Crœſo opibus ſuis elato autor fuit, ut faſtum interim premeret, *Neminem enim ante mortem beatum putandum eſſe.*

Reliqui ſunt *Cleobulus* Lindius; *Chilo* Lacedæmonius; *Myſon* Chenenſis Lacon. Cujus loco alii ponunt *Periandrum* Corinthiorum Tyrannum.

2. *Æſopus*, Gente Phryx, conditione ſervus ſub ſub Crœſo Lydorum rege. Apologis ſuis ſapientia plenis

plenis notissimus. A Delphiis tandem discerptus fuit An. M. 3400.

3. *Pythagoras* e Samo insula. Ab Ægyptiis & Chaldæis Mathematicas disciplinas doctus est, Philosophiam vero reliquam a Brachmanibus Indorum Philosophis. Ante illum omnes, qui his rebus imbuti erant, dicebantur *Sophi*, id est Sapientes: ipse vero maluit dici *Philosophus* seu amator sapientiæ; dictitans, solum Deum esse sapientem. Arithmeticam, & ex ea Musicam plus omnibus Philosophis coluit atque ornavit. In Italiam tandem venit Tarquinio superbo, vel saltem Servio Tullo Romæ regnante. Discipulis suis quinquennale indixit silentium; atque hoc tempore exacto tum primum integrum iis erat verba facere, ante vero non nisi auscultandum erat. Hinc in proverbium cessit *Pythagoræum silentium*, id est, diuturnum ac pertinax. Ceterum tanta ejus fuit autoritas, ut omnis disputatio, qua forte inter se commissi sunt discipuli, subito sopita fuerit, cum quis asseveravit, Pythagoram ita docuisse; quod illi facere assolebant his verbis: *Ipse dixit.* Dogma ejusdem fuit quoddam atro carbone notandum de *Metempsichosi*, seu transmigratione animarum. Docuit enim, hominum defunctorum animas primum quidem stygem subire, constituto vero tempore inde rursus emergere, atque in alia corpora migrare: has quidem, quæ prius strenue vixissent, in heroas evadere; alias vero in boves, ursos, aliaque animalia abire. Obiit demum Metaponti in Græcia magna.

4. *Anaximander* Milesius. Primus observavit Zodiaci obliquitatem, & motum solis contrarium motui diurno.

5. *Xenophanes* patria Colophonius. In Homerum & Hesiodum scripsit, ridens ea, quæ de diis finxerant.

Ceterum lunam incolis refertam docuit. *An. Mun.* 3424. *ante Chrift.* 536.

6. *Anaxagoras* Clazomenius cuidam fuccenfenti fibi, cur patriæ tam effet negligens, refpondit: ego vero patriæ fum ftudiofiffimus; fed digitum una in cælum intendit, monftrans illic fibi patriam effe.

7. *Socrates* Athenienfis filius fculptoris, Philofophus; cum hactenus Philofophi naturalibus tantum rebus intenderent, quam difciplinam *Phyficam* vocant, ipfe maluit moribus erudiendis animum applicare, quam difciplinam *Ethicam* vocamus. Cauffæ loco addidit: *Quæ fupra nos nihil ad nos.* Ceterum autem affeverabat, *Se nihil fcire.* Gentilium deorum inanitatem in mediis Athenis ridere non dubitavit: cum enim alii jurarent per Jovem, ille maluit jurare per canem, & vocare quemcunque lapidem Jovem. Ut majorem dictis fuis conciliaret vim, affeverabat, genium fibi quendam femper adeffe, a cujus nutu ipfe penderet. Unde pofthæc creditum eft quibusdam, dæmonem Socrati familiarem fuiffe: fed alii etiam e Chriftianis Doctoribus Angelum fuiffe affirmant. Hinc natum eft velut adagium quoddam *de DEO, feu Genio Socratis.* Ejus monita tanta pollebant fimul energia, fimulque gratia, ut in proverbium abierit *Socraticus Lepor.* Uxorem alebat peffimarum mulierum Alpha; Xantippæ nomen erat: Sed hujus ille linguam æquiffimo animo tulit. Rogatus, cur mallet difcipulorum gregem erudire in fchola, quam Reipublicæ munia capeffere, refpondit, fe hoc modo reipublicæ commodis melius confulere, fi multos ad eam adminiftrandam aptos redderet docendo. Adolefcentem fibi oblatum fic affatus eft: Loquere, ut *videam* te; innuere volens, in hominibus non tam vultus effe fpectandos, quam animos: at animum melius ex fermone, quam e fronte leges. Natu vero jam

jam grandior didicit fidibus canere, nihil moratus aliorum sannas: quin ajebat, non in turpibus rebus numerandum esse *discere*, sed *nescire*. Is ipse autor est adagii: *Dimidium facti, qui bene cæpit, habet*. Alias interrogatus, quo pacto posset quis egregiam sibi conciliare famam? respondit, *si talis esse studeas, qualis haberi vis*. Maledictis ac convitiis petitus nunquam indignatus est, sed maximo sibi solatio cedere affirmavit, quod ea, quæ in ipsum dicta erant, vera non essent. Denique Philosophica docendi, arguendique libertate magnatum in se iram concitavit, qui subornatis duobus accusatoribus necem ei decreverunt, populo suffragante. Cumque nonnemo eidem dixisset: Athenienses te morte damnarunt: ipse reddidit: & illos natura; nempe damnavit; intelligens, ipsis etiam judicibus moriendum esse; parumque interesse citius paulo, an serius moriamur. Xantippe quoque viri fatum tandem miserata in questus soluta est, ejulans: Innocens moreris ô vir! Quam ille jussam tacere vicissim interrogavit, num tandem mallet, se nocentem mori? Demum hausta cicuta diem obiit. A cujus morte populum tanta subiit pœnitentia, ut accusatorem alterum in frusta discerpserit, alterum nihilo mitius habiturus, ni fuga sibi consuluisset. Socrati vero statua in foro decreta est. Atque hæc plusculis verbis narrare placuit de Philosopho omnium reliquorum celeberrimo, atque, ni fallor, optimo.

8. *Plato* Atheniensis genus a Codro & Solone ducens. In cunis jacentis atque obdormiscentis labris examen apum insedit. Dictus erat a parentibus Aristocles; Deinceps vero nomen *Platonis* cepit ob *latitudinem* pectoris, totiusque corporis insignem speciem. Socratis primo discipulus fuit; quo extincto, multas regiones lustravit discendi causa, aliasque inter Ægyptum, ubi sacras Hebræorum

literas legiſſe creditur. Eloquentia fuit tanta, ut paſſim dictaretur; *Jovem ſi vellet Græce loqui, non alia niſi Platonis lingua locuturum eſſe.* In Philoſophia Dialecticæ artem invenit, &, quæ dicunt, *Univerſalia.* Fuit in rebus Politicis Princeps. Sed implexa tum temporis Athenienſis Reipublicæ negocia non permittebant virum rotunde, quæ ſentiebat, edicere; ideo ſcripſit pleraque tecte. Cum de Deo, deque animæ immortalitate tam egregie ſentiret, dictus eſt Plato *Divinus.* Ejus ſumma fuit non apud Gentiles tantum, ſed & ſanctos Eccleſiæ Patres, autoritas: & Cicero affirmare non dubitavit, *ſe malle cum Platone errare, quam cum ceteris Philoſophis vera ſentire.* Ceterum ipſe vitam degit coniugalis thori neſciam, Scholam aperuit in *Academia* loco prope Athenas inſalubri. Hujus foribus inſcribi voluit: *Nemo huc ingrediatur Geometriæ expers.* Obiit in convivio eodem, quo natus erat die, cui Ariſtoteles diſcipulus aram poſuit, multi vero alii ſtatuas.

9. *Ariſtoteles* Stagiræ Macedoniæ urbe natus, filius Nicomachi Medici. Corpore exilis, atque, ut ferunt, Gibber: blæſa lingua literam caninam efferre non poterat. Viginti annos Platonis ſcholam frequentans ſummo apud illum in pretio fuit, ita ut tæderet Platonem diſputare, abſente forte Ariſtotele. Ingenii acumine tanto fuit, ut rerum omnium arcana penetraſſe viſus ſit. Nec dubitavit Magiſtri Platonis notare errores atque corrigere. Itaque magnum ſibi nomen peperit, ut a Philippo Macedonum rege Alexandrum filium inſtituendum acciperet: Quem ſane decennio totius orbis imperii reddidit capacem. Athenas reverſus cæpit in *Lyceo* (ſchola erat in ſuburbanis Athenarum) docere: quod cum ambulans ſemper facere conſueviſſet, ejus diſcipuli dicti ſunt *Peripatetici*, velut ambulatores. Eloquentia Platone nihilo inferior extitit. De DEO tamen non ita palam elocutus eſt,

est, deque animæ immortalitate parum feliciter docuit. Præterea vir ille ingenio vafer & callidus, ac reprehendi maxime timens permulta in suis libris ita scripsit, ut in utram vellet partem interpretari ea facile posset; si eorum forte rationem reddere cogeretur. Nihilominus accusatus apud Athenienses, quod de diis minus recte sentiret, in Chalcidem recedere coactus fuit. Sunt qui asserant, eum Alexandro Magno venenum miscuisse, quo periit ille. Hæ res omnes ingentem illi conciliarunt invidiam: ac præcipue antiqui Ecclesiæ Patres, ejus doctrinam tanquam nudæ naturæ nimis innixam & argutam aversati sunt, ipsique summi Ecclesiæ Pastores damnarunt. *Vide Historiæ sacr. l. 2. c. 5. §. 4. Qu. 3.* Ejus certe libri multoties pene omnes interierunt: ac Cæsar Caracalla Alexandri M. admirator Peripateticos, aliunde pauco numero degentes, scholis extorres fecit. Librosque Aristotelis omnes delere decrevit. At nunc Ecclesia Aristotelis doctrinam velut ceteris omnibus meliorem agnoscit; quantum quidem ad naturam spectant. Ajunt alii Aristotelem, cum Euripi Chalcidici seu Euboici caussas scrutando par non esset, in mare sese præcipitem egisse, cum dicto: *Ens entium miserere mei.* Sed multo est veritati conformius, quod tædio potius contabuerit. Certe etiam testamentum ejus legitur, quo idolis poni statuas ac thus adoleri præcepit. Ut adeo mortuus sit quidem suo in lectulo, sed idololatra, nec tantarum rerum cognitio ad salutem & beatitudinem illi profuerit quidquam.

10. *Diogenes* Sinopensis Paphlago, singulari quadam vivendi methodo uti cœpit Athenis, ita ut neminem vereretur, sed palam quævis alias etiam pudenda ageret: dictus propterea *Cynicus* seu *Caninus*, quod canum more impudens videretur. Non tamen omisit virtutibus quibusdam studere, aut virtutum saltem umbris: idque vitæ genus multi deinceps amplexi

plexi sunt *Cynicorum Philosophorum* nomine. Dolio enim pro domo usus est, nec quidquam supellectilis admisit præter poculum ligneum & cochlear. Viso autem mendico, qui laticem e fonte nonnisi vola hauriebat, abjecit etiam poculum velut abundans. Nec cochleare retinuit, cum cerneret puerum offam crusta panis excavata excipere. Sub ipsum aliquando meridiem prætenta lucerna in forum contendit; caussamque sciscitantibus aliis, cæpit clamare: *Homines quæro.* Multis ergo certatim affluentibus indignatus baculo eos abegit, non homines, sed mala bruta illos vocans ob vitæ inertiam ac vitia. Notabat stultitiam luxus, quodque homines magno emerent res ad vitam minime necessarias, necessarias vero vili: ac mirabatur gemmam tribus millibus vænire, libum vero panis nonnisi duobus æreis. Granéum lucus erat prope Corinthum, quo cum Alexander pervenisset, etiam Diogenem ibi cum dolio suo degentem visere constituit: multisque habitis sermonibus jussit illum petere gratiam quamdam regiam: rogavit ergo Diogenes, ut paulum declinaret Alexander, ne solis radios ipsi interciperet. Mirantibus amicis Alexandri patientiam, ille miratus est Diogenis animi libertatem, dicens: *Vellem esse Diogenes, ni essem Alexander.* Quidam mentiuntur, Platonem ita descripsisse (*definiisse*, dicunt Philosophi) hominem, quod sit *animal implume, bipes*: itaque Diogenem Gallum deplumatum in scholam conjecisse cum dicto; *ecce hominem Platonicum.* Interrogatus, cur homines mendicis libenter darent, Philosophis non item? Quoniam, inquit, sperant se citius claudos vel mendicos fore, quam Philosophos. Amicos de ejus sepultura sollicitos jussit, cadaver inhumatum projicere. At, ajebant, feræ te comedent? Non, reposuit ille, sed baculum juxta me ponite, quo illas abigam. Quibus ridentibus, ac quod nihil sensurus esset dicentibus, tandem inquit: si nihil sentio, quæ mihi de cadavere debet esse cura?

11. *Epi-*

11. *Epicurus* Samius. Docuit, *voluptatem summum esse hominis bonum.* Id cum ejus sequaces abuterentur ad omne genus luxuriæ atque deliciarum, vulgo cæpit male audire Epicurus quasi autor hujus vitæ. Verum ille non corporis sed animi se ipso contenti voluptatem putavit exoptandam. Ejus multa egregia dicta factaque laudat Seneca. Idomeneo scripsit: *Si vis Pythoclea divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est.* Alias: *si ad naturam vives, nunquam eris pauper: si ad opinionem, nunquam dives.* Ad Polyænum scribens gloriatur, *se nonnisi dimidio asse pasci*, seu prandere: quod certe luxum non sapit. Quin testatus est, *sapientem, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce est, & ad me nil pertinet.*

12. *Phocion* Atheniensis, nunquam visus ridere, nunquam flere. Manus semper veste tectas pudice custodiebat. Verborum parcus forum aliquando obambulabat meditabundus: sciscitanti, quid ageret, respondit: accurate se expendere, num posset aliquid verborum decerpere ex eo sermone, quem postridie ad Athenienses esset habiturus. Alexandro suasit, si quietem amaret, missione militibus data maneret domi; si vero gloriam, ne in Græcos moveret, tanquam bellandi peritissimos, & gentem tamen modicam ac pauperem; sed in Persas. Quod ille consilium secutus est. Vulgo hominum displicere semper quæsivit potius, quam placere: cumque aliquando peroranti applauderent turbæ, conversus ille ad amicos, quæsivit, num forte sibi excidisset quidpiam mali: putabat enim populo suam orationem non placituram fuisse, nisi imprudens aliquid eidem inesset. Damnatus denique a populo cicutam hausit, cujus pretium carnifici numerari præcepit.

13. Du-

13. Duo denique veniunt Philosophi una nominandi: Alter *Heraclitus* Ephesius, quoties domo egrediebatur, flebat, considerans omnia humana non nisi miserias esse. Alter *Democritus* Abderites risit, res humanas stultitias atque ineptias arbitratus. Ceterum vixit post Xerxem I. Ingentes a patre acceptas divitias Philosophiæ caussa reliquit; & ad extremum oculis etiam sese orbavit ipse, quo liceret quietius contemplari. Is potissimus autor est Physices illius, quæ omnia *Atomis* constare suadet. Addendus est his quidam tertius *Timon* Atheniensis, qui omnes mortales summo odio prosequebatur. Aliquando conscenso suggestu populo denunciavit, sibi ædiculam structuro exscindendam esse in area sua ficum, e qua multi jam civium suspendio periissent; ideoque monere se, ut qui id facere cuperent, mature hac ficu uterentur. Epitaphium tale sibimet posuit: *Hic sum post vitam miseramque, inopemque sepultus. Nomen ne quæras. Dii, lector, te male perdant!*

III. Mathematici, Medici.

1. *Eudoxus* Cnidius a Platone ob paupertatem non admissus, brevissimo spatio tantum alibi profecit, ut Platoni sit oppositus. Primus apud Græcos annum ad lunæ cursum ordinavit.

2. *Euclides* Philosophus Platonicus: scripsit *Elementa* illa, *Euclidis* dicta, Mathematicorum velut sacras literas.

3. *Archimedes* Syracusanus divino vir ingenio. Sphæram struxit vitream, in qua sidera velut in cælo volvebantur. Tres ipsos annos Syracusas contra Romanos oppugnatores suis machinis defendit. Modo enim speculis causticis per mœnia dispositis collectos solis

solis radios in Romanorum classem ac munimenta contorsit, eaque exussit: modo projectis harpagonibus manibusque ferreis totas naves ex æquore extractas supra mœnia sustulit, iterumque deturbatas evertit; aliaque mira fecit. Tandem corona capta est civitas. At licet Marcellus Rom. Dux præcepisset, Archimedem servari sibi incolumen, necatus tamen est errore militis, qui cum Archimedi figuras in sabulo delineanti superveniens eum rogaret de nomine, nec responsum acciperet ab homine rebus suis intento, latus ejus spiculo hausit.

4. *Hippocrates*, e Coo insula tempore belli Peloponnesiaci. Medicorum Princeps.

5. *Menecrates* Philippi Maced. medicus. Cum elatus superbia Jovi se parem faceret, Rex hominem castigaturus jussit eum accenso thure honorari, sed cibo quocunque alio, præter fumum, abstinere.

IV. Historici.

1. *Herodotus* Halicarnassæus. Dictus a Cicerone *Pater Historiarum*.

2. *Thucydides* Atheniensis e Miltiadæ genere. Belli Peloponnesiaci & Dux fuit, & scriptor eximius: cujus libros octies suamet manu descripsit Demosthenes.

3. *Xenophon* Atheniensis Gryllo patre natus; facundissimus, purissimusque historiarum scriptor, Cyri junioris castra secutus militiæ etiam laude præstabat. Scripsit quoque de œconomia librum.

V. Oratores.

1. *Isocrates* Atheniensis Platoni coævus. Philosophus & Orator.

2. *Demosthenes* Atheniensis Isocratis discipulus. A natura ad Oratoriam minime factus erat: cum enim primo ad populum dixit, omnium cachinnis exceptus est. Etenim non solum Literam, R, sed & alias pronunciare nequibat; & arctum trahebat brevemque spiritum. Itaque lapillis intra palatum sumtis literæ caninæ sonum addidicit; & contento cursu altos montes ascendendo non nisi uno spiritus ductu, effecit, ut spiritum prolixiorem traheret deinceps. Dein rasit sibi caput, ut vel invitus cogeretur publico abstinere: & angusto se loco includens assidue peroravit, gestibusque apte formandis studuit, adhibito ad hoc Satyro Comico, qui singula indecora corriperet: quin & speculo posito, in quo seipsum contueretur. Pertinaci hoc studio Græcorum Oratorum omnium Princeps evasit. Cum Philippus Macedo Græciæ libertati imminerer, Demosthenes gravissime in eum invectus est pluribus orationibus. Atque id genus Orationes deinceps nomen *Philippicarum* retinuerunt. Cum assiduo populum in Philippum & Alexandrum reges concitaret, & sinistro tamen eventu semper pugnaretur, condemnatus tandem a populo est. Itaque in templum confugit. Sed cum nec ibi tuto illi esse liceret, venenum hausit, quod calamo semper clausum secum ferebat. Solebat Demosthenes Orationes suas nocturnis lucubrationibus elaborare, alii vero Oratores ex tempore dicebant: hinc Pythias ejus antagonista dicere consuevit, Demosthenis Orationes *Lucernam olere*. Cuidam percunctanti, quid esset in Oratore præcipuum? respondit: *Actio*. Rogante illo, quid esset secundum? dixit: *Actio*. Tertio eodem insistente, tertio *Actionem* dixit.

VI. Poë-

VI. Poëtæ.

1. *Homerus* Græcorum Poëtarum apex. In Lydia natus est: sed de ejus Patria septem urbes inter se certarunt. Summam apud omnes Græcos laudem adeptus est ob scripta Poëmata, *Iliadem* nempe & *Odysseam*, quorum altero bellum Trojanum, altero Ulyssis navigationes cecinit. Cæcum fuisse tradunt nonnulli, sed falso. Alexander ejus Iliadem secum semper circumtulit, ac noctu quoque eidem indormivit. Cumque Achillis tumulum inviseret, felicem illum prædicavit, qui tantum nactus esset gestorum suorum præconem, Homerum nempe.

2. *Hesiodus.* Ascræ in Boeotia natus. Multas de diis eorumque prosapia fabulas commentus est.

3. *Sappho* Poëtria Carminis, quod Sapphicum dicimus, inventrix. Eressi, urbe Lesbi Insulæ nata, Tarquinii Prisci ævo vixit.

4. *Pindarus* Thebanus. In cujus gratiam Spartani Thebis pepercerunt. Et Alexander Thebas evertens Pindari penates jussit esse salvos.

5. *Anacreon* autor carminis anacreontici.

6. *Euripides* Atheniensis Tragicorum celeberrimus. Discerptus est a canibus: ejusque ossa Pellam translata.

7. *Menander* Græcorum Comicorum facile princeps.

VII. Pictores, Sculptores &c.

1. *Phidias* Jovem Olympium sculpsit ex ebore inter orbis mira numeratum. Sed multo celebrior fuit ejusdem Minerva eburnea 26. cubitorum altitudine Athenis sculpta. Fertur promisisse, Atlantem montem se viri specie donaturum, qui

 altera

altera manu urbem sustineret, altera emitteret fluvium.

2. *Zeuxis* Heracleotes tantam pingendo fecit pecuniam, ut ad extremum opera sua donaret, tanquam quæ pretio nullo redimi possent.

3. *Parrhasius* Ephesius Zeuxidem æmulatus est. Aliquando sese provocantes, uterque quidpiam a sese pictum attulerunt. Zeuxis uvas tam affabre & ad vivum exhibuit, ut aves forte prætervolantes rostris eas peterent. Parrhasius non nisi linteum quoddam ostendebat: itaque Zeuxis victoriam spe devorans, & Parrhasio velut insultans, urget, ut remoto velo tandem etiam suum opus produceret; suspicans latere id sub linteo. Verum Parrhasius ostendit, linteum ipsum non esse nisi pictum. Tactus rubore Zeuxis Parrhasio porrexit herbam, tanquam qui hominem, & quidem artificem fefellisset, cum ipse avibus tantum imposuerit.

4. *Timanthes* & ipse Zeuxidis antagonista cum Iphigeniam ad aras mactandam adumbraret, spectantes omnes mœstissimis vultibus pinxit: sed Agamemnoni virginis parenti velum objecit seu peplum, dictitans ejus tristitiam nulla arte posse exprimi.

5. *Apelles* Cous Pictorum omnium summus; a quo solo pingi se passus est Alexander M. Antigonus altero lumine captus pingi volebat accurate, nec tamen vultu vitiato apparere. Id efficere cum nullus pictorum sciret, primus excogitavit Apelles, non totum pingendo vultum, sed naso porrecto tantum dimidium. Id hodie frequens est.

6. *Protogenes* Caunius. *Jalysi* imaginem septennio toto elaboravit. Canis is erat anhelans, cui cum vellet spumam ex ore manantem affingere, multo tempore incassum laboravit, tandem spongiam, qua colores frustratos sæpius absterserat tabulæ impatienter

impin-

impingens, deprehendit ſpongiæ attactu quam optime expreſſam eſſe ſpumæ ſpeciem : quam deinde imitatus feliciter conſummavit opus.

7. *Lyſippus* Sicyonius ſculptor, cui ſoli licebat Alexandrum in gemma effingere.

8. *Praxiteles* e Græcia magna oriundus Pompeji magni tempora attigit, Romana civitate donatus; ſculptoria arte, præſertim in marmore, nemini ſecundus.

CAPUT IV.

Hiſtoria Romana usque ad Auguſtum Imp.

* *Sex periodis abſolvam Res Romanas. 1. Quid ante Romulum acciderit? 2. A Romulo usque ad Reges exactos. 3. Ab his usque ad Bella Punica. 4. Bella Punica usque ad Carthaginis excidium. 5. Ab illo excidio ad Auguſtum Imp. 6. Demum viros Romanorum hoc temporis intervallo laudandos numerabo.*

§. I.

De Rebus Romanis ante Romulum.

Q. I. *Quinam populi Romanas illas plagas incoluerunt?*

1. Fabulæ quidem ferunt, Janum primum a diluvio huc migraſſe, indeque Saturnum; qui cum e regno Cretæ pulſus eſſet a filiis, Jove, Neptuno ac Plutone, *latibulum* in Italiam quæſivit, unde ajunt illam regionem dictam eſſe *Latium*.

2. Verum si in re ancipiti licet aliquid conjecturâ assequi, existimo primos e Sicilia huc delapsos esse *Siculos*; qui ipsi paulo post nescio qua de caussa, dicti sunt *Aborigines*.

3. His supervenere Græci Duce Oenotro filio Lycaonis Arcadiæ regis; unde Regio dicta est *Oenotria*. Visum aliquibus est, Oenotriam græca voce dictam esse a Vini copia: quorum sententiæ non subscribo, cum olim Italia vini pauperrima fuerit.

4. *Italus* quidam, nescio quis, hujus plagæ partem in potestatem redegerat, unde paulatim nomen toti genti hæsit, *Italorum*.

5. *Ausones* vel *Ausonii* gens erat a Latio versus mare Jonicum extensa, quæ cum olim ceteris præpolleret, *Ausoniorum* nomen dedit omni Italiæ.

6. Denique sub tempora Trojani excidii *Latinus* Rex Aboriginum Æneam a Troja huc profectum suscepit cum exulum haud parva manu. Æneas porro ducta Lavinia Latini filia urbem tum a se conditam Lavinium dixit. Latino vero a Turno Rutulorum rege occiso Æneas Latinorum rex est salutatus. Ægre tulerunt hanc advenæ fortunam Etrusci. Igitur Mezentius illorum Rex in Æneam arma expedit. Cum ecce collatis signis subita e cœlo procella aciebus incumbit, quæ Æneam fulminis ictu in flumen Numicum deturbat. Quibus rebus nihil moti Latini credi voluerunt, Æneam isthoc turbine in cœlos raptum esse ac deorum choro adjunctum.

Q. II. *Quæ deinceps fuit sors posterorum Æneæ, usque ad Romulum?*

℞. 1. *Ascanius* alio nomine etiam *Julus & Euryleo*, Æneæ filius, quem Troja incensa cum Anchise patre (humeris exportato) incolumem servarat, is *Albam longam* urbem condidit eo loco, quo Æneas in Italiam

liam appulsus porcam invenit albam triginta porcellos enixam.

2. Sed Lavinia Æneæ quondam uxor posthumum peperit *Sylvium*, qui Ascanio vita functo diademate potitus posteris suis regibus nomen *Sylviorum* reliquit.

3. Ex his postremus erat *Numitor*, quem tamen *Amulius* ejus frater regno exuit; filiamque ejus *Rheam Sylviam* Vestalem fieri coëgit. Donec Romulus ex Rhea natus Amulium interfecerit, regnumque Numitori avo restituerit.

§. II.

De Rebus Romanis a ROMULO usque ad Reges expulsos.

Q. I. *Quid de Romulo memoratu dignum?*

℞. 1. Cum Rhea Sylvia virgo Vestalis fuerit, cui nuptiis omnibus interdictum est, non potuit ex ea nasci Romulus, nisi fœdissimo stupro. Ut vero fucum faceret sceleri, mentita est, Deum Martem parentem esse Gemellorum, quos erat enixa.

2. Hi gemini *Romulus* erant & *Remus*. Quos quidem Amulius jussit Tyberi mergi. Verum Numitore agente clam educati sunt a pastore Faustulo. Alii fingunt, pueros in fiscella undis expositos, casu in litus esse appulsos, atque ibidem a lupa esse lactatos, donec superveniret pastor.

3. Hi primum rapto vivere didicerunt. Demum vero facta sibi prædonum manu *Albam* occuparunt, Amulioque cæso Numitorem regno restituerunt.

4. Obtenta ab illo facultate novam condendi urbem, cœperunt *Romam* moliri illo fere loco, quo in Tiberim fuerant præcipitati. Quanquam veteres Historiographi Romam dudum ante conditam fuisse scriptitent. Ceterum contentione, ut fit, inter fratres orta alter alteri invidebat condendæ urbis honorem. Et Remus muris adhuc tenuibus illudens, eosque saltu superans mactatus est a Romulo joci hujus impatiente. Itaque novo regno litatum est parricidio, novæque urbi suum parricida Romulus nomen imposuit.

5. Deficientibus vero incolis Romulus promulgavit, Romam omnibus advenis asylum fore. Advolavit illico ingens prædonum, exulum, sceleratorumque vis.

6. Ac ne quidquam iniqui novo regno deesset, e Sabinis etiam virgines rapuit, pr donibus illis futuras uxores. Bellum hinc ortum ita compositum est, ut uterque populus in unum coalesceret.

7. Denique Romulus cum asperius uteretur imperio, Senatus a se constituti invidiam sibi conscivit. Hic igitur orto aliquando turbine ac tempestate, occasione illa usus Romulum discerpsit; deinceps vero mentiti sunt, eum non secus atque Æneam a diis raptum esse; eumque postea *Quirinum* Deum dixerunt.

Q. II. *Nunc sequentes reges prode.*

℞. 1. *Numa Pompilius* Sabinus Jani templum condidit. Leges scripsit, ac plurimorum deorum superstitionem & sacrificia sanxit. Regnavit quietus annis 42.

2. *Tullus Hostilius.* Bellum cum Albanis sic sopitum est, ut e Romanis tres *Horatii* fratres, ex Albanis tres *Curiatii* singulari pugna inter sese committerentur. Horatius unus superstes tres tamen Curiatios dolo vicit: ut enim hostem distraheret, simulavit fugam, itaque singulos, imparibus intervallis ipsum insequentes, stra-

ſtravit. Portam ingreſſo Soror obviaverat lugens Curiatii Sponſi ſui necem, quam Horatius adacto ferro e medio ſuſtulit, tanquam quæ publici triumphi lætitiam interciperet. At Tullus Albam nondum victas manus dantem ſolo æquavit.

3. *Ancus Martius.* Oſtiam urbem excitavit.

4. *Tarquinius Priſcus* Corintho oriundus, natus Tarquiniis. Vir bello conſilioque ſummus. Etruſcis domitis Curules ſedes, Faſces, Trabeas, annulos, Prætextam, aliaque regum ac nobilium inſignia atque ornamenta ab iis accepta in Romanos mores tranſtulit. Primus *Triumpho* urbem ingreſſus eſt. Capitolii fundamenta jecit. Cloacas magnifico opere ſumtuque regio ſtruxit, & *Circum.*

5. *Servius Tullus* ex ancilla natus a Tarquinio fuerat adoptatus, ob ſpem de illo conceptam, quod ejus aliquando dormientis tempora innocens quædam flamma ambire viſa ſit. Primus *Cenſum* civium inſtituit. Filiam ſuam Tulliam Tarquinio Superbo Priſci nepoti deſpondit cum ſpe regni. At ille moræ impatiens Servium in Curiam properantem e gradibus præcipitem agi juſſit, atque a Senatu diadema extorſit. Hoc nuncio læta Tullia vehiculo in forum contendit: cumque jumenta Servii cadaver humi ſtratum declinarent, illa obtorta rheda coëgit mulos carpentum ſuper Servii Patris artus raptare. Ex quo ille *vicus ſceleratus* dictus eſt.

6. *Tarquinius* Superbi ſibi nomen faſtu ac immoderato imperio peperit. Filium ſuum Sextum juſſit Gabios pergere Latii civitatem, ac velut transfugam mentiri: utque Gabiis fidem faceret, eum ipſe flagris concidit, ut apud Gabios mentiri poſſet, ſe verberum cauſſa e patris domo ſe proripuiſſe. Cumque Sextus eſſet a Gabiis receptus, ac magno in numero

habitus misit Romam, patrem consulturus, quid jam fieri vellet? Ille nuncium in hortum deduxit, illoque inspectante cæpit summa papaverum capita, quæ ceteris imminebant, scipione suo demetere: hoc facto nulloque alio addito responso nuncium dimisit. Sextus vero Patris consilium mox assecutus principes Gabiorum viros e medio sustulit, quo patrato facile fuit populum in servitutem redigere. Cum nova Capitolii fundamenta jaceret Tarquinius, Calva humani capitis in summo monte effosa est; quo portendi credebatur, Romam ceterarum gentium Caput fore.

Junii patrem occiderat Tarquinius: itaque Junius, ne patris experiri fortunam & ipse cogeretur, finxit se mente captum, unde *Brutus* dictus est, & in domo regis morionem egit. Hunc rex cum duobus filiis Delphos misit cum muneribus, oraculum de successione regni consulturos. Brutus & ipse idolum sibi propitium redditurus copiosum aurum paravit: sed ut suspicioni locus non esset, infudit illud ignobili baculo, quem Apollini dicavit. Respondente dein oraculo: *Ille regnum obtinebit, qui primus vestrum, ô Juvenes, osculum matri tulerit;* rupta omni mora Tarquinii filii domum remeare cæperunt: At Brutus astutior simulato casu pronus in terram effusus est, illique, tanquam mortalium omnium parenti, osculum clam fixit. Ac profecto evenit, ut Tarquiniis pulsis ipse rerum summam Romæ obtineret.

Q. *Sed cur pulsi sunt reges?*

℞. Ob Lucretiæ stuprum. Cum enim in Castris, quibus Ardea Civitas vallabatur, orta esset inter Duces contentio de uxorum probitate, Tarquinius Collatinus *Lucretiæ* suæ primas deferre non dubitavit. Veritatem ergo exploraturi quidam, atque inter hos Sextus regis filius, Romam se conferunt. Ibi, comperta

perta licet mulieris pudicitia, Sextus tamen amore ejus captus vim illi infert. Lucretia coram Senatu de injuria conquesta, cum nemo auderet ejus patrocinium contra regem suscipere, stricto pugione sibimet pectus rimatur. Eo facinore emotus populus regi in castris degenti exilium indixit, ac deinceps pro regibus minorem magistratum pati decrevit, summa potestate sibimet servata.

§. III.
Ab exactis Regibus ad Bella usque Punica.

* *Turbulenta hæc fuit Romanæ rei ætas. Plebis seditiones caussæ fuere sæpe mutandi magistratus: eosque singulos percensere longum foret. Bellis vero per Italiam grassati Romani, illam omnem suæ adjecerunt ditioni usque ad Punicum bellum. Ceterum sequentia hoc §. notes velim.* 1. *Mutationem Regiminis post reges pulsos.* 2. *Bellum Etruscum cum Porsena.* 3. *Bellum Vejentum & Latinum.* 4. *Bellum Gallicum.* 5. *Bellum Samniticum.* 6. *Bellum Tarentinum & cum Pyrrho.*

Q. I. *Quis fuit regiminis modus regia potestate abolita?*

℞. Bini quotannis creabantur Consules. Primi fuere *Junius* ille *Brutus*, cujus ante meminimus, & *Tarquinius Collatinus* Lucretiæ maritus. Brutus vero ambos filios suos, conjurationis cum Tarquinio pulso reos, capite plecti jussit in foro. Collatino quoque collegæ suo Consulare abdicavit imperium, duabus maxime de caussis. 1. Quod pro damnatis Bruti filiis intercessisset. 2. Quod prænomen *Tarquinii* tanquam

Reipublicæ invidiosum gereret. Agrum Marti consecravit, qui *Campus Martius* postea dictus est.

Q. II. *Qua caussa, quaque fortuna gestum est bellum Etruscum?*

℞. Tarquinii civitatem vertere jussi suppetias vocarunt *Porsenam* Clusinorum in Etruria regem. Hic ingenti admoto exercitu urbem premit. Sed *Horatius Cocles* pro capite pontis stans, dimicansque, omnes regis copias tamdiu sustinuit solus, donec pone ipsum dejiceretur pons: quo facto in Tiberim se jecit, itaque armatus ad suos transnavit. Mutius Scævola in hostium castra solus penetravit, ac tentorium regis ingressus, ex ejus purpuratis quendam ferro trajecit, existimans ipsummet esse regem. Expiando huic errori dexteram foco admovet, quousque solutis articulis difflueret: additis in regem minis; *Trecentos nempe primæ nobilitatis parisque animi Romanos juvenes in Porsenam conspirasse.* Quo ille audito, obsidionem solvit, Romamque valere jussit.

Q. III. *Quid bello Vejentum & Latino accidit?*

℞. Totum in Romanos Latium sese armaverat, novam vicinamque potentiam crescere non ferens.

1. Sed cum Vejentibus Martem experiri sola *Fabiorum* gens Romanorum facile nobilissima decrevit. Itaque profecti trecenti sex Fabii secundis aliquot præliis potiti demum ex insidiis necati sunt; Uno solum, qui impubes domi hæserat, superstite. Inde decennio ipso obsessa est Vejorum civitas, ac tum primum cuniculi sub muros acti sunt. An. M. 3556. ante Chr. 404.

2. Antium erat maritima civitas: hæc cum sex navibus (is numerus illo ævo classem faciebat Italis) in Romanos movens, iisdem exuta est. *Rostra* navium in foro

foro Romano fixa sunt, iisque impositi suggestus, pro quibus Consules & oratores dicere mos erat.

3. L. Quinctius Cincinnatus Dictator contra Volscos & Æquos Latinos populos creatus a stiva ad castra perrexit. Eo bello celerrime perfunctus, ut quiddam rusticum in ipsa acie imitaretur, hostes victos captosque jussit ignominiæ caussa jugum boum subterrepere. Unde *sub jugum mittendi* & vox & mos nati sunt.

Q. IV. *Bellum Gallicum exequere.*

℟. 1. Calli Senones Brenno duce in Etruriam effusi primo Fabium Consulem cum exercitu fuderunt ad Alliam fluvium.

2. Romam ipsam subeuntes, Senatores ibi in trabeis, curulibusque sellis positos conspiciunt. Ac primum quidem fefellit eos species senum cultusque, ut penatos deos esse crederent: sed errore intellecto ad unum omnes neci dedunt.

3. Manlius cum exigua juventutis manu Capitolium arcem tenebat. Barbarique jam Tarpejam rupem nocte conscenderant, cum anserum strepitu proditi sunt, Manliusque cum suis somno liberatus. Inde honos publicus anseribus habitus Romæ; cum eorum unus lectica quotannis circumferretur, cane interim variis injuriis mactato.

4. Denique Galli solutionem obsidii auro pepigere. Sed en! cum jam libræ appenderetur æs, & Brennus ensem suum bilanci adjiceret, tanti ponderis aurum insuper exigens, præter omnium spem *Camillus* adest suppetias ferens urbi, maximaque clade delet Gallos. Hinc eidem secundus post Romulum honor habitus est.

Q. V. *Bellum Samniticum qualenam fuit?*

℞. Sexies instauratum intra annos 50. & viginti quatuor de Samnitibus acti sunt triumphi. Ingenti tamen probro cessit Romanis clades illa ad Furcas Caudinas accepta. Pontius enim Samnitium Dux utrumque Consulem Veturium, & Posthumium in illo saltu tenebat circumventum. Ac licet Herennius pater ab eo consultus prudenter suasisset, ut Romanos omnes aut dimitteret aut occideret, Pontius tamen gloriæ avidior maluit omnes exutos armis sub jugum mittere. Qua ignominia excitati Quirites non ante posuerunt arma, quam Samniticum nomen omne deletum esset.

Q. VI. *Superest bellum Tarentinum & Pyrrhi.*

℞. 1. Caussa armorum hæc fuit. Tarentini errore ducti classem Romanam eorum litora legentem nonnihil violaverant, credentes hostium eam esse. Advolant illico Roma Legati, querelis forum miscent: Sed cum Posthumius imperitius Græce loqueretur, ob id vitii risu exceptus est a turba. Grandem hanc, ut putabant contumeliam ferro ultum ibant Romani: Legatis suis interdicentes, ne alia quam Latina lingua deinceps uterentur.

2. Tarentini in fœdus invitarunt *Pyrrhum* Epiri regem genus paternum ab Achille, maternum ab Hercule ducentem. Is aliunde totius orbis Imperium meditatus, oraculum tamen de belli eventu consulit: a quo id responsi tulit: *Ajo te Æacida Romanos vincere posse;* dæmone ambigua hac sententia ignorantiam suam occultante.

3. Itaque ingenti apparatu in Italiam transmisit, primoque prælio Romanos internecione delevit ad Sirim Campaniæ flu. & Heracleam urbem: quos etiam castris

stris exuit. Caussa cladis fuere elephanti & falcati currus, monstra Romanis ignota. Cumque Pyrrhus campum lustrans animadverteret Romanos omnes adversis vulneribus cecidisse, & neque tum arma dimisisse, cum occumberent, ait: Ego talibus viris brevi orbem terrarum subigere potuissem.

4. Jamque ad vicesimum ab urbe lapidem castra posuerat rex, cum iteratis cladibus fractus in Siciliam primum se recipere, mox etiam domum repetere coactus est. Ibi dum in Argos impressionem facit ictu tegulæ a muliere saucius vivere simul & militare desiit, tota jam pene Græcia & Macedonia subacta.

§. IV.

De tribus Bellis Punicis.

Q. I. *Dic ortum finemque primi belli.*

℞. 1. Prioribus bellis per annos 500. tractis populus Romanus universam Italiam subegit. Tum eos incessit cupido latius victricia arma circumferendi. Sicilia præcipue in votis erat Romanis. Sed eam tenuere Pœni seu Carthaginenses potentissimus tum temporis Populus, Africæ, Hispaniæque ac maris Dominus. Itaque Romani occasionem invadendæ Siciliæ manu sibi fecerunt. Messaniis enim seu Mamertinis Siculis de Pœnorum jugo querentibus faciles accommodarunt aures, atque comparata, sexaginta non amplius dierum spatio, classe navium centum & sexaginta, alto se commiserunt, specie quidem juvandi socios, re autem vera sollicitante præda.

2. Victo pluribus præliis Hierone Siciliæ rege Pœnorum fœderato, Pœnisque e Sicilia pulsis, in ipsam Africam translatum est bellum. M. Attilius Re-

Regulus Consul terra marique ipsam Carthaginem obsidione urgebat. Sed Xantippus Laconum Dux militiæ accerrimus res Punicas restituit, cæsisque Romanorum 30000. ipse Consul cum 15000. vivus in hostium potestatem venit. Eum Carthaginenses quinto post anno Romam miserunt, suasurum populo pacem, & captivorum utrinque commutationem, accepto prius jurejurando, rediturum se Carthaginem. Is Romam delatus utrumque dissuasit. Dein religione jurisjurandi actus reversus est ad Pœnos; nihil motus lacrimis uxoris & filiorum. Illum Pœni recisis palpebris inclusum dolio, clavis introrsum fixis horrido, vigiliis (cum connivere non posset) enecuere.

3. Denique ad Ægates insulas disjecta iterum Punica classe pax composita est anno 23. belli.

Q. II. *Alterum cum Pœnis bellum describe.*

℞. 1. Hannibal erat primo apud Carthaginenses loco natus, quem pater Hamilcar ante diem suum supremum aris admovit adhuc puerum, jurisque jurandi religione illum devinxit, ut Romanorum hostis perpetuus esset. Hic itaque Saguntum civitatem obsidione clausit, quæ sola ex Hispanicis Pœnorum jugum hactenus effugerat. Saguntini implorant Romam. Romani occasione læti Carthaginem legatos mittunt & ad Hannibalem, jubentes, desisteret urbem Romani populi sociam injuria afficere. Negant Carthaginenses, Saguntum unquam fuisse Romanis fœderatum; Hannibal vero, Sagunto deleta, ingenti cum exercitu in Italiam movet, alpibus summo labore superatis.

2. Mox quadruplici clade Romanorum res afflixit. 1. Prope Ticinum P. C. Scipionem. 2. Apud Trebiam amnem Sempronium Grachum. 3. Ad lacum Thrasimenum Flaminium Consulem. 4. Sub oppidum Cannas in Apulia, totius Romanæ juventutis ac nobilitatis florem

florem delevit. Ex qua pugna tres annulorum aureorum modios Carthaginem misit, victoriæ testes.

3. Perierat Roma, si Hannibal persecutus victoriam suam urbi admovisset exercitum, sed ille delatus in Campaniam loci deliciis captus cæpit otio biennium integrum terere.

4. Hannibali quidem post Thrasimeni cladem mens erat Romam petere. Sed Fabius Maximus antiquæ vir prudentiæ Romani exercitus imperator traxit bellum, omnemque confligendi occasionem declinavit. Ita cunctando Romanis locum fecit resumendi cum viribus animos: Dictus ipse *Cunctator*.

5. Interea temporis Asdrubal Hannibalis frater a duobus Scipionibus profligatur ad Metaurum Fluv. M. Claud. Marcellus Nolæ in Campania Hannibalem pellit ex acie: ac post in Siciliam trajiciens, triennali licet obsidio, Syracusas cepit, Archimedis ingenio tamdiu defensas.

6. Hoc spatio annorum Hannibal phalangem ad quartum usque ab Urbe lapidem produxit. Equitatum ipsas etiam portas tentare jussit. Verum subito immanique nimbo ab ulteriore vi prohibitus viam relegit. Ac, mirum dictu! tantum populo Romano animi supererat, ut agri, quos Hannibalis castra occupaverant, jam ante venales civem Romæ emtorem eo ipso die invenerint, quo obsidebantur. *Hannibal ad portas* proverbium est, quod de præsenti periculo dicimus.

7. Publius Cornelius Scipio (qui vulgo Scipio Africanus major sive senior audit) in Hispaniam missus fuerat, ut eam recuperaret, amissam cum duobus illis Scipionibus a Pœnorum exercitu cæsis. Rebus ergo in Hispania compositis, Scipio Consulari auctus trabea in Africam transmittit, ipsumque Carthaginis jugulum petit. Mox tota belli alea in diversum cecidit,

dit, Afri enim cum Syphace Numidiæ rege secundo prælio victi a Scipione, Hannibali in mandatis dedere, Italia valere jussa domesticæ incolumitatis curam ageret.

8. Interim dum Hannibal abitum flens parat, Carthago pacem cum Scipione composuit. Illo vero in Africam appulso accessere Pœnis animi, ut neglecto fœdere præciperent, Hannibalem acie experiri. Sed ille Marte inferior Carthaginensibus necessitatem imposuit iniquas a Romanis conditiones accipiendi. Nempe ut pensis fere decem millibus talentorum, classeque omni, præter paucas naves, dimissa, nihil in Romani populi socios se ausuros promitterent.

* *Hic fuit famosissimi Belli Punici secundi eventus, Sed ejusdem appendices fuere bellum in Macedonas susceptum, & in Syros. Hannibal enim utrumque regem Philippum II. Macedoniæ, & Antiochum III. Syriæ sollicitaverat. Quibus de rebus repete, quæ supra de Græcæ Monarchiæ reliquiis dicta sunt* Cap. 3. §. 3. Hannibal denique omnibus frustra in Romanos tentatis ad Prusiam Bithyniæ regem se recepit. Inde repetitus ad deditionem a Romanis, ne id fieret, prævenit, hausto toxico, quod præsentissimum sub annuli gemma gestare solitaverat. Libyssæ Bithyniæ urbe tumulo mandatus est cum Epitaphio: *Hannibal hic situs est.*

Q. III. *Tandem extremos Pœnorum conatus edissere, seu tertium bellum.*

℞. 1. Arma in Masinissam Numidiæ regem, populo Romano amicitiæ fœdere junctum expedierant Carthaginenses. Id supremum illis exitium peperit. Nam Consules cum exercitu profecti in Africam classem eorum portu eductam spectante tota civitate Vulcano dederunt.

2. Deliberatum dein Romæ est, essetne Carthago busto sepelienda? Publ. Cornel. Scipio

pio (Nepos erat Scipionis illius majoris, dictus ipse Africanus junior) suasit servari inimicam urbem, cujus a metu in officio & armis continerentur Romani, qui, si metu solutis degere liceret, ocio, deliciisque se dedituri essent, ceterisque, quæ hinc nascuntur, malis. At Cato ille Censorius sumto secum in curiam malo punico, quæsivit e Patribus: videreturne illud esse recens? Affirmantibus, ait ille: at heri primum e pomario Carthaginis lectum est. Quo verbo docere voluit, periculosam esse incolumitatem urbis inimicæ vicinæ adeo, ut ab ea unius diei itinere tendi Romam possit. Pluribusque in eandem sententiam additis effecit, ut Carthagini excidium decerneretur.

3. Mancinus itaque consul id urbi nuncium fert. Cujus atrocitate acti in rabiem Pœni, ultima tentare certi novam classem instruunt. Tantusque fuit populi furor, ut matronæ rescissos cervicibus crines in usum funium contulerint. Tectorum trabes detractæ domibus, navium servierunt structuræ. Quin deficiente ferro aurum argentumque in eosdem usus conflatum est. Cumque Romanus portum obstruxisset, illi ex aversa urbis parte novum foderunt.

4. Ad extremum Scipionis adventu, desperatis rebus Byrsæ arci, totique urbi ignem submisere incolæ, seque cum omnibus corrumpere maluerunt, quam potestati Romanorum permittere. Amplissimæ urbis incendium vix septimo decimo die sopivit Romanus exercitus.

* *Atque hæc fuere ultima Carthaginis fata. Cujus casum duabus maxime caussis Hannibal peperit. 1. Quod post trinam Romanorum cladem Urbem Romam non obruerit. 2. Quod Asdrubalem fratrem suppetias evocaverit ex Hispania per juga Pyrenæa, cum ipse interim in extremo Italiæ ac maritimo angulo delitesceret:*

ut adeo facile cæsus sit in itinere succenturiatus ille 80000. exercitus: Qui si cum Hannibalis copiis potuisset conjungi, funus, credo, Roma fuisset. Sed ita nempe regnorum momenta librat rerum arbiter Deus.

§. V.

Ab Excidio Carthaginis ad Augustum Imper.

* *Eversa Carthagine accidit Romanis, quod Scipio ominatus fuerat, luxus nempe civium & magnatum, & ex luxu ambitus, ex ambitu intestina dissidia. Hoc demum modo Libera Respublica labem passa est, & ad unius tyrannidem rerum summa devoluta.*

Ceterum pluscula sunt per hanc Romanarum rerum periodum notanda. 1. *Bella cum exteris.* 2. *Variæ inter Cives ac Senatum simultates.* 3. *Triumviratus Marii, Cinnæ & Syllæ.* 4. *Conjuratio Catilinæ.* 5. *Triumviratus Crassi, Pompeji & Cæsaris.* 6. *Bellum Civile inter Cæsarem, & Pompejum.*

Q. I. *Paucis expedi, quid negocii Romanis intercesserit cum exteris?*

℞. 1. *Corinthus* erat omnium Græciæ civitatum facile opulentissima. Hujus vir princeps Critolaus verbis iniquioribus exceperat Romanorum Legatos. Verum Romani injuriarum (deleta præsertim Carthagine) quam minime patientes, non aliam civitati multam dixerunt, quam excidium. Itaque Peloponnesi decus Corinthus solo æquata est. Quantum auri argentique hic latuerit, inde conjicias licet, quod ex ejus incendio *æs Corinthium* natum sit, in quod flammarum

marum vis aurum, argentum, reliquumque vilioris notæ metallum coëgit.

2. *Numantia* oppidum colli imminens fine turribus fine muris quatuor tantum millium præsidio tecta Romanos quadraginta millium exercitus ita fatigavit, ut funestis etiam cladibus afficeret, idque quatuordecim ipsis annis. Nec vinci poterat, nisi Duce Scipione. Hinc conversi in desperationem, ne in hostium venirent potestatem, sese, quotquot erant residui, una cum civitate cremarunt.

3. *Attalus Pergami* in Asia rex populum Romanum regni sui hæredem testamento scripserat. Id inique ferens Aristonicus Attali ex fratre nepos majorum suorum ditiones sibi assertum ibat. Verum oppressus a Perpenna, eliso jugulo in vinculis periit.

4. *Allobroges* Galli Transalpini, quos ætas nostra Sabaudos vocat, Elephantorum terrore atque ope subacti sunt ipso rege Bituito in triumphum ducto.

5. *Cimbri, Teutonesque* Germaniæ populi litus superante oceano sedibus suis cedere coacti, alias sibi quærunt in Gallia. Hinc junctis sibi in spem prædæ Tigurinis & Ambronibus Italiam petunt, nihil veriti Romanorum famam. Quin missis Romam legatis terras sibi amice deposcunt, manuum suarum, armorumque officia vicissim spondentes. Passi repulsam ad arma convertuntur, nunc Silanum, nunc Manilium, nunc Cæpionem consules internecione delent. Hinc Romam tendentes metu omnia concutiunt majore ac ipse Hannibal. Oppositus his C. Marius nec ipse tanto hosti superando fuisset. Sed Barbari inconsulto copias suas diviserant, ut facilius vincerentur. Athesim fluvium primo scutis suorumque vastitate mem-

brorum inhibuerunt, mox jactis arborum saxorumque molibus velut ponte commissum transilierunt: levi negocio Romam direpturi videbantur: nisi Veneta tellus ac deliciæ eos tenuissent. Itaque duplici prælio eorum bis centena millia ceciderunt.

6. *Jugurtha* avo Masinissa natus cum regnum Numidiæ præter Senatus Populique Romani sententiam sibi vindicare allaboraret, a C. Mario captus, triumpho ductus, & in carceribus demum est suffocatus. Is Romanorum Ducum avaritia probe cognita, dicere amabat, *Romam venalem fore, si modo inveniret emptorem.*

7. *Mithridatico* bello omnis Pontica ora, Armenia, Syria, aliaque quam multa Romanorum accessere ditioni, Pompeji Magni potissimum felicitate. Sed tamen quadragesimum in annum Mithridates gravis Romanorum armis incubuit; præsertim altera vice, cum Nicomedes Bithyniæ rex ditiones suas Pop. Romano legasset. *Vide supra, Cap.* 3. §. 3. *Q.* 4. *n.* 2.

8. *Helvetii* agrorum suorum tædio affecti, incensa patria sua ad unum omnes conabantur ad Santones Gallos commigrare, sumtis secum Boiis, qui jam tum superato Rheno Noricum incolebant. Ac primo quidem per Allobroges Romanam provinciam iter adornantes prohibiti sunt a J. Cæsare. Hinc converso itinere per Sequanos atque Æduos, utrisque annuentibus, pergunt. Commodum id accidit Romanæ cupiditati, ac Cæsaris præsertim. Utut enim nec Sequani, nec Ædui, nec Santones Romanorum imperio essent obnoxii, sed suo jure viverent omnes; Cæsar tamen occasione usus Helvetos, & cum his totam deinceps *Galliam* edomuit, in exterum hostem, (Romanos nempe) qui sine caussa eorum fines ingressus fuerat, meritissimo commotam. Sed cessit denique Gallorum fortitudo

simul

simul & caussæ justitia Cæsaris cupidini, calliditati atque fortunæ. In Britanniam quidem etiam, Germaniamque impetum fecerat: sed nulla re memorabili edita viam in Galliam relegit. Decennio tractum est id bellum.

* *De Ægypto, ceterisque Græcæ monarchiæ ruderibus olim jam verba fecimus Cap. 3. §. 3.*

Q. II. *Quæ hoc ævo fuere Urbis discordiæ?*

℞. 1. Cum Senatorii Ordinis viri divitiis, populi sanguine comparatis passim abuterentur, Tribuni, plebis studiosissimus & velut Tutelaris magistratus, leges certas rogarunt, quibus cupiditati detractum volebant. Hos inter Tiberius Gracchus, genere, forma, eloquentia facile princeps, *Legem agrariam* tulit, qua Senatui nonnisi certus agri modus concedendus, cetera in plebem dividenda erant. Dividundis igitur agris præfectus a populo Gracchus, cum etiam diutius sibi prorogari imperium vellet, regiam potestatem meditari visus est, eamque ob caussam a Scipione Nasica in Capitolio, quo se receperat, occisus.

2. Cajus Gracchus Tiberii frater *Legem frumentariam* ediderat, qua plebi ex ærario pendi annona debebat. Id cum Senatui esset invisum, promisit, eum, qui Gracchi caput attulisset, tanti ponderis auro donatum iri. Nec mora, servus occisi per tumultum Gracchi caput, infuso etiam loco cerebri plumbo gravius redditum, Senatui exhibet.

3. Livius Drusus Tribunus plebis cum illas leges agrariam & frumentariam, tum maxime *Legem Civitatis* integram volebat & observandam. Hæc Etruscis, Latinis, Sabinisque Romanæ Civitatis jus concedebat,

debat, ita ut & hi possent in Senatum & ad magistratus ceteros legi. Verum ille rei perficiendæ impar extinctus in foro est, & a Senatu populoque *bellum* in Etruscos &c. susceptum, quod *Sociale* dixere, in omnem late Italiam serpens.

4. Adde his *Bellum servile*, quod servi sive mancipia facessere Romanis ausi sunt in Sicilia autore *Eunio* Syro; in Italia *Spartaco* gladiatore. Sed utrinque rapti ad supplicium pœnas dederunt temeritatis.

Q. III. *Quid ais de Triumviris, Sylla, Mario, Cinna?*

℟. Hi supremi honoris cupidiores quam par erat, malebant Rempublicam suo, quam Senatus populique nomine temperare. Sed alter alterum non ferens distractum in suas quisque partes populum civilibus armis colliserunt. 1. Primum Sylla urbem vi ingressus Capitolium cepit, Marium fuga sibi consulere coëgit. 2. Per absentiam vero Sullæ Cinna res novas molitus, jussus quidem solum vertere, paulo tamen post rediit adducto secum ex Africa Mario. Indignis modis habita tum Roma, Consulum capita pro rostris in foro suffixa, ipsaque delubra violata sunt. 3. His superveniens redux ex Asia Sulla pejora etiam sibi audendum ratus, Marianis copiis deletis, cædibus grassari in ipsa urbe non erat desiturus, nisi Furfidius monuisset Tyrannum, *vivere aliquos debere, ut essent, quibus imperarent*. Hinc desitum est in compitis; cæptum vero sæviri in Curiam, sed velut per ocium: nam duo millia e flore ipso Senatus & Equestris ordinis in tabula descripti extremis suppliciis affecti sunt.

4. *At Sertorius* vir summus illa ferali descriptus in tabula, non expectato carnifice in Hispaniam se recepit;

pit; Hanc armavit in Sullam & Mithridatem etiam classe juvit. Eum in ordinem cogere jussi Duces ipseque Cn. Pompejus adhuc juvenis difficilem ancipitemque Martem diu experti sunt; donec domesticorum insidiis circumventus est Sertorius.

Q. IV. *Quænam fuit illa Catilinæ conjuratio?*

℞. Illam hoc loco tantum nominasse sufficiat. Rei ordinem in Ciceronis vita leges postea §. 6.

Q. V. *Quid patrarunt Triumviri Crassus, Pompejus & Cæsar?*

℞. 1. Carthagine deleta, Scipionibusque defunctis, Asia in provinciam redacta, exulare Roma cæpit armorum usus, Ducum Optimatumque continentia & fides: regnare vero Asiaticæ deliciæ, hincque subnata cupiditas, ambitio, & intestini motus. Hæ caussæ sunt pessumdatæ Rom. Reipublicæ; quæ tum maxime rimas agere cæpit, cum isti Triumviri existerent.

2. Crassus opibus præstabat; Pompejus autoritate; Cæsar consilio. Cæsari de comparanda sibi dignitate agendum erat, Crasso de augenda, Pompejo de retinenda. Singulis animus erat rerum summam obtinendi. Tandem vero in hanc sententiam condixere, ut res Romanas æquâ lance inter se dividerent.

3. Crasso obtigit Asia, qui amplissima non contentus Provincia in Parthos movet fœderum sacra jura incassum obtestantes. Superato ergo Euphrate Carras cum exercitu appulsus deletus est a barbaris, ejus etiam abscissæ cervici liquens aurum infundentibus cum

dicto: sat tandem voraret auri, cujus tanta semper cupidine flagrasset.

4. Cæsari Gallia cedebatur cum Consulatu, Pompejo Hispania atque Italia. Verum Crasso extincto metuens Cæsar ne etiam Asia rediret ad Pompejum, omnia egit apud Senatum, ut Pompejus exercitibus suis dare missionem juberetur, ratus sibi perire quidquid alteri accederet. At Pompejus animadversa Cæsaris invidia, sed id facturum negavit, nisi & Cæsar e Gallia Provincia, quam ultra tempus legibus præfinitum jam tenebat, discessum faceret.

5. Verum Cæsar telis respondere quam verbis maluit. Traductis enim in Italiam copiis insperato adventu Romam perculit. Nec mora, correptus metu Senatus omnis cum Pompejo deserta Italia Græciam petit. Finis bello datus erat, si Pompejum Brundisii obsessum cepisset Cæsar: sed is Beneficio noctis laceraque cympa elapsus est.

6. Hinc Romam properans Julius seipsum Consulem pronunciat, direptoque ærario Siciliam, Sardiniam & Hispaniam subigit. Tum Pompeji terga premens Epirum petit. Fama est ipsum, cum classis ex Italia moras necteret, ad eandem arcessendam levi scapha perrexisse solum: cumque remex e portu solvere horreret, media nempe hyeme, nocte insuper concubia, dixisse: *Quid times? Cæsarem vehis.* Tantam de sua fortuna temeritatem conceperat.

7. Primo prælio superatus a Pompejo in Thessaliam recessit. Collata denique in Pharsalicis Thessaliæ campis signa, & Germanorum sub Cæsare facientium virtute rupti sunt Pompejani equitatus ordines, in quo ille plurimum præsidii posuerat. Cæsar manipulos obequitans his potissimum vocibus suos hortabatur: *Miles*

Miles faciem feri! Dein: *Parce civibus.* Pompejus verò castris omnibusque copiis multatus in Ægyptum fugam adornat, intraque Nili ostium stans in navicula, petensque a rege suscipi, ejusdem regis jussu ferro Septimii (is a Pompejo ad regem ante defecerat) cadit, spectantibus uxore & liberis. Truncus Nilo mersus ab Servio Codro Pompeji liberto exceptus humatusque est in arena litoris imposito lapide & Epitaphio: *Heic situs est Magnus Pompejus.* Caput recisum Achilla Pompeji satelles Cæsari cum ejus annulo obtulit: quo conspecto a lacrimis sibi temperare non valens, pretiosis odoribus cremandum curavit.

8. Reliquum erat Cæsari, ut & illis jugum imponeret, qui a Pompeji partibus steterant. *Primo* Ægyptum: quod dum facit, Alexandriam difficillima obsidione tentat. Fugatus aliquando ab oppidanis in navigium se recipere cogitur, illoque ipso ruinam minitante etiam in salo natare. Sunt qui narrent, eum altera manu natasse, altera Librum, quem de suis expeditionibus scripserat, supra undas sublatum servasse. *Secundo* Pharnacen Mithridatis filium aggressus in Asia sine negocio obtrivit, qua de victoria scripsit: *Veni, vidi, vici.* *Tertio* in Africa Scipionem & Jubam regem profligavit commisso prope *Thapsum* prælio. At Cato junior Uticam, Africæ tum caput, præsidio tenebat. Cumque accepisset, Cæsarem vicisse, lecto prius Platonis libro de immortalitate violentas sibimet manus intulit. Accurrere medici, quos ille vulnus obligare passus est: sed iis sese recipientibus manu distrahit saucium pectus, sparsis etiam per pavimentum visceribus. *Quarto*, in Hispania Pompeji filios Cnejum & Sextum prope *Mundam* oppidum sternit. Nulla fuit tam anceps belli alea. Cæsar ipse nutantibus suis consciscere sibi necem parabat: cum hostiles aliquot cohortes in transversum tendunt præ-

sidio suis futuræ: id Cæsar fugam esse interpretatus animos suis addidit, acieque potitus est.

Q. VI. *Quæ sunt reliqua Cæsaris fata?*

℞. 1. Cæsar ingenii acerrimus (Eundem enim ajunt legere, scribere, advenienti nuncio aures accommodare, tribusque aut quatuor scribis dictare literas eodem tempore ac de summi momenti negociis solitum fuisse) consilio promptissimus, dexteritate summa, felicitate perpetua prudentissime administravit Rempublicam. Alia inter cum animadverteret (ut erat scientiarum omnium gnarus) Calendarium a solis cursu desciscere in eam redegit formam, qua usque ad Gregorium XIII. PP. usi sumus.

2. At cum honores a Senatu sibi decretos, nihili penderet, tanquam qui suo jure, non Senatus vellet imperare, & alias impotentius abuteretur potestate, omnium sibi, ac præcipue nobilium comparavit invidiam. Itaque D. Brutus & C. Cassius in eum conspirarunt cum aliis, ac venientem in curiam ante ipsam Pompeji statuam viginti tribus vulneribus confecerunt. Cæsari pene pectus rumpebatur, cum in parricidarum numero videret Brutum, illum quem maximo semper amore complexus fuerat; aliud tamen effatus non est, quam ut obvoluto capite diceret: *Et tu fili mi Brute!* In curiam eo die tendenti nonnemo porrexerat schedam, qua omnes in eum conjurati descripti erant: Sed urgente horam fato eandem non aspexit. De hoc dicere solebant prudentes, *Illum aut nasci non debuisse, aut non mori.*

§. VI.
Inſignes Romanorum Viri.

Prima Claſſis Fortium.

1. *Marcus Curtius.* Romæ medio foro rupta tellus dehiſcebat, fœtidamque ſpirans mephitim multis exitium afferebat. Conſultum ea de re occultum effatum eſt; Scrobem clauſum iri, ſi, quod optimum haberent Romani, immiſiſſent. Certatim annulos viri, feminæ mundum muliebrem advehunt. Incaſſum. Jamque annum totum tenuerat malum: cum juvenis animi acerrimus quid ſibi ea de re videretur ad Senatum refert: Fortes nempe viros animam eſſe Reipublicæ, ac tale quidquam ab orco peti. Moxque Caballum phaleris ſternit, ipſeque militarem pompam indutus ſubjectis equo calcaribus in orcum ſeſe præcipitem vivus agit. Felix ſi Numinis id juſſu, non dæmonis fuiſſet auſus!

2. Publius Cornelius *Scipio* Africanus major, is, qui ſecundum bellum Punicum confecit. Cum poſt cladem Cannenſem præcipuæ nobilitatis juventus Italiam deſereret, ſua eos tam autoritate quam eloquentia retinuit, Juvenis ipſe. Tandem omni bello feliciſſime perfunctus, ab ingratiſſimis Tribunis plebis repetundarum accuſatus librum rationum ſpectante populo ſcidit: *Hac die,* inquiens, *Carthaginem vici: Bonum factum: In Capitolium eamus.* Moxque Urbi terga vertens exul vitam clauſit; petiitque moriens ab uxore, ne oſſa ſua Romam referrentur.

3. Publ. *Scipio* Æmilianus Pauli Æmilii Macedonici filius a Scipione Africano majore in filii locum adoptatus, ad delendas urbes natus videbatur. Carthaginem ſolo

solo æquavit, nec ante exuri potuit Numantia, quam ipse eam oppugnasset. Ob res gestas nonnihil attollens supercilium, caussamque legis agrariæ defendendam suscipiens in lectulo suo suffocatus interiit.

* *Nec opus est plures in chorum ducere Heroes, cum haut spernendus illorum numerus proximis paginis sit descriptus.*

II. Classis Doctorum.

* *Populus Romanus e Pastoribus, mox latronibus, denique e militibus natus, ac propagatus, nullos voluit civitate donare doctos, antequam cum exteris, ac Græcis maxime, rem habere cæpit. Sed tum accidit, ut cum Græci in Romanorum leges & arma jurarent, Romani vicissim Græcorum sententias ac disciplinas utraque ulna exciperent. Ipsaque, ut ne Cicero quidem dissimulat, victa Græcia mores suos imposuit victoribus.*

1. Lucius *Livius* Andronicus primus Romæ fabulam seu scenam exhibuit, Populumque rebus, contra Pœnos prospere gestis, ovantem recreavit, anno uno ante pacem cum Pœnis junctam, primo bello Punico.

2. Anno post natus est Rudiis Calabriæ oppido *Ennius*. Virgilius Maro deprehensus lectitare Ennium, quidque ageret quæsitus, respondit, *se e luto Ennii aurum legere.* Podagra extinctus est, quam sibi nimio vini potu contraxit.

3. M. Accius cognomine *Plautus*, gente Umber, patria Sarsinas: Poëta Comicus. Interdiu molendinis versandis operam dedit, quo haberet, unde viveret: noctu fabulas lucubravit.

4. Te-

4. *Terentius* Carthaginensis servus Romæ libertate donatus elegans ac præstans Comœdus. Athenas visurus naufragio interiit.

5. *Pacuvius* Brundusinus, Ennii ex sorore nepos. Pictor simul & poëta Tragicus, non optimæ notæ.

6. *Accius*, Tragicus, quem dicere solent *Scriptorem ferreum*.

7. *Lucretius* de rerum natura scripsit docto facilique versu. Sese ipse ferro sustulit, cum philtrum, aut venenum ei ab uxore esset propinatum.

8. *Catullus* Veronensis tum mordax, tum lascivus poëta.

9. Principem sibi locum postulat *Marcus Tullius Cicero* phœnix Oratorum non minus & Philosophorum Latinorum. Equestri genere, quod a regibus quidam deducunt, natus Arpini in Campania, *Marco* patre, matre *Helvia*: fratres habuit *Quinctum* & *Lucium* Cicerones: Uxorem *Terentiam*: filium *Marcum* a patris ingenio longe abludentem, potatoremque celebrem: filiam *Tulliam*: Servum deinde libertum *Tironem* summæ eruditionis, patrono suo haut multum inferiorem. *Ciceronis* cognomen adeptus est a majorum suorum quopiam, qui verrucam Ciceris in modum naso eminentem habuisse dicitur. Puer ipse tantum ab ingenii alacritate commendatus est, tantoque in pretio habitus, ut illum a schola redeuntem receptum in medium corona coætaneorum domum honoris caussa deduxerit. Juvenis Marti nomen dedit. Mox turbas exosus Philosophiæ, Juri, eloquentiæ animum advertit. Roscium a patronis omnibus metu Syllæ (is enim venditis sub hasta ejus bonis, reum etiam agebat parricidii) destitutum, uberrime defendit, applaudente foro populi.

Tum

Tum Athenas discessit, qua studiorum caussa, qua metu Syllæ. Quo sublato etiam Asiam petiit discendi ergo. Romam redux Siciliam Quæstor rexit. Dein rogatu Siculorum Verrem ejus insulæ prædonem potius quam prætorem accusavit. Id temporis erat in urbe *Catilina* quidam, summo quidem Genere, sed perditæ vitæ Senator. Is, cum in decernendis honoribus nulla ejus ratio haberetur a populo, sed Ciceronis, nova in Rempublicam cœpit moliri. Etenim adjuncta sibi nobilium, paris cum ipso improbitatis, Civium manu in Urbis exitium conspiravit. Impium fædus impio ritu consecratum est: mactatum nempe hominem convivio intulerunt devorandum, cruoremque circumlatis pateris libarunt. Detectæ sunt insidiæ Ciceronis solertia: Catilina civitatem purgare jussus. Lentulus Sura prætor urbis Cethegus, Sulla, ceterique, qui dispositis viris, facibus, armisque jamjam incendia urbi parabant, comprehensi, ac Consulis jussu in carcere necati sunt, cum Catilinam alter Consul C. Antonius cum copiis interfecisset. Reorum damnationi obstitit I. Cæsar & ipse conjurationis, sed clam, reus. Is deinde Cæsar Præturam adeptus ope tribunorum plebis interdixit Ciceroni consuli, ne populum pro concione alloqueretur, nisi tantum ad renunciandum Consulatum. Accepta conditione rostra conscendit Cicero, renunciat, more recepto jusjurandum profert, sed longe diversum a consueto: juravit nempe, *se conservasse Urbem, & Romano imperio a ruina cavisse*. Mirum in quantos clamores solutus populus conceptis verbis id ipsum juraverit, dum interim Cæsar cum suis invidia rumperentur. Quin jubente populo, censente Senatu, honores Tullio decreti sunt, aliosque inter, ut *Pater Patriæ* diceretur, quod nemo ante ipsum. Sed cum ille immoderatius sese ipsum laudare non cessaret, multorum invidiam auxit. Cui flammæ oleum affudit Clodii simultas. Is intemperantis libidinis juvenis Pompejæ (Uxor erat Cæsaris tum Consulis) pudicitiæ

citiæ insidiabatur, veste muliebri ingressus domum eo die, quo Matronæ civitatis Bonæ fortunæ Sacra in domo celebrabant Consulis, qua domo per illum diem interdictum erat viris. Deprehensus Clodius in jus vocatur: negat se eo die Romæ fuisse: testes, & inter hos Cicero, jurant, fuisse: Absolvitur tamen Clodius, & Tribunitia etiam dignitate augetur. Illius odia declinaturus Cicero cum Cæsare legati nomine in Galliam ire parat: Clodius ne id fieret, ad speciem cum Tullio in gratiam redit, eumque retinet. Inde Cæsar offensus Clodium, Pompejumque ipsum in Ciceronem excitat. Accusatur Cicero, quod Lentulum & reliquos Catilinæ conjuratos interfecisset indicta causa: Cæsar ipse testem agit. Cicero pullo habitu, promissa barba & capillis, vicos obeundo populo supplicat, comitantibus eum viginti nobilium millibus eodem habitu. Quo tempore Senatus decreverat, idem ut totus populus faceret, imperare, nisi Consules inhibuissent. Ipso judicii die Pompejus urbe excedit, nec Ciceronem se insequentem colloquio dignatur. Itaque damnatur Cicero, qui monitus ab amicis servire tempori adulta nocte urbem relinquit. Clodius proposita lege aqua illi & igni interdicit, in domus eversæ locum templum Libertati condit: bona sub hasta venum exponit, nullus tamen inventus est emtor; reverentia Ciceronis. Illo interim Thessalonicæ in Macedonia exulante pœnituit Pompejum negatæ operæ. Senatus decernit, nullius rei ante habendam esse curam, nisi populus Ciceronem revocasset. Impediturus id Clodius Tribunus ab altero Tribuno Annio Milone e foro ejicitur. Rediens mense decimo sexto exilii Cicero *pro domo sua* orationem habet: tum *Milonem*, qui Clodium occiderat, defendit. Is tamen, quod insolentius ageret, Massiliæ exulare est jussus. Ciliciam provinciam rexit. Civili bello Pompeji secutus partes, a Cæsare tamen victore receptus in gratiam *Ligarium*, qui arma in Cæsarem tulisse accusabatur, defen-

defendit eo ſucceſſu, ut licet Cæſar ante illuſiſſet Ciceroni, necemque Ligarii ratam fixamque habuiſſet, ipſa tamen ſub oratione ſæpe colorem mutarit, omnes affectus indutus, donec ad extremum exſiliens reum abſolverit. Conjurationis in Cæſarem poſtea occiſum Cicero conſcius non fuit, cæſum tamen libenter vidit. Eapropter in M. Antonium Conſulem *Philippicas* Orationes ſummo ſtudio conſcripſit, etſi non peroraverit. Apud Senatum & populum effecit, ut Octavio Cæſari Julii Cæſaris heredi, ac Antonii inimico Conſulatus daretur. Verum inter Antonium, Octavium ac Lepidum Triumviratu conſtituto Antonius Octavio amicitiam negavit, niſi interfecto Cicerone. *Cicero* diu fluctuans in villam ſuam Formianam divertit, corvorum grege domum occupante, quorum unus, cum ad quietem ſe compoſuiſſet Cicero, etiam velum capitis eidem detraxit. Accepere id omen ſervi, Dominumque etiam nolentem lectica exportarunt ad litus. Mox ſupervenientibus cum militum manu Centurionibus Herennio, & Popilio Lenæ (eum Cicero a parricidii pœna defenderat) Philologus puer libertus prodidit. Cicero viſis ſuis per viam latronibus ſtare jubet ſervos, cervicemque extra lecticam porrectam præbuit ferro Herennii; cum eſſet natus annos 63. Caput cum manibus reciſum Antonius pro roſtris exponi juſſit. Philologum proditorem nacta Pomponia uxor Quincti Ciceronis fratris, tormentis ſubjecit, ac demum adegit, ſibi ipſi per partes reſcindere carnem, eamque aſſam vorare. Auguſtus vero ſeu Octavius Cæſar, Antonio Actiaca pugna ſuperato, ſanxit, ne quis ex Antoniorum familia prænomen *Marci* gereret; quod id Ciceronis fuiſſet.

10. *Virgilius*, ſeu Vergilius, *Maro* a patre dictus, natus prope Mantuam Idibus Octobris, primo Conſulatu Pompeji & Craſſi. Poëtis latinis omnibus palmam præripuit. Sed una ſummæ in ſcribendo fuit dili-

diligentiæ. Nam *Bucolica* triennio abſolvit, *Georgica* ſeptennio. *Æneida* annis undecim, totidem impenſurus ejusdem correctioni, niſi fata eum prævenissent. Itaque inemendatam relinquere coactus teſtamento juſſit eam cremari. Dubitatum eſt diu, ſitne pulcherrimo operi præhabenda teſtamenti religio? ſed Auguſtus Cæſar vetuit illud igni committi, Varoque & Tuccæ ejus corrigendi negocium fecit.

11. Quinct. *Horatius Flaccus* Venuſiæ in Apulia natus Poëta Lyricus, venuſtus ac lepidus.

12. Publ. *Ovidius* Naſo equeſtri genere natus Sulmone anno poſtquam Cæſar eſt interfectus. Nullis verberibus potuit a parente adigi, ut poëſi nuntium mitteret, ſed ei etiam non cogitanti in metrum ſoluta eſt lingua. Unde Elegorum facillimus ſcriptor ac Princeps extitit. Cumque impura ſcripſiſſet, eaque ad ipſam Auguſti filiam, Juliam nomine, miſiſſet, ab illo ſolum vertere juſſus ad Getarum oppidum Tomos prope pontum Euxinum & Iſtri oſtia delatus eſt.


13. C. Criſpus *Salluſtius*. Ciceroni infeſtus Catilinæ conjurationem, cujus & ipſe conſcius creditus eſt, deſcripſit contra Senatum. Primus Romanarum rerum hiſtoriam edidit, temporum tamen injuria nunc perditam.

14. Eodem vero tempore Cornelius nepos vixit, cui heroum vitæ eleganti ſtylo deſcriptæ tribuuntur, quas alii malunt Victorem, alii Probum edidiſſe.

15. Titus *Livius* Patavinus Romanorum Hiſtoricorum ſummus. Ad eum viſendum ex ultimis Galliæ Hiſpaniæque finibus plurimi Romam profecti ſunt.

16. *Mecænas* Eques Romanus, qui genus ad Etruriæ reges referebat. Augusto Imp. summo in amore habitus: doctos omnes summo ipse amore complexus est, summisque beneficiis auxit. Hinc omnes, qui pari favore literas ac literatos prosequuntur, *Mecænates* dicere mos hodiedum fert.

* Hæc, quæ a Cicerone ad nascentis usque Christi ætatem ferebat temporis periodus, *Aurea Scriptorum Romanorum* ætas appellari ab eruditis meretur.



LIBER



LIBER SECUNDUS HISTORIÆ PROFANÆ.

DE Quarta Monarchia, *SEU* Imperio Romano,

Ab Augusto & circiter Nativitate Salvatoris ad hæc nostra tempora.

Monitum.

* *Idem quod in Historia Ecclesiastica observamus, etiam observamus in hac profana, ut certis historiæ capitibus certas Imperii periodos complectamur, talibus temporibus definitas, quibus mutatio quædam, aut aliud, notandum præ ceteris, accidit. Erunt autem periodi sequentes.*

Cap. I. Ab Auguſto ad Conſtantinum Magnum, qui ſedem Imperii Byzantium transferendo occaſio fuit, cur id defecerit.

Cap. II. Inde ad Auguſtulum poſtremum Imper. in quo Imperialis Majeſtas Romæ & in Occidente extincta eſt.

Cap. III. De Exarchatu ac barbarorum in Italia regnis, donec in Carolo M. reſtituta eſt Imperatoria dignitas.

Cap. IV. A Carolo Magno ad magnum interregnum, quo multum labis paſſa eſt Imperatoris autoritas, cum illa Procerum creſceret.

Cap. V. Poſt interregnum a Rudolpho I. Habſpurgico ad noſtra tempora.

Caput quodvis paragraphis quatuor abſolvemus.

1. Enumerabit Cæſares.

2. Bella & negocia externa, &c.

3. Statum Politicum.

4. Viros tum temporis claros.

CA-

CAPUT I.

De Imperio Romano ab Auguſto ad Conſtantinum M.

§. I.

Imperatores ab Auguſto ad Conſtantinum M.

Quæſt. I. *Quis ſublato demum Cæſare Romanarum rerum potitus eſt?*

℞. 1. Etſi Cæſar Senatus populique libertatem calcaverit, ſuoque jure tyrannidem arripuerit, non tamen poteſtatem ſibi aſſertam potuit etiam transmittere in hos, quos vellet. *Octavium* quidem, ex ſororis ſuæ filia natum rerum ſuarum hæredem ſcripſit; eum ipſum, qui poſt *Auguſtus* erit Imperator. Verum M. Antonius, qui cum Cæſare eo anno conſul erat, collega ſuo cæſo, ſupremum jus ſibi aſſertum ibat. Senatus nolens poteſtatem redire ad *unum*, ſed liberam denuo fieri rempublicam, Octavium illum cum exercitu in Antonium movere jubet magnis honoribus in eum qua collatis, qua promiſſis.

2. Octavius, fracto Mutinenſi pugna Antonio, Senatui etiam ipſe metuendus evadit; juſſus propterea Legiones dimittere, ne quid in rempublicam moliri videretur. Non placuit id Octavio, ſed ut rebus ſuis conſuleret, cum *Antonio*, alioque ſummi nominis viro, *Lepido* nomen erat, fœdus jungit, ſeu *Triumviratum*; quod fœdus jungi non potuit, niſi Antonio cædes Ciceronis inimici permitteretur.

3. His ita constitutis in Cassium & Brutum Cæsaris latrones itur. Commissoque in campis Philippicis Macedoniæ prælio utrinque dextra cornua vicerunt. Dextrum cornu Bruti Octavium castris exuit: dextrum cornu Octavii idem fecit Cassio. Cassius ratus, etiam Brutum suum adverso prælio conflixisse, Pandaro liberto caput auferendum præbuit. Paulo post altera pugna inferior Brutus jugulum præbuit Stratoni.

4. Haud æquiore fortuna usus est Sextus Pompejus Magni filius, qui patrem vindicaturus Hispaniæ vires contraxerat, ingentique classe maria obsidens Italiam commeatu intercluserat. Profligatus ab Agrippa Octavii Legato in Asiam fugiens jussu Antonii est interfectus.

5. Denique ipsis Triumviris amicitia constare diu non potuit, sed primo Octavius & Antonius *Lepidum* imperio exutum in ordinem redegerunt. Dein Octavius *Antonium*; duabus maxime de caussis. 1. Quod is Octaviam Octavii sororem repudiasset, captus amore Cleopatræ Ægypti reginæ. 2. Quod videretur in Asia proprium sibi Imperium moliri a Romano disjunctum. Hinc navali prælio decernitur ad *Actium* Epiri promontorium non omnino procul ab Echinadis insulis. Hac clade acti in desperationem Antonius & Cleopatra ille pugione, hæc aspidis ictu sese interemerunt.

6. Senatus, utut omnibus modis singulare regimen seu Monarchiam detestaretur, Octavii tamen potentiæ se imparem sentiens summos victori reduci honores decrevit. Non tamen *regis*, (quippe nihil hoc nomine populo Romano infestius habebatur) sed *Imperatoris*, & *Patris Patriæ* nomine imperare eum voluit; cui additum est honoris ergo vocabulum *Augusti* seu fausti & auspicati: Cæsaris vero nomen ab avunculo suo Julio Cæsare sibi adscivit, ut adeo *Octavius Cæsar Augustus* dicatur. Quorum nominum duo postrema in omnes postea Imperatores sunt propagata.

Q. II.

Q. II. *Nihil eſt de reliquis Auguſti rebus, quod notem?*

℞. 1. Ejus imperio alta pace compoſitus eſt orbis, ita ut templum Jani tertio ab urbe condita clauderetur.

2. Inceſſit hominem cupido noſcendi, quot mortalium Romanæ ditioni parerent; itaque cenſum toto orbe agi præcepit, qua occaſione *Maria cum Joſepho* Bethlehemum profecti ſunt, nomina ſua daturi apud hos, qui cenſui præfecti erant, ibidemque oppido advenis nimium quantum jam referto extra portam in tugurio hoſpitari coacti ſunt. Ubi editus eſt in lucem JESUS Chriſtus.

3. Virtutes Auguſti, ut in homine ethnico, fuere egregiæ. Prudentia, Clementia, Fortitudo bellica, Juſtitia in foro: in doctos homines amor. Athenodorum præcipue philoſophum libenter audiebat. Hic Cæſari, iræ aliquando præcipiti, conſilium ſuggeſſit: *nihil decerneret iratus, niſi Græcarum literarum elementa ex ordine ſecum pronunciaſſet.* Alias Mecænas Auguſto ſedenti, & ſententias necis in complures civium latas ſuo calculo comprobanti ſchedam porrexit, his verbis inſcriptam: *Surge tandem carnifex,* quod Cæſar clementer tulit.

4. Ceterum manes ſuos & ipſe paſſus eſt, quod a libidine ſibi temperare neſciret. Quæ cauſſa fuit, quod patris exemplum ſecuta facile ſit filia *Julia*, cum prolibus ſuis *Agrippa* filio, & *Julia* gnata: quos libidinis ergo in exilium agi oportuit.

Q. III. *Qui Cæſarem Auguſtum in ſolio ſecuti ſunt primo Chriſti ſeculo?*

℞. 1. *Claudius* TIBERIUS *Nero*, Privignus Auguſti (ante æræ Chriſti 14.). Initio ſpem de ſe non levem

 præ-

præbuit, cum etiam hac gnome delectaretur: *Boni pastoris est tondere pecus; non deglubere.* Verum mox palam descivit in vitia. Bibendi libido nomen ipsi peperit, ut *Caldius Biberius Mero* diceretur. Sejanum ad omnium invidiam auxit honoribus, eoque crudelitatis suæ ministro usus est; donec & ipsum, de ambiendo Imperio suspectum, fœda morte multarit. Tandem ex morbo decumbentem senem Tiberium Caligula in strato suo suffocavit.

* *Annum jam 18vum imperante Tiberio Redemptor noster in crucem agi voluit (An. Chr. 33.)*

2. *Caj. CALIGULA* (A. Chr. 37.) Homo ad decoquendos Romani imperii thesauros natus; Hercule celebrior sibi visus, si posset una cœna abligurire quidquid opum quinque potentissima regna in ærarium conferre solebant. Hujus est votum illud in Romani populi perniciem conceptum: *O utinam una cervix!* ut nempe eodem ictu illam demetere liceret. Si quendam jussisset duci, carnificem hortatus est: *sic feri, ut sentiat se mori.* Palam queri solebat, sua tempestate nullam in populum grassari pestem, famem, incendia &c. Mente demum captus equum suum, *Incitatum* nomine, mensæ suæ adhibuit, Romanumque eidem Consulatum decrevit. Machinam sibi cudi fecit eo artificio, ut illi insidens & tonitrua & fulmina emitteret, cum blasphemiis una in Tonantem vibratis: *aut tu me interficies, aut ego te.* Demum a militibus in frusta missus est.

3. *CLAUDIUS* cognomento Tiberius Nero (An. Chr. 41.) Albæ mentis homo. Britanniam tamen per Legatos Romanæ ditioni junxit. Venenum ei a conjuge *Agrippina* missum est, quo periit.

4. *Domitius NERO* privignus Claudii (An. 54.) Agrippina hunc fœtum enixa Astrologos de pueri fatis consuluit, qui edixere, eum quidem imperaturum ali-

aliquando, ſed cum cæde matris; quo audito impotens Femina reddidit: *cædat, modo regnet*. Juventutis ſuæ moderatorem habuit Senecam, qui optimis illum præceptis imbuit. Ac primis quidem, quibus Imperii clavum tenuit, annis columba mitior videbatur, ut ſemel, cum ſententiæ cuidam capitali ſubſcribendum eſſet, dicere auditus ſit: *Quam vellem neſcire literas!* Primus omnium Imperatorum in Chriſtianum nomen ſævire cæpit, SS. Petro & Paulo e medio ſublatis. Ut vero videas, quos hoſtes nacti ſunt Chriſtiani, pauca e vitiis ejus, quæ quidem numerum omnem abhorrent, ordine promam. (1) Prodigus Romanarum opum aureis retibus piſcabatur. In Circo maria exhibebat generoſo vino ſtagnantia, inque iis commiſſas triremes. (2) Crudelitate tanta erat, ut hominem exuiſſe videretur. Nam urbem incendit, ductus curioſitate coram videndi, quomodo arſiſſet olim Troja: populoque arma capeſſente Chriſtianos incendii reos egit. Hos palis ligneis trajectos, pice, ſtupaque obductos juſſit ardere tanquam pro facibus ad nocturnas ſcenas. Quosdam ferarum pellibus incluſos objecit canibus: imo non raro ipſus canina pelle tectus damnatos illos dentibus invaſit. (3) Impietas ſummum in monſtro illo locum obtinuit. Seneca Magiſtro necato, Domitio patre, & Britannico fratre ſuomet vita exutis in Matrem iras convertit. Illa ter propinatum venenum, ſubrutum ſemel cubiculi ſui laqueare, quo erat opprimenda, evadens, cum navi imponeretur, quæ in ſummo pelago in fruſta abiit, natatu etiam tum ſibi conſuluit. At demum Nero uterum miſeræ ſecuit. Poppæam vero conjugem ſuam, quæ tum uterum ferebat, impacto calce occidit.

Denique cum omnium animi a fera eſſent alieni, Senatus ad infamem necem quæri illam juſſit. Quo Nero animadverſo manus ſibi intulit.

5. *Sergius Sulpitius* GALBA a Gallis Hispanisque exercitibus Imperator salutatus An. C. 68. Nimio rigore militum in se odia convertit, ab iisdem hortatu Ottonis truncatus.

6. *Marcus Salvius OTHO*, invadens imperium An. Chr. 69. mox a *Vitellio*, quem interim Germanus exercitus purpura ornaverat, superatus, manus sibimet admovit. Sed cum exercitus in Palæstina Vespasiano Imperatorios honores detulisset, Vitellius Romæ missus in vincula, tractus per orbis compita, demum multis confectus vulneribus in Tiberim præcipitatus est.

7. *Titus Flavius* VESPASIANUS An. 69. Tito filio negocium dedit Jerosolymam evertendi. Ipse Romam petens reipublicæ habenas cum laude temperavit: hoc solo notatus, quod tributa quibusvis rebus, etiam latrinis, fimetisque imponeret. Monitus a filio nummum admovit naribus cum dicto: *Lucri bonus odor, undecunque adveniat.* Jamjam ultimum agonem subiens sese erexit inquiens: *Imperatorem oportet stantem mori.*

8. TITUS *Vespasianus*, Patri sublectus An. 79. a clementia tantopere commendatus, ut vulgo audierit *Deliciæ generis humani.* Si forte sub vesperum recordaretur neminem se eo die beneficio quodam cumulasse, ingemiscere in hæc verba solebat: *Amici, diem perdidi!*

9. *Titus Flavius* DOMITIANUS. Frater Titi Imp. cui toxicum præbuit ipse, an. 81. Pessimus bipedum Album quoddam concinnavit, cui inscripsit, quoscunque morti destinasset. At Conjux ejus Domitia clam inspecto libello suum etiam nomen legens subornavit Stephanum, qui aliquot ante diebus cubitum circumferens obligatum, velut æger in conspectum tyranni admissus est, eumque confodit, mox ipse discerpendus a militibus. Animi caussa solitum ipsi erat cubili suo se includere: ac muscas parietibus forte insidentes acu venari.

NB.

NB. Hactenus nonnisi Romæ oriundi diademate potiti sunt: Deinceps plurimi Imperatores alienigenæ sunt.

10. *Coccejus* NERVA Cretensis gente An. C. 96. suffectus Domitiano. Miti vir animo prudentique. Febri extinctus est.

Q. IV. *Qui sunt Imperatores alterius seculi?*

11. *Marcus Ulpius* TRAJANUS *Crinitus*, Italicæ in Hispania natus, aut Tuderti. Coloniæ agens, Imperator dictus est an. 98. Communi omnium calculo *Optimus Princeps* vocatus est. Cum Saburanum Prætorianorum militum Præfectum dixit, pugionem ei his verbis tradidit: *Cape hunc ensem: & si bonus fuero, pro me; sin malus, contra me eo utitor.* Ejus decora fuere. (1) Quod doctos magno numero foverit. (2) Quod equos cursorios (*Postas* hodie vocant) per Romanas ditiones constituerit. (3) Quod Daciam in provinciam redegerit, eoque bello Istrum ponte commiserit supra Nicopolim, & jugis Hæmi montis imposuerit portam Trajani dictam, haut omnino procul Sardica, sive Sophia urbe. (4) Vino se obnoxium sentiens ministris suis dedit in mandatis, ne exequerentur ejus jussa, quæ per ebrietatem forte edidisset. Christianis quidem infestus fuit: sed Plinii monitu modum imposuit tormentis. Cum in Parthos moveret, Selinunte in Cilicia diem clausit supremum.

12. *Ælius* HADRIANUS consobrinus Trajani, Hispanus Throno potitus est an. 117. Bonus pariter & malus princeps. Omnes provincias juris dicendi ergo potissimum pedes obivit. Scotiam inter & Britanniam murum seu vallum duxit, arcendis Scotorum

torum incursionibus. Ludum literarium Romæ condidit, dixitque *Athenæum*. Non tamen honore prosecutus est doctos & artifices, nisi illos, qui mediæ sortis erant: qui enim præstabant, eos neci dedit, cum ipse solus vellet referre palmam: adeo ut etiam Homerum flammis dare constituerit, quod melius ipso cecinisset. E ruderibus Solymæ urbem novam excitavit Æliæ Capitolinæ nomine, & Judæos arma corripientes oppressit, omnique illis circum Æliam agro interdixit. Hos vero, qui patriæ ruinis parentare flendo volebant, data (velut in tributum lacrimarum) pecunia, permisit a longe stantes dolori indulgere. Magno crimini ipsi datum est, quod Antinoum ephebum suum tantis in deliciis habuerit, ut eidem in Nilo forte pereunti divinos honores decreverit, delubra excitaverit, & urbem Ægypti Antinoum. Absumtus est morbo intercute.

3. *ANTONINUS Fulvius Bojonius*, cognomento *PIUS* ob mitissimam indolem, fasces imperii capessivit An. 138.

4. *Marcus Aurelius Verus ANTONINUS*, cognomento *PHILOSOPHUS*, quod Philosophiæ studio teneretur. An. 161. Is *Lucium Ælium Verum* regni participem seu collegam fecit: quo apoplexia extincto, in Marcomannos ceterosque Germanos difficili bello defunctus est. Cui cum exhausto ærario sumtus deficerent, nec vellet novos exigere census, suam uxorisque supellectilem hastæ subjecit. Vindobonæ demum, seu Viennæ e vivis abiit.

5. *Luc. Aurel. COMMODUS Antoninus*, filius degener subrogatus patri an. 180. Inter gladiatorum cohortes ætatem egit. Hercules dici voluit, pelleque tectus Leonina incessit, & clavam torquens: qua in circo multos solebat conficere gigantum in morem alligatis molibus vestitos. Veneno simul elisisque faucibus periit.

6. *Publicus*, *sive Aulus*, *Helvius*, *sive Ælius*, *PERTINAX*, Ligur; Olim ludi moderator, tum

Con-

Conſul, demum Imperator An. 193. Cum militum mores ad frugem reducere niteretur, ab iisdem interceptus eſt.

7. Eodem anno Diadema ſolicitavit *Didius Julianus*, illudque a militibus emit. Mox occiſus a Severo.

Q. V. *Tertium ſeculum perſequere?*

℞. 1. *Septimius SEVERUS Pertinax*, Afer ex oppido Lepte. Ingenii militiæque acer *Clodium Albinum* a Gallis, & *Peſcenninum* Nigrum a Syris exercitibus Imperatores dictos redegit in ordinem. Rebus in Oriente & Africa compoſitis Britanniam petiit, recensque contra Scotos vallum duxit. Æger demum animi, quod filium inſidias ſtruentem ſibi cerneret, obiit Eboraci, dicens: *Omnia fui, & nihil mihi prodeſt.* De hoc Senatus cenſuit, illum aut naſci non debuiſſe, aut non mori; ut olim de J. Cæſare dictum erat.

2. *Antoninus Baſſianus CARACALLA*, & *Antoninus GETA*, Severi proles, ſucceſſere patri an. 211. Verum prior alterum ſuſtulit cum ingenti numero illorum, qui ab ejus partibus ſteterant. Alexandri M. viſo tumulo non ſolum illius nomen aſſumſit, ſed & corporis habitum, obtorto in lævum humerum vultu incedens: quo perſuaſum volebat cunctis ſe eſſe Alexandrum. At Alexandrinis civibus riſu eam ſtultitiam proſequentibus, Caracalla omnem nobiliſſimæ urbis pubem in campos ludorum ſpecie elicitam ſterni ab exercitu juſſit. Occiſus eſt a milite, cum alvum exoneraturus a via declinaret, juſſu Macrini, cujus vitæ inſidiatus erat.

3. *M. Opilius Severus MACRINUS*, *cum filio ANTONINO Diadumeno* an. 217. neci a militibus datus.

4. M. Aurel. Antonin. Baſſianus Varius Avitus *HELIOGABALUS*, ſeu *Alagabalus* nothus, & pro

Cara-

Caracallæ filio falſo habitus. Militum favore purpuram adeptus an. 218. nihil illi ad omnem turpitudinem defuit. Feminas & ſcorta legit in Senatum. Edicto ſanxit, ut vitæ modum alium amplecterentur Romani, diurnis negociis noctu peractis, ac vice verſa. Menſæ cum adhibuit nobiles, illis permixtos aſſidere fecit Leones, Pardos &c. cicures. Modo ingentem linguarum de Pavonibus vim, modo nil niſi infinitum cerebri de Turdis ſumti modum apponi menſis juſſit. Interemtus a milite in cloaca, more canini cadaveris raptus per vicos alligato ſaxo in Tiberim projectus eſt.

5. *Aurel.* ALEXANDER *Severus* Heliogabalum excepit An. 222. Cum eſſet adhuc ætate juvenili, matris ſuæ Mammææ avariſſimæ feminæ nutibus morem gerere ſæpe fuit coactus. Alias a Chriſtianis ſacris non omnino alienus eſſe viſus eſt. Expeditionem in Perſas ſecundo Marte confecit. In Germania tamen a militum, quorum vivendi licentiam compreſſurus erat, ſeditioſa manu ferro petitus Maguntiaci occubuit cum matre.

6. *C. Julius* MAXIMINUS *Senior* cum filio MAXIMINO *Juniore* natus in Thracia parente Gotho, a Pannonico, Germanicoque exercitu Auguſtus acclamatur An. 235. Verum biennio poſt exercitus Africanus *Gordianos* duos patrem & filium elegit: quorum filius in acie mox cæſus, pater vero ſuſpendio ſibi gulam fregit. Gordianis his ſimul & Maximino Senatus Romanus objecerat duos alios Auguſtos a ſe creatos *Balbinum*, & *Pupienum Maximum.* Sed & hi, & Maximini ambo furori militum ſuccubuere.

7. GORDIANUS III. filius Gordiani Junioris in Africa occiſi. Hic jam per annum cum *Pupieno* rexit adhuc puer, ſed anno demum 238. ſolus rerum ſumma potitus in Perſas movit. Inſidiis tamen *Philippi Arabis* ſublatus eſt.

8. *M.*

8. *M. Jul.* PHILIPPUS ARABS, cum filio *C. Jul. Philippo Saturnino* puero An. 244. Pater a Decio victus & occisus est Veronæ, filius Romæ. Ajunt primum ex Augustis Christiano dogmati subscripsisse.

9. *Messius Q. Trajanus* DECIUS Pannonia oriundus, filium quoque *Decium* in Imperii societatem ascivit, An. 249. Cetera minime malus Christiano tamen nomini fuit infestus. Bello contra Scytas sive Gothos suscepto, palude haustus est, filius in acio cæsus.

10. *C. Vibius Trebonianus* GALLUS *Hostilianus*, cum filio VOLUSIANO An. 252. Tributum Gothis pendere coactus fuit. Uterque ab Æmiliano victus occubuit. Ipse *Æmilius Æmilianus* Afer mox tertio mense interemtus est.

11. *Publ. Licin.* VALERIANUS *Colobius* a Subalpinis militibus dictus Imperator. An. 253. Filium suum, *Publ. Aurel. Licin.* GALLIENUM imperii participem fecit. Christianos dire habuit. Inde a Sapore Persarum rege captus scabelli loco habitus est, cum is equum forte conscenderet, demum etiam detracta pelle saleque conditus interiit.

Sub Gallieno omnes pene provinciæ a Romanis descivere, singulis sibi Imperatorem pro se eligentibus. Qui rebelles numero fere triginta, dici solent *Triginta Tyranni*. Ipse vero a militibus interfectus est Mediolani.

12. *M. Aurel. Flav.* CLAUDIUS II. An. 268. Gothis multa detraxit. Peste obiit.

13. QUINTILLUS Claudii frater decimo septimo die ex insidiis peremtus : vel, quod alii narrant, solutis sibimet venis. A. 270.

14. *M. Aurel.* AURELIANUS ortus ex Mæsia militum suffragiis purpuram sumsit. An. 270. Primus Romanorum Corona seu diademate usus. Triginta Tyran-

Tyrannos potissimum sub jugum misit. Occisus in Thracia.

15. *Publ. Annius*, vel *M. Claud. TACITUS* a Senatu dictus Imp. sponte id permittente exercitu An. 275. longiore dignus imperio, ducentesimo die febri occumbens *Florianum* fratrem Augustum reliquit, qui tertio mense sibimet necem conscivit, audito, *Probum* ab exercitu Imperatorem creatum.

16. *M. Aurel. PROBUS* rure quidem natus, sed militiæ strenuissimus Germanos in Gallia præsertim afflixit ab An. 276. tumultu tamen militari occisus Sirmii.

17. *M. Aur. CARUS*, cum ambobus filiis *Numeriano*, & *Carino* oriundi e Gallia Narbonensi una imperarunt An. 282. *Carus* in expeditione Persica fulmine tactus periit. *Numerianus* a socero suo Apro adacto pugione necatus est, *Carinus* a centurione.

18. *Valerius DIOCLETIANUS Jovius*, gente Dalmata summam potestatem cum Aurel. Valeria. *MAXIMIANO Herculio* communicavit. An. 284. Rebus contra Persas & Germanos prospere gestis in omne Christianum nomen immanissime sævitum est; ac tum diadema deposuit uterque An. 305. Diocletianus in villa sua hortum coluit. Maximianus pœnitentia abdicationis tactus, cum repetere Imperium moliretur, laqueo & veneno sublatus est.

19. *CONSTANTIUS Chlorus*, & *GALERIUS Maximianus Armentarius* An. 305. subrogati divisum gesserunt Imperium, illo Hispaniam, Galliam, Britanniamque retinente, in qua etiam diem ultimum clausit An. 306. Alter, *Galerius* Africam, Italiam, Illyricum, Græciam & Orientem tenens computrescente corpore crepuit An. 311.

§. II.

§. II.
Bella & negocia externa.

1. Bella, quorum hactenus sparsim mentio facta est, ut accuratius prosequamur, non admodum e re fore censemus.

2. Cum iis, qui hostem decretoria quadam pugna confecissent, triumphali pompa Urbem intrare liceret, priores Imperatores ipsimet in aciem progressi sunt, ut honore illo potirentur; quem sane Senatus decernere debebat. Dein, aucto luxu, per Duces bella gesta sunt, iisque demum jam pene confectis adfuere Cæsares, ultimam manum imposituri, sicque acturi triumphum levissimo suo negocio. At cum etiam Senatus autoritas haberetur demum contemtui, cæpere Imperatores armorum negocium facere Præfectis, ac nihilominus sibimet triumphi honores usurpare. Ita paulatim Romana virtus in auras abiit.

§. III.
De Statu Politico Rom.

Q. I. *Quis tanta in urbe & imperio summa gavisus est potestate ante Cæsares?*

℞. *Populus Romanus*, non quidem vulgus & fæx hominum, sed Cives tantum, qui suas in tribus erant distincti. Summus quidem magistratus erat *Consulatus*, binique erant Consules in annos singulos: Sed hos ipsos populus eligebat. Et si quid decrevissent Senatus & Consules, quod populo non arridebat, Tribuni plebis *intercesserunt*, id est, impedierunt illud; qui ipsos nonnunquam Consules in vincula egerunt.

Unde accidit, ut *Civem Romanum* esse regio fere honori par haberetur. Nec quemquam interficere

 aut

perficere aut servili pœna afficere fas erat cuicunque judici, nisi populus suis id calculis probasset. Attamen Romana civitate donati postea sunt quam plurimi extra Romam, ipsamque Italiam: qui, utut hac immunitate gaudebant, suffragii tamen in comitiis aut foro ferendi jure destituebantur.

Q. II. *Quomodo mutata est hæc rerum facies?*

℞. Auctis Romanorum rebus fieri non potuit, quin aliquæ familiæ, quæ rebus gerendis plurimum erant admotæ, divitiis affluerent. Unde tyrannidem affectare illas, proclive fuit: quod paulo ante in Sylla, Pompejo &c. vidimus. Cæsar potissimum conciliatis sibi legionibus Gallia provincia non in populi sed in suam rem usus, victo etiam Pompejo facile habuit Senatus Populique autoritatem eludere. Quem gnaviter secutus est Octavius Augustus. Sicque *Monarchia* nata est, seu *unius* imperium.

Q. III. *Quomodo hoc imperio usi sunt Impp.?*

℞. Primo quidem satis verecunde: cum Romani populi mores haberent suspectos, cutique suæ timerent. Itaque Augustus noluit, decernente licet Senatu, *Dictator perpetuus* dici, cum viderit Julium Cæsarem eo in honore occisum esse. Sed inventa est *Tribunitia potestas*, quam tamen visus est ægre admittere in decennium; illam tamen singulis deinde decenniis sibi renovari facile est passus.

2. Etsi vero verbis ac cerimonia illam potestatem, uti & Consulatus honorem &c. acciperet a Senatu, reapse tamen omnia suopte jure agebat. Nam jus vitæ necisque belli ac pacis solus ipse librabat. Ac væ homini in illud involaturo!

3. Ha-

3. Hactenus provinciæ ditionis Romanæ a Præsidibus seu Præfectis regebantur: eosque ad id muneris adhibebat Senatus. Verum Augustus Provincias potentiores cum dispositis per eas legionibus sibi sumsit, inferiores permisit Senatui; nec id sine specioso colore. Ajebat enim, cum illæ provinciæ solerent finitimorum incursionibus quassari, se tanquam assuetum armis hunc in se laborem suscipere, ut Patribus interim ocium esset ad reliquas provincias quietiores ordinandas animum appellere.

4. Verum omnem imperandi verecundiam ocyus deposuere posteri Cæsares; qui pro sua libidine Provinciis, Magistratibus, Opibus, Vitaque ipsa Senatus ac Civium impotentissime sunt abusi.

Q. IV. *Quinam vero & a quo constituti sunt Imperatores?*

℞. 1. Augustus successorem sibimet ascivit Tiberium, iste Caligulam.

2. Hoc interfecto, Senatus Cæsarum prosapiam delere, sibique summam rerum, aut legendorum saltem Principum jus vindicare nitebatur. Non tulit id prætorianorum militum insolentia, sed Claudium Cæsarei sanguinis, hominem stupidissimum purpura induit, qui metu Senatus se occuluerat.

3. Posthæc Imperatores in more repositum habuerunt, e sua gente quosdam gerendo post se imperio destinare. Qui *Cæsares* dicti sunt inde ab Ælio Vero Commodo An. C. 136. qui ab Adriano nominatus Cæsar paulo post rebus humanis excessit. Cæsares illos, initio quidem, Senatus *Augustos* appellare consuevit, quo titulo amplior ipsis potestas & fere imperatoria concessa est. Post vero etiam hoc jus nominandorum

 nem-

nempe Cæsarum Augustorum, sibi vendicarunt Imperatores ipsimet.

4. At militum prætorianorum exemplum mox secuti exercitus remotius degentes, audita Imperatoris morte alium ipsi crearunt, modo Ducem suum, modo gregarium quemvis militem, quem sperabant licentiæ militari prædisque magis indulturum. Ea electio celebrari consuevit militari cum tumultu, & non nisi acclamando e. g. *Maximinus Augustus!* Primum quidem Senatum de sua electione reddebant certiorem, ejusque etiam autoritatem adjici petebant. Sed a Maximino & fere deinceps, spreto Senatu egerunt. Unde factum, ut, ubicunque terrarum exercitus quidam Romanus ageret, qui sibi videbatur potentior, is Augustum sibi crearet, eumque pro sua feroci indole denuo morti litaret.

§. IV.

Viri Præcipui.

Q. I. *Ede viros majoris commatis, qui* Primo seculo *seu ab* Augusto *ad* Trajanum *fere extiterunt.*

R. 1. *Strabo* Amasiæ, urbe Ponti, natus, Philosophus Stoici nominis, & Geographus insignis sub Tiberio.

2. *Philo* Judæus Alexandrinus Ægyptius, Platonicæ Philosophiæ tam potens, ut vulgo diceretur: *Aut Plato Philonissat, aut Philo Platonissat.* Pro Judæis legatione suscepta, eorum apud Cajum Imp. caussam egit.

3. Senecas nominare possum tres.

1. Marc. Annæus *Seneca* vulgo *Rhetor*, seu *Declamator*, Cordubæ in Hispania natale solum adeptus paulo ante bellum civile Cæsaris & Pomp. Is literis com-

commendavit *Controversias* & *Suasorias*. Obiit Claudii Principatu.

2. Luc. Annæus *Seneca*, *Philosophus*, filius Rhetoris. Reipublicæ primo admotus, solum tamen vertere coactus est Claudio Imp. Non multo tamen post Neronis Cæsaris adolescentiam moderatus principem effecit optimum, quamdiu is præceptoris consiliis aurem præbuit. Illum vero cum a recto declinare sensisset prudens Seneca, missionem ab aula petiit, opes, quibus auctus erat a principe reddidit, sponteque in exilium concessit. Ea re Tyranni sibi odium peperit, qui viam facile reperit Senecam e medio tollendi. Cum enim Piso reus ageretur insidiarum Neroni structarum, Tyrannus Senecam quoque facinoris conscium esse finxit; jussitque eum hausto veneno, ruptisque venis extingui. Stoicorum philosophorum omnium facile princeps est habitus: Tantique fuit Romanis, ut non pauci illi diadema decernerent, si e medio tolli Nero potuisset. Scripsit egregia volumina morum præceptis refertissima: De Ira, Clementia, Constantia, Beneficiis, Epistolas, Quæstiones naturales &c. E tragœdiis etiam *Medeam*, *Hippolytum*, *Troadem*, & fortasse *Oedipum* scripsit.

3. Luc. Annæus *Seneca Tragicus*, e posteris Senecæ sub ævum Trajani vixit, ac scripsit reliquas Tragœdias Senecianas.

4. M. Annæus *Lucanus* filius Melæ, qui frater erat Senecæ Philosophi. Bellum civile Cæsaris versu descripsit Libris 10. quorum tres modo priores ad limam revocavit. Dicuntur *Pharsalica*. Eodem cum Seneca fato periit.

5. Aul. *Persius* Flaccus Volaterranus, Poëta Satyricus Neronis ævo.

6. Aul. *Petronius* Arbiter Poëta Satyricus, sed salax, Neronis amicus.

7. *Silius* Italicus, seu Italica Hispaniæ civitate oriundus alterum bellum Punicum metro cecinit, cum fasces Romæ Consulares gessisset Cæsare Galba.

8. Flav. *Josephus* Judæus, quo de consule *Historiæ Sacræ L.* 1. *Cap.* 12. *Quæst.* 3.

9. Publ. Papinius *Statius* Neapolitanus, nobili loco natus, sed aliquando egestate laborans. Post vero Domitiani Cæs. amicus, Poëta Epicus evasit illustris.

10. M. Valerius *Martialis* Bilbilitanus Arragonius seu Hispanus. Trajani imperium attigit: Parasitus celebris, demum tœdio rerum urbanarum suam repetiit patriam.

11. *Juvenalis* Satyricorum Poëtarum chorum ducit. Is cum profligatos ævi sui mores carminibus traduceret, & Paridem insuper histrionem offenderet, qui apud Domitianum plurimum poterat, specie honoris præfectus est cohorti militum, & in Ægyptum missus, ubi exul vivendi finem fecit.

12. C. *Plinius* Secundus, major sive senior Veronæ natus, quo nemo magis avarus discendi, ut nec cibum caperet, nec iter faceret, quin aut scriberet aut legeret, aut dictaret aliquid. Scripsit *Historiæ naturalis* Libros, quibus in compendium misit, quidquid fere sciri utile est, & pulcrum. At dum Vesuvii tum forte vomentis, flammas prope nimis studet rimari, intercluso per sulphureos suffitus spiritu vitam immolavit doctrinæ cupidini. Tito Imperatore.

13. C. *Plinius* Cæcilius Secundus junior prioris nepos ex sorore, Autor Epistolarum, & Panegyrici Trajano dicti, cui autor fuit, ut a Christianorum cæde temperaret sibi.

14. C. Jul. *Solinus* Romanus Plinio proximus & ævo & stilo.

15. Marc. Fabi. *Quinctilianus*, Hispanus Rhetoricen profes-

professus ejusdem præcepta conscripsit, quæ majori in pretio sunt, quam ipsius Ciceronis, &, post Aristotelis libros optimæ notæ sunt.

Q. II. *Seculum alterum evolve.*

℞. 1. *Plutarchus* Chæroneæ in Bœotia natus a Nerone ad Hadriani tempora claruit, nobilis Historicus, sed alterius quoque eruditionis laude nemini secundus. Est & Plutarchus junior, cujus sunt libri de Placitis & decretis Philosophorum.

2. Cornel. *Tacitus* primæ nobilitatis Romanus, sed Scriptis Annalibus multo nobilior Romani Imperii fastos a Tiberio ad Neronis interitum pertexuit. Situm etiam & mores Germanorum eleganti libro exposuit. Vitam produxit ad Hadrianum usque.

3. *Appianus* patria Alexandrinus Res Romanas accurato calamo prosecutus. Sub Antonino Pio.

4. Claud. *Ptolemæus* Pelusii ad ostia Nili in lucem editus Astronomorum & Geographorum antesignanus, quas disciplinas Alexandriæ professus est usque ad M. Aur. Antoninum.

5. *Epictetus* Hierapolitanus, servus Epaphroditi, qui familiaris erat Neronis. Senex Philosophus annorum gravis ad imperium M. A. Antonini porrexit ætatem. Ejus demortui lucerna fictilis, qua ad nocturnas lucubrationes uti consueverat, tribus drachmarum millibus veniit.

6. *Pausanias*, cui Cæsarea Cappadociæ patria fuit, Antiquitates & Geographicam Græciæ notitiam omnium optime delineavit. M. A. Antonino Imp.

7. *Galenus* Pergami Mysiæ majoris urbe natus patre Architecto. Alter ab Hippocrate Medicorum princeps in Ægypto, Romæ, & in patria sua artis specimina edidit, in qua fatis concessit senex.

8. *Diogenes* Laërte Ciliciæ oppido oriundus de vita insignium Philosophorum decem libros conscripsit. Severo Imp.

9. *C. Suetonius* Tranquillus Hadriano a Secretis duodecim Imperatorum a Julio Cæs. vitam descripsit, item Grammaticorum, Poëtarum atque Rhetorum.

10. L. Annæus *Florus* Hispanus Epitomen rerum Romanarum edidit, & Panegyristen potius agit, quam Historicum. Hadrian. Imp.

11. *Justinus* Historias Philippicas, & totius mundi in compendium misit. Ejus & conditio nos latent, & ætas.

12. *A. Gellius* Athenis docuit Grammaticam latinam: de qua variisque ad eruditionem spectantibus commentarios edidit, quos *Noctes* Atticas dixit.

Q. III. *Tertii Seculi lumina prode?*

R. 1. *Dio Cassius* Nicææ in Bythinia natus Historiam a condita urbe ad annum Chr. 229. deduxit, quo ipse cum Alexandro Imp. Consul fuit.

2. *Papinianus* Jurisconsultus a Caracalla securi percussus.

3. Alexandri Severi Imperio quatuor extitere clarissimi Jurisconsulti.

Domit. *Ulpianus* Tyrius tumultu militari necatus. Hostis Christianorum.

Jul. *Paulus* Patavinus.

Sext. *Pomponius* Romanus.

Celsus Romanus.

4. *Porphyrius* Tyri editus, ante dictus Malchus. Origenis contubernalis, discipulus Plotini Philosophi. Categorias Aristotelis primus Commentario illustravit. Ejus commentum est *Arbor Porphyriana* logicis decantata. A Christianis Sacris turpiter deficiens, in eadem etiam calamum strinxit. Probo Imp.

CA-

CAPUT II.
A Constantino M. ad Augustulum, & Interregnum in Occidente Maximum.

§. I.
Series Imperatorum.

Q. I. *Constantinum Constantio patri successisse jam didici, nunc ejus res gestas strictim edissere.*

℞. Marc. Flavi. Valeri. *Constantinus* a Patre Hispaniam tantum, Galliam atque Britanniam cepit. Demum vero etiam reliquo toto Imperio potitus est, *Maxentio*, *Maximino* & *Licinio* superatis.

1. *Maxentius* Maximini Herculii filius prætorianorum militum factione rerum Romanarum potitus a Constantino pacis civilis amante in Imperii societatem admissus est. Quo insolentius agente Senatus Constantinum evocat. Is in tyrannum arma expediens prope Treviros Crucem e Cœlo spectabilem habet adultissima die, cui subjectæ erant hæ literæ: *In hoc Signo vinces.* Inde Romam tendens collatis signis Maxentii equitatum in fugam agit; qui pontem sublicium, Tiberi impositum, superaturus una cum suo Duce Tyranno ipso undis hauritur. Nam pontem ea arte struxerat Maxentius, ut si Constantinus cum suis eundem conscendisset, solutis compagibus mergeretur. At modo incidit in foveam, quam foderat ipse. Hac victoria Italiam cum Africa suæ ditionis fecit.

2. *Maximinus* Orienti imperabat una cum Licinio. Audito vero, hunc pacem cum Constantino composuisse, infesta in eum arma movet. Fusus fugatusque paulo post a vermibus corrosus animam evomuit. An. C. 314.

3. *Licinius* Licinianus, Dacus ruricola natus patre, literarum plane rudis, sed manu promtus a Maximino Orientalis Imperii particeps est factus. Cum fidem Constantino datam falleret, nec, ut inter eos convenerat, Christicolas tueretur, sed mactaret potius, a Constantino primum in Pannonia, mox in Thracia victus Illyrium & Græciam permisit Constantino. Verum inquietus senex coacto iterum exercitu ex Asia, iterum superatus purpura, vitaque ipsa exutus est a militibus Thessalonicæ (A. C. 324.) Et sic demum Orientis ac totius Romani Orbis Imperium accessit Monarchæ Constantino.

4. Ceterum summæ *laudi* ducenda sunt Constantino sequentia. *Primo*, quod primus ipse Imperatorum Christiana Sacra susceperit, eaque civitate, ut ita dicam, per totum late Imperium donarit. *Secundo*. Quod Synodum primam universalem Nicæam Bithyniæ coëgerit nutu Sylvestri PP. hæresinque Arianam supprimere contenderit.

5. At *vitio* ipsi vertitur *Primo*, quod filium suum Crispum principem vitæ integerrimum neci addixerit, facili nimis aure data Faustæ, quæ novercalibus agitata odiis temerati pudoris insimulaverat insontem juvenem. Comperta fraude ipsam etiam Faustam splendido adornato balneo suffocavit. *Secundo* Byzantium urbem condidit; cum enim super Asiaticum litus urbem sui nominis moliretur in agro Chalcedonis, aquilæ identidem advolantes sublatos rostris architectorum funiculos Byzantium transtulere: quare ibidem Constantinopoleos fundamenta jacta sunt An. 325. Id quidem magnificum erat Constantini opus, sed quod politicis non admodum placet, quia *Romam* hanc *novam* (hoc enim

enim nomine vocari Conſtantinopolim juſſerat) ut augeret, veterem denudavit ornamentis. Inde data eſt poſteris anſa, ut Imperium in *Orientem & Occidentem* dividerent, viresque ſparſas efficerent infirmiores: Et nonnullorum Orientis Imperatorum potentia freti Conſtantinopoleos Patriarchæ Romani Pontificis dicto audientes eſſe ſpernerent, atque adeo grande Schiſma concinnarent.

6. Denique ſuſcepta in Perſas expeditione lento morbo conſumtus eſt Nicomediæ, non ſine veneni ab amicis propinati ſuſpicione. Annum agens regni 31. Vitæ 65. A. C. 337.

Q. II. *Sæpe audio de* Donatione Conſtantini, *Tu quænam illa ſit, edoce.*

℟. Conſtantinum ajunt, cum a Sylveſtro PP. ſalutari fonte tingeretur, eidem Romanæ Urbis, & circumjacentis Latii Dominium dediſſe dono. Hic ergo uno ore vociferantur Hæretici, nec factam eſſe a Conſtantino Donationem, nec fieri potuiſſe, adeoque repetundarum accuſant Pontifices. Non eſt equidem hujus loci iisdem ex aſſe reſpondere, ne tamen Hiſtoriæ tiro non plane in ſalo hæreat, ſequentia notet.

1. Factane ſit illa *Donatio* a Conſtantino, relinquimus in medio.

2. Certum eſt autem Romanis Pontificibus eam Italiæ partem jam inde paruiſſe. Ac præſertim Pipinum Caroli M. patrem ſolemnibus tabulis id confirmaſſe; quod confirmarunt Carolus M. Otto, Henricus ſanctus, aliique Imperatores.

3. Conſtantinum, ac priores illos Imperatores Italiam, vel quamvis aliam imperii partem *potuiſſe* cuivis donare, facile perſuaſum habebit, qui ſciet illos Imperatores neminem procerum, ne dicam hæreticorum, de ſua imperandi methodo debuiſſe vel conſulere

ſulere, vel ſequi: ſed ſuo tantum jure ac libitu omnia conſtituiſſe. Profecto ſi Cæſares illi (ut fuere aliqui deterioris vitæ) ſcorto cuipiam donarunt tota regna, nemo noſtrorum hæreticorum vel gry facit.

4. Denique cum taceant Imperatores & Imperium, & ſoli ringantur hæretici heri nati, quorum ea res nihil intereſt, riſu potius illos proſequamur: crediderim enim illos malle, ut præconum ſuorum grex numeroſiſſimo mulierculàrum ac prolium ordine inſtructus ex Italia paſcatur, quam gens quævis Catholica, præſertim ſacra.

Q. III. *Ordinem Auguſtorum poſt Conſtant. M. proſequere.*

℞. 1. Tres ejus filii paternas ditiones inter ſe diviſerunt.

CONSTANTINUS II. natu grandior cepit Hiſpaniam, Galliam, Britanniam, Germaniæ partem. A Conſtantio fratre occiſus prope Aquilejam A. 340.

CONSTANS minimus natu Italiam, Illyricum, Thraciam, Græciam, Africam tenuit. In Pyrenæis montibus & ipſe occiſus eſt a rebelli comite *Magnentio* A. 350.

CONSTANTIUS medius fratrum primo Orientem & Ægyptum, ſed ſubacto demum Magnentio omne Imperium occupavit. Arianæ peſti addictiſſimus Catholicos indignis modis habuit. Extinctus febri A. 361.

2. *Flav. Claud.* JULIANUS APOSTATA. Conſtantini M. ex Fratre Conſtantio nepos. Chriſtianis Sacris a pueritia imbutus, factus Imperator iisdem nuntium remiſit, acerbis odiis in Chriſtianos invectus: Judæosque ipſos in eorum contemtum augere opibus conatus eſt. *Vid. Hiſtor. ſacram L. 1. Cap. 12. Q. 4.* Tandem cum Perſis acie experturus votum Jovi nuncupat omnes perdendi Chriſticolas, ſi victor rediret.

Verum

Verum ſpes eum fefellit: nam telo (cœlitus ut creditum eſt, miſſo) trajectus, exceptum a vulnere cruorem in aëra excuſſit cum anima, adjecta blaſphemia: *Viciſti Galilæe, viciſti!* An. C. 363.

3. JOVIANUS, *Juvianus*, *ſeu Jovinianus* Pannonia editus, a militibus in ipſa acie ſalutatus eſt Auguſtus. Pace cum Perſis compoſita partem Armeniæ cum urbe Niſibi eorum permiſit arbitrio. In Galatia obiit, vapore carbonum vivorum, quibus cubiculo ſubmitti calorem curaverat, ſuffocatus. A. 364.

4. VALENTINIANUS I. Pannonius ab exercitu purpura indutus eandem cum fratre ſuo *Valente* communicavit. Cum Legatos Quadorum audiret, ira ſuccenſus obſtupuit, ut nihil ſanguinis elici e venis potuerit. Sicque extinctus eſt adhuc Catechumenus. A. 375.

VALENS eidem ſuperſtes Arii ſectator rem Catholicam miſere afflixit. Cum vero Gothos e Thracia conatur exigere, prælio ſaucius ſubductus eſt in ruſticam caſam, ibique a ſupervenientibus Gothis immiſſo igne exuſtus. An. 378.

5. *Valentiniano I.* ſucceſſere filii in Occidente VALENTINIANUS II. & GRATIANUS. Qui Valente extincto in Imperii ſocietatem vocarunt *Theodoſium*, filium Theodoſii Magiſtri equitum, qui in Africa rem præclare geſſerat, eumque Orienti conſulere juſſerunt. At *Gratianus* a Maximo, qui in Britannia tyrannidem arripuerat, captus Lugduni perimitur. An. 383. *Valentinianus* idem patitur ab *Arbogaſte* rebelli Viennæ in Gallia. An. 392.

6. THEODOSIUS I. Magnus. Hic cum duos ſuſcepiſſet filios e Faccilla Gratiani ſorore *Arcadium* & *Honorium*, eorum curam habere juſſit Arſenium Magnum, Diaconi munus tum obeuntem. Aliquando

vero

vero muſeum ingreſſus, videnſque pueros ſedentes diſcere, ſtante interim magiſtro, indigniſſime id tulit, deditque in mandatis, ut deinceps regii principes nudo vertice auſcultarent ſedentem magiſtrum, iſque virgis etiam, ſi opus, minime parceret.

Religioſiſſimus alias Princeps præceps tamen iræ nonnunquam fuit. Theſſalonicæ enim cives præfectorum cuidam vim intulerant. Quo accepto Imperator diſpoſitos in circo milites juſſit magnam civium ad ſpectacula confluentium ſtragem edere. Septem millia cæſi ſunt. At obſtupeſcens facinus D. Ambroſius Theodoſium ab hac cæde recentem aditu Eccleſiæ interdixit. *Vid. Hiſt. Eccl. L.* 2. *c.* 2. §. 6.

Maximum tyrannum fregit. Mox etiam *Eugenium* ab Arbogaſto ſubornatum. Sed biduo cum hoc pugnatum eſt ancipiti marte. Quo in diſcrimine Theodoſius ſæpe Cælum ſuppetias vocavit his verbis: *Ubi eſt Deus Theodoſii!* Anno 394.

Altero poſt anno vitam cum morte commutavit ſcriptis Imperii hæredibus duobus filiis *Arcadio* & *Honorio*, illo *Orientis*, hoc *Occidentis*.

Q. IV. *Qui fuere deinceps utriusque hujus Imperii fines?*

℟. 1. *Occidens* numerabat Britanniam, Germaniam, Illyricum cum Pannonia, Dalmatiam, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africamque omnem maritimam.

2. *Orientis* erant Græcia omnis, Mœſia, Thracia, Aſia usque ad Euphratem, & Ægyptus; nam hæc veteri Geographia ad Aſiam, non ad Africam pertinebat.

Q. V. *Paucis expedi Cæſarum* OCCIDENTIS *Ordinem ab Honorio ad Auguſtulum.*

℟. 1. HONORIUS undecim nonniſi annos natus tuto-

tutorem nactus eſt *Stiliconem* origine Vandalum virum promtiſſimum. Huic ſumma poteſtate conceſſa Honorius interim *Ravennæ* regiam conſtituens otio vacabat. Itaque Stiliconem fuſo ſemel prope Veronam Alarico Gothorum principe (Anno 402.) ſubiit animus Auguſtos honores vel pro ſe vel pro filio Euchario ambiendi. Idcirco Viſigotos Herulosque denuo evocat, in quos prima acie cæſos (an. 405.) dum altera expeditio ſuſcipitur detectis inſidiis Stilico e medio tollitur, Cæſaris mandato.

Cæſo ſtrenuiſſimo duce non fuit difficile Gothis Romam ipſam in deditionem accipere An. 409. Erat tum Honorio in deliciis Gallus lepidum animal: cui nomen *Roma*. Ducibus itaque nunciantibus, Romam perditam eſſe, negavit fieri id potuiſſe, cum paulo ante eſcam ei porrexiſſet. Tantum otii fuit Honorio, ut ei licuerit etiam Romam urbem ignorare.

Alaricus *Attalum* quendam indutum purpura Romæ creat Imperatorem, qui coacto exercitu Ravennæ Honorium obſidet, ſed ſubmiſſa ex Orientis Imperio claſſe depulſus, dum in Galliam properat, a Conſtantio Duce manu dextra multatus in Liparam Inſulam relegatur.

Heraclianus Dux, qui paulo ante Africam Attalo ereptam Imperio aſſeruerat, tyrannidem molitur, claſſemque ſeptingentarum navium appellit Italiæ. Sed dicto citius rejectus Carthagine in templo Memoriæ trucidatur.

Alaricum defunctum *Ataulphus* excepit, qui cadavere ejus in amne Conſentiæ (ne a Romanis ludibrio haberetur) tumulato, Placidiam duxit ab Alarico jam captam Honorii ſororem. Sed Ataulpho quoque a ſuis cæſo *Sigericoque* mortuo *Wallia* a Conſtantio Duce adactus eſt reddere Placidiam, quæ nuptui tradita eidem Conſtantio *Valentinianum* edidit. Cumque occulti cum Gothis fœderis ſuſpicione laboraret

Placi-

Placidia apud Honorium, fuga ſibi ſuæque proli conſuluit ad Theodoſium II. Imperat. Orient. Qui, fatis concedente Honorio, hunc Valentinianum Conſtantii filium Auguſtum declaravit.

Denique Honorius conſilio ac fortitudine gerendo Imperio longe impar eximia tamen in Deum pietate fines Imperii utcunque conſervavit, ſi Hiſpaniam exceperis, Galliæque partem. Obiit An. 423.

2. VALENTINIANUS III. Hic Africam perdidit, captam a Vandalis. Et Galliæ potiſſimam partem a Francis & Burgundionibus occupatam. Attilam tamen Hunnorum ducem e Gallia ejecit virtute Ætii præfecti ſui, opeque Gothorum, Francorum & Burgundionum.

Britannia a Saxonibus occupata.

Illyricum ab Hunnis aliisque Scythis ſubactum. *Venetæ* demum inſulæ ab exulibus Chriſtianis occupatæ, & *Africa* a Bonifacio Vandalis prodita eſt. Demum Valentinianus a *Maximo* Rom. Conſule, cujus uxore abuſus fuerat, clam interemtus eſt. An. 455.

3. MAXIMUS celato crimine primum nuptias Eudoxiæ Auguſtæ viduæ, mox etiam Imperium decernente Senatu & populo acclamante adeptus eſt. Sed cum incautus conjugi patratam cædem aperit, illa tacta dolore Genſericum Vandalorum in Africa regem in perniciem Maximi evocat. Hic Roma expilata Eudoxiam inter reliquam prædam abripit. Maximus in ipſa fuga a populo diſcerptus eſt. An. eodem.

4. AVITUS a Viſigothis e Narbonenſi Gallia ad occupandum ſolium ſubmiſſus, a Senatu vero Roma pulſus in fuga mortem oppetiit. An. eod.

5. MAJORANUS a Leone I. Imperat. Orientis ſubmiſſus Genſericum rejecit in Africam, Mauritaniam recu-

recuperavit. A *Ricimero* tandem armorum præfecto ex insidiis interemtus. An. 461.

6. SEVERUS cum Alanos Italia exegisset, ab eodem Ricimero veneno extinguitur. A. 465.

7. ANTHEMIUS a Leone & ipse adjutus, a Socero tamen suo Ricimero vita exutus est, propinato toxico. An. 472.

Ricimerus tandem ille latro in solium involat: sed Numinis vindicta quarto ac trigesimo die periit. An. eodem.

8. OLYBRIUS Patricius Rom. neci occumbit. An. eod.

9. GLYCERIUS a militibus salutatus Imperator a Julio nepote coactus est aris sese addicere, factus Episcopus Salonæ. A. 474.

10. JULIUS NEPOS ab *Oreste* duce, quem Gallias cum exercitu petere jusserat, necatus. An. 475.

11. ROMULUS *Momyllus Augustulus* dictus, non *Augustus ob speciem corporis breviorem. A patre Oreste constitutus Imperator, ab *Odoacre* ejectus est. (A. 476.) *Odoacer* enim Herulorum Rex e Pomerania & Hungaria cum suis accitus a Romanis occasione libentissime usus Italiam suæ potestatis fecit. Augustum solio movit, vitæ tamen eidem gratiam fecit, misertus ejus pueritiæ.

* Deinceps nemo in Occidente titulum *Augusti*, *Cæsaris*, vel *Imperatoris* usurpavit usque ad Carolum M. Huncque in modum Romanorum potentia a *Romulo* primo ortum trahens desiit in isto ignobili *Romulo*. Et Monarchia ab *Augusto* constituta in *Augustulo* est extincta.

§. II.
Bella & Negocia externa.

Quintum ab incunabulis natæ Salutis seculum post hominum memoriam inquietissimum extitit. Ingentia enim populorum agmina ex septentrione, & Scithicis oris effusa occidentale Imperium pessumiverunt. Verum cum insequente temporis periodo longe major, magisque necessarius dicendi locus futurus sit, eo usque barbaram hanc historiam differimus.

§. III.
Status Politicus.

1. Senatus hoc tempore autoritas fere nulla, nisi quod Geminos quotannis Consules nominabat, alterum Romanum, Constantinopolitanum alterum; isque honor frequentissime ipsis Imperatoribus delatus, quamquam hi non admodum illo afficerentur.

2. Imperatores ipsi mutuis auxiliis in conservando diviso Imperio usi sunt. Altero tamen forte defuncto, alter superstes ejus provincias curabat, ac de novo Cæsare iisdem consulebat. Ac Senatus Romanus, cum Romæ deesset Imperator, jura petebat Constantinopoli.

§. IV.
Viri Præstantes.

I. Heroës, & Tyranni.

1. Theodosius M. diviso in filios Imperio Honorium Occidenti, Arcadium Orienti jura dare voluit. At

cum utrique per ætatem non liceret manum admovere reipublicæ, Honorio *Stiliconem*, Arcadio junxit *Rufinum*. De *Stilicone* ſupra meminimus in rebus Honorii. *Rufinus* gente Vaſco Gallus, primum conſulatu, mox ſuprema Aulæ præfectura auctus, tantæ tamen ſortis impatiens, ipſum Imperii diadema ac cædem Arcadii meditari cæpit. Faverat viro exercitus, jamque purpuram ejus humeris applicare paraverat, cum ecce comperto Rufinum in id negocii exciviſſe Gothos, dejectam perfido cervicem, contoque ſuffixam per caſtra ſublimem ferunt. A. 395.

2. Rufini locum occupavit *Eutropius* non quidem heros, ſed ob ipſa ſcelera magni nominis *Eunuchus*. Hic, ne quid ejus moraretur tyrannidem, legem extorſit ab Arcadio, ne ad aras & templa confugientibus aſylum pateret. At exercitus ejus dedignatus imperia petit eum neci dedi. Is in templum ſe recipiens, fruſtraque ſacras aras amplexus, aſylum, quo alios arcuerat, nec ipſe invenit, ſed ſuamet captus lege pœnas dedit Tyrannidis.

3. Valentiniani III. Imperio tres memorandi ſunt viri, *Ætius* Bulgarus ſeu Hunnus, *Caſtinus* Scytha, *Bonifacius* Thrax.

Ætius rebus in Gallia ſtrenue geſtis a Principe tamen exautoratus Hunnorum copias ſibi adjunxit. Commiſſoque ſemel cum Romanis prælio in gratiam eſt receptus, Hunnisque reditum in patriam perſuaſit. Verum illi, guſtata ſemel Italia atque Illyrico, prædæ adducti cupidine cum 700000. Attila Duce denuo advolant, protritaque in modum turbinis Pannonia, Germaniaque Galliam petunt, ab Ætio tamen ingenti clade excipiuntur. Jamque Ætius Galliam a Francis, Gothis & Burgundionibus tum occupatam Romano Imperio aſſerere parabat, cum eum Valentinianus Ravennam

 exci-

excitum ſuamet manu neci dedit. A. 454. Jure non nemo dixit, Cæſarem ſua dextra ſuam ſibimet ſiniſtram recidiſſe. Hoc enim Duce ſublato omnis apud Barbaros Romani nominis metus evanuit.

Caſtinus ſuſceptis cum Bonifacio inimicitiis, cum Italiam peſſumiret, ab Artaburio Duce datus in vincula, & ab Imperatore in exilium ejectus eſt.

Bonifacius cum & ſuis machinis, & Caſtini diſcordiis, Ætiique calumniis in ſuſpicionem affectatæ Tyrannidis veniſſet, atque a Placidia Auguſta revocatus ex Africa morem non geſſiſſet, Romana in eum arma decreta ſunt. Quibus ſe imparem ſentiens Vandalos, ut ex Hiſpania in Africam trajicerent, invitavit. An. 427. Ac licet eum facti ſubiret pœnitentia, fruſtra tamen fuit cum Phrygibus ſapere. Provinciis itaque exutus ac mœrore extinctus eſt.

II. Docti.

* *Paucos ſi ſacros excipias Doctores, hoc ævum eruditos tulit; inter arma enim exulant Muſæ.*

1. Sext. Aurelius *Victor* Pannoniæ Præfectus Illuſtrium Romanorum res geſtas literis commiſit.

2. Decius Magnus *Auſonius* Burdegalenſis Gallus Conſulatum geſſit An. 379. Poëta non ſpernendus, cujus nepos fuit S. Paulinus Epiſc. Nolanus, itidem poëta.

3. Claudius *Claudianus* Ægyptius. Stiliconis in laudes effuſus. Poëta numeroſus, & hoc ſolo infelix, quod pangendis carminibus non meliorem nactus ſit materiem. Floruit ſub an. 400.

CA-

CAPUT III.

Ab Augustulo & Occidentalis Imperii ruinis ad Carolum M. & restitutionem Imperialis dignitatis.

ÆTAS BARBARA.

§. I.

De Regnis Regibusque Italiæ, aliisque Barbarorum imperiis usque ad Carolum M.

* *Ad Seriem Historiæ continuandam ea potissimum regna spectant, quæ in Italia, tanquam Monarchiæ quartæ sede constituta sunt. Ea sunt quatuor.* 1. Herulorum. 2. Ostrogothorum. 3. Langobardorum. 4. Exarchorum.

Reliqua, quæ per Hispaniam, Galliam, Africam &c. gessere Barbari §. 2. *referemus cum de bellis & negociis externis agendum est.*

I. Heruli.

Odoacrem jam diximus Augustulo in exilium acto Romanum Imperium sui juris fecisse an. 476.

Hunc hospitem ut excuteret Zeno Orientis Imperator *Theodoricum* Ostrogothorum regulum cum potestate ac milite mittit, hoc pacto, ut Odoacre pulso Theodoricus provincias interim moderaretur, donec Imperator de iis constitueret. A. 489.

Is ergo ſuſcepta expeditione, ſentiens, opinione fortius pugnare Odoacrem, amicitiam cum illo in ſpeciem componit. Mox vero menſæ adhibitum inter epulas necat. An. 493. Sicque Herulorum extincto regno natum eſt Oſtrogothorum.

II. Oſtrogothi.

1. *Gothorum Origo.* Gothicum omne nomen e Suecia, & extrema Germania profectum eſt. *Gothones, Gothi, Gottæ, Getæ, vel etiam Scythæ* dicebantur, præcipue Græcis ſcriptoribus. E ſeptentrione profecti, neſcio quo tempore, in Scythiam ad oram Ponti Euxini perrexerunt.

2. *Gothorum Diſtinctio.* Qui plagas naſcenti ſoli propiores tenebant Oſt-Gothæ, ſeu *Oſtrogothæ*, id eſt Gothæ Orientales audiebant, alteri occaſum ſpectantes Weſt-Gothæ, ſeu *Viſigothæ.*

3. *Geſta Oſtrogotharum ante regnum Italicum.* Valente Imperatore Oſtrogothæ cum Viſigotis inteſtino bello colliſi mox etiam ab Hunnis ſub jugum miſſi ſunt ſub an. 376. Attilæ dein caſtra ſequuntur in Galliam atque Italiam; Illo extincto, ejusque filiis de regno altercantibus, cum omnes populi Hunnis eousque ſubditi ab iis deficerent, etiam Oſtrogothæ id exemplum ſequuntur, ac deinceps Pannoniam a Romanis impetratam incolunt. A. 455.

Sed mox arreptis armis Theſſaliæ, ac Macedoniæ minantur exitium, Duce Theodemiro. Quibus pacandis Zeno Imp. novi regni in eorum gratiam conſtituti limites deſignat: Situm id regnum in Thracia & *Sium dictum.* *Theodericus* Theodemiri filius fœderis obſes Conſtantinopolim miſſus, in animum Zenonis penetravit adeo, ut Conſul deſignaretur an. 483. & creatus Patricius, etiam militiæ præficeretur. Is ipſe eſt, qui Regni Oſtrogothici in Italia fundamenta jecit.

4. Re-

4. *Reges Ostrogothæ in Italia.* Itaque *Theodericus* cæso ex insidiis Odoacre An. 493. Regios etiam honores ab Anastasio Imp. & Italiam impetrat cum reliquis Occidentalis Imperii provinciis.

Regni sedem Veronæ constituit, illudque sibi vicinorum regum propinquitate stabilivit, ducta Audefleda Clodovæi Francorum regis sorore; filiasque suas alteram Alarico Visigothorum regi, alteram Sigismundo regi Burgundionum matrimonio junxit.

Jura dixit tanta laude, ut cum optimis Romanorum Cæsarum meruerit comparari. Ac licet Ariano dogmati ipse dudum subscripsisset. Romanæ tamen Ecclesiæ jura sarta tecta servavit. Eum quondam accedens muliercula questa est, se triennio jam litem coram tribunali sustinere. Accitis rex judicibus mortem minitatur præsentem, ni moras justitiæ abrumpant. Illi biduo congressi sententiam expediunt; regisque mandato securi percutiuntur, quod in triennium traxissent caussam, quam biduo solo poterant absolvere. At sub extremam vitæ lineam in barbaros mores descivit Theodoricus. Boëtium enim Consulem, ejusque generum Symmachum falsi criminis insimulatos indicta fere caussa extremo affecit supplicio. Cœnæ dein assidenti cum ingens piscis caput apponeretur, visus est sibi videre caput Symmachi truncatum, eoque spectaculo mente captus paucis post diebus vivere desiit. A. 526.

5. *Athalaricus* successit Theodorici ex filia Amalasuntha nepos. Anno octavo mortem oppetiit. A. C. 534.

6. *Theodatus* ad solium promovetur ope Amalasunthæ, Theodorici ex sorore nepos. Hic Amalasuntham, dum Constantinopolim pergere cogitat, in balneo suffocat.

Itaque Justinianus Orientis Imp. injuriam sibi factam ratus, tum etiam successu Africanæ expeditionis ad recuperandum Occidentis Imperium accensus, sed ipsorum etiam Italorum votis exoratus *Belisarium* Ducem ex Africa in Ostrogothos movere præcipit an. 536. Idque bellum octodecim annis varia fortuna gestum est.

7. *Vitiges* a Belisario in triumphum ductus est an. 540. Actum erat de Ostrogothis, nisi Chosroës I. Persarum rex Orientem turbasset, & Belisarius ejus armis debuisset objici. Hinc relicta Gothis est saltem Verona cum agro finitimo.

8. *Theutobaldus* an. 540. nihil memorabile gessit.

9. *Totilas* an. 541. Hic initio res Gothicas restituit Roma etiam a. 546. capta. Tum Belisarii virtuti denuo cessit. Sed hoc iterum in Persas evocato, omnem Italiam cum Sicilia recepit Totilas. Donec submissus a Justiniano *Narses* eunuchus Tyrannum profligarit. A. 554.

10. *Tejas* quidem Totilæ in acie cæso suffectus est, sed a Narsete decretoria pugna & ipse victus, interemtusque an. eodem. Huncque in modum Italia Romano Imperio asserta est.

III. Langobardi.

Q. I. *Qua occasione Langobardis in Italiam patuit aditus?*

℞. *Narses* in decimum sextum jam annum Italiæ præfectum egerat, cum a Justino Cæsare ob nonnullas civium querelas ei abrogatur Imperium. Is de crimine se purgat humaniter ac submisse. Sophiæ vero Augustæ acceptis literis, quibus Narsetem ad pensum & colum invitabat in gynæceum suum, tanquam videlicet eunuchum, tum enimvero injuriæ impatiens suique impos Neapolim concedit Narses, missoque nuncio Langobardos ad diripiendam Italiam invitat.

Q. II.

Q. II. *Unde proruperunt Langobardi?*

℞. Langobardi nomen adepti a promiſſa barba, quam alere ipſis mos erat, vel a longis ſecuribus gens Germanica ex iisdem, quibus Gothi, ſedibus prorumpens omni Germania errabat. An. 379.

Pannoniam ſubeuntes Romanis ſuam adverſus Gepidas operam addixerunt An. 548.

Bello ipſo Oſtrogothico Narſeti auxilio fuerunt An. 552. Qui tamen ingratos hoſpites ocyus dimiſit in Pannoniam, donec excidio publico ſuam ulturus injuriam eos ſponte revocavit.

Q. III. *Jam Langobardicos in Italia reges enumera.*

1. *Alboino* itaque Duce ſeu rege Langobardi pedem in Italia ponunt An. 568. Liguriam, Inſubriam, totamque fere Superiorem Italiam ſubigunt Roma excepta, atque Ravenna, qua in urbe Exarchorum ſedes erat.

Regiam fixere *Ticini* ſeu *Paviæ*, nomenque ſuum univerſo illi Italiæ tractui in hunc usque diem reliquerunt: ea enim regio dicitur Lombardia.

2. *Celphus* An. 574. Illo enecato, abrogare poteſtatem regiam, rerumque ſummam 30. ducibus deferre placuit. Vix tamen elapſo decennio priſtinum regiminis modum revocarunt.

3. *Antharit* an. 585. Theudelindam Garibaldi Bojorum Ducis filiam ſuo thoro junxit. Illi, marito defuncto, copia facta eſt ſibimet deligendi e nobilibus Langobardis quempiam, pro rege deinceps habendum.

4. *Agilulfus* electus eſt A. 591.

5. *Adalvaldus* in exilium pulſus cum matre Theudelinda, ejusque locus ab *Arioaldo* occupatus. A. 626.

6. Ro-

6. *Rotharit. A.* 629.
7. *Ronoaldus* 645.
8. *Aripertus I.* 651.
9. *Grimoaldus.* Beneventi Dux, usurpator. 661.
10. *Pentharit* Ariperti filius hactenus exul: restitutus an. 671.
11. *Chunipertus* 688.
12. *Luitperthus* 700.
13. *Ragumbert.* 701.
14. *Aripert. II.* 702.
15. *Ansprandus* 712.
16. *Luitprandus eodem.*
17. *Rachis.* 744. Romæ inhians, a Pontifice conversus, fit Monachus.

18. *Aistulphus* An. 751. Hic Ravennatem Exarchatum sui juris fecit An. 752. Inde etiam Romam castra movet. Verum summus Sacerdos, cum petito ex Oriente auxilio frustraretur, Pipinum Francorum jam tum temporis regem suppetias vocat: qui Exarchatum Longobardis ereptum Romanæ Ecclesiæ ditioni adjungit. An. 755. Aistulphus in venatione periit.

19. *Desiderius* An. 756. Hic armis injuriisque petens Romanam Ecclesiam a Carolo M. in auxilium Pontificis properante captus abducitur an. 774. Langobardicæ ditiones Francico adjectæ sunt imperio, Exarchatus vero Ecclesiæ Romanæ denuo assertus cum Ducatu Spoletano, agroque Sabinensi: quibus an. 787. accessit Langobardia superior, seu hodierna fere Hetruria, cum parte Campaniæ.

IV. Exarchi.

Cum Narses Italiam Gothis eripuisset, proconsulari imperio eidem præfuit annis 16. Langobardis vero, quos ille exciverat pleraque occupantibus, Græcis pauca relicta sunt: quæ ut in officio continerentur, missi sunt summa cum potestate Præfecti, quos *Exarchos* dixere. Hi *Ravennæ* constituerunt Præfecturæ sedem, & ancipiti fortuna tenuerunt, donec eadem penitus exuti fuerint a Longobardis. Nec est operæ pretium

tium eos omnes in medium producere. Primus a Narſete fuit *Longinus* an. 567. Ultimus *Eutychius* ab Aiſtulpho Longobard. R. loco motus an. 752.

Huncque in modum Græci Imperatores Italia excluſi ſunt: in qua tamen etiam deinceps Calabriam atque Siciliam tenuere, Venetos, Dalmatasque habuerunt vectigales.

§. II.
Bella & Barbarorum incurſus.

Merito hoc ævi *Ætatem Barbaram* dixi. Tot enim Barbarorum examina e Septentrione ac Scythia erupere, ut nulla fere Europæ plaga extiterit: quæ genuinos incolas retinuerit.

I. Viſigothi.

1. Supra §. 1. Num. II. Oſtrogothos ab Hunnis ſub jugum miſſos diximus ſub an. 376. Horum clade territi *Viſigothi* migrant, atque a Valente Imp. Mœſiam provinciam obtinent, una cum Baptiſmo. Sed pro dolor ab Imperatore illo Hæretico Ariano eadem Ariana hæreſi imbuti ſunt. Quo factum, ut illa peſtis per omnem Europam una cum iſtis Barbaris ſit propagata.

2. An. 401. *Alarico* Duce in Italiam penetrant, fuſique a Stilicone cum majoribus copiis revertuntur, Romamque Urbem Dominam per coronam capiunt an. 409.

3. Immani populo ut nonnihil ſatisfaceret Honorius, Narbonenſem Galliam a Liguria ad Hiſpaniam ſupra mare Mediterraneum extenſam donat, itaque regnum ab iis *Toloſanum* conſtitutum eſt A. 412.

4. Ab

4. Ab eo tempore modo cum Romano Imperio armis commiſſi, modo juncta pace Romanorum ſtipendia ſecuti in Vandalos, Suevosque militarunt.

5. Vandalis vero in Africam transmittentibus Viſigothi eorum in Hiſpania ſedes occupant, ac potentiſſimum Hiſpaniæ regnum condunt An. 428. quod quidem a Mauris ſubactum eſt an. 711. At *Pelagius* comes Gothici ſanguinis collectis Chriſtianorum reliquiis *Aſturiæ* principatum ſibi aſſeruit an. 712. Qui in regnum *Legionenſe* excrevit, præſertim ſub Alphonſo Catholico, qui Mauros tota Gallæcia cedere coëgit An. 750. Legionenſium Chriſtianorum exemplum ſecuti ſub annum 700. 800. & 900. alii Gothica regna inſtaurarunt, *Navarræum*, *Arragonium*, *Caſtellanum*, quæ Ferdinandus Catholicus fere conjunxit an. 1474. Is Ferdinandus quidem Saracenos omni Hiſpania depulit an. 1481. Sed & ipſe Gothici ſanguinis poſtremus regnum nobiliſſimum reliquit Carolo e nobiliſſima gente Auſtriaca Maximiliani Cæſaris nepoti, An. 1516. qui & ipſe triennio poſt Auguſtus eſt appellatus.

Toloſanum vero regnum ſeu *Provincia* a Francis paulatim eſt occupata ſub an. 508. &c.

II. Vandali.

1. *Vindili* alias dicti ad Viſtulæ ripam in Germania olim habitarunt. Tum an. 406. juncta ſibi *Alanorum*, *Suevorum*, *Burgundionumque*, manu Galliam vaſtant, tantumque ſui terrorem omnibus incutiunt, ut quotquot erant barbaræ gentes, Gothi, Hunni, Saraceni &c, deinceps paſſim *Vandali* audirent.

2. An. 409. ſuperatis Pyrenæis jugis in Hiſpania regnum auſpicantur.

3. An.

3. An. 427. Bonifacio Africæ Præfecto evocante cum omnibus suis in Africam migrant, *Genserico* Duce seu rege, quem & Gisericum, Geiseriumve dicunt. Illuc appulsi an. 428. quadriennio eandem sui juris faciunt, Romano Imperio detractam.

4. An. 532. *Belisarius* Justiniani Græc. Imperatoris auspiciis Gelimerem Vandalorum regem acie fusum cum suis omnibus tota Africa, Sardinia, Corsica, insulisque Balearibus exegit. Quotquot funestæ cladi superfuerant, in interiora, desertaque Africæ se receperunt, nec amplius cuiquam visi sunt.

III. Alani.

Hi cum Vandalis in Hispaniam penetrarunt, sed sparsim tandem cum in Hispania tum in Gallia habitantes paulatim a Gothis, Francisque deleti sunt.

IV. Suevi.

Et hi una cum Vandalis expeditionem susceperant An. 406. annoque 409. regnum exorsi sunt in Gallæcia ac Bœtica Hispania; variaque usi fortuna Visigothorum denique jugum subiere An. 583.

V. Burgundiones.

1. Eodem itinere cum Vandalis Galliam petierunt An. 406. Paceque cum Romanis composita partibus Rheno proximis Regnum suum imponunt An. 413. Fidei Catholicæ subscribunt Anno 417.

2. An. 437. Regia Burgundionum prosapia ab Attila quidem excisa est. Sed an. 456. resumtis Viribus Galliam Lugdunensem, Sequanensem, Viennensem, Provinciam Gallicam cum alpibus in potestatem redigunt.

3. An.

3. Anno demum 534. Francorum reges Childebertus, Clotharius, & Theudebertus profligatum Burgundiæ regnum inter se dividunt.

4. *Boso* a Carolo Calvo Præfecturam Burgundiæ adeptus, cum adverteret Caroli posteros de Galliæ regno acerrima lite confligere, maluit rei suæ studere, ubique ipsi diadema Burgundicum imposuit An. 880. Regiam fixit *Arelati*, quæ urbs est Provinciæ Rhodano incumbens. Unde ejus posteri *reges Provinciæ*, vel *Arelatenses* dicti.

5. Hujus regni heredem scripsit Rudolphus postremus rex Imperatorem Henricum III. an. 1032. Qui Ducibus suis Comitibusque illud distribuit. Unde postea nati sunt Comitatus *Sabaudiæ*, *Pedemontii*, *Provinciæ*, *Alsatiæ*, *Burgundiæque* sub an. 1125. Deinde pleraque omnia Galli Imperio subduxere. Burgundiam tum præcipue cum an. 1477. *Carolus Audax* Dux in acie interfectus esset ab Helvetis; etsi heres superesset Maria Caroli nata Maximiliano Austrio eodem anno nupta.

VI. Britanni.

1. Primus Romanorum Britanniæ pedem cum armis intulit Julius Cæsar 50. fere ante Christum natum annis. Sed cum divitiarum, quibus inhiabat, inopem cerneret insulam, Præfecto litoribus imposito viam relegit. Hadrianus deinde & Antoninus reliquique Imperatores Romana ibidem jura auxerunt, Britannis non invitis, ut a Scotorum, Pictorumque irruptionibus Romani militis virtute tutiores degerent.

2. Cumque exercitus Britannicus spreta Imperatorum Rom. autoritate sibimet tyrannum crearet Constantinum, isque in Galliam transmitteret, occasione uti

uti Britanni in libertatem sese asserunt, quidquid Romanorum militum, præfectorum, Legum superat, cædunt, conculcant. An. 410.

Verum hujus consilii mox eos subiit pœnitentia, cum Picti, Scoti, Hibernique (Borealem insulæ plagam hi occupabant, & alias etiam *Saxones* audiebant) majoribus animis in eos insurgerent. Theodosius quidem Imperator Orientis auxilio iis fuit missa militum legione an. 421. & an. 422. Sed ea, adversus Pictorum impetum structo e lapide muro, valefecit tandem Britannis. Itaque Romani, dicentes sibi non vacare, ut sociis Britannis majore ope adessent, discessere, Britannisque nuncium remisere.

4. An. 446. Iterum postulata sunt ab Ætio Romano Galliarum Præside auxilia. Iis non impetratis acti in desperationem Britanni consilium ineunt Germanorum vires implorandi. Itaque an. 447. tres simul populi advolant *Angli* ex agro Schlesvicensi; *Saxones* ex Hamburgensi, reliquaque ditione, quæ Albi alluitur, & *Juttæ* e Jutlandia, quæ Chersoneso Cimbricæ, seu Daniæ hodiernæ adjaceat. Duces expeditionis erant *Hengst*, & *Hors*.

5. Hi quidem Pictos in ordinem redegerunt, sed miseros Britannos paulo post ab an. 455. &c. Regno, Libertate, ipsaque Christiana religione exuerunt, idolorum cultu instaurato. Qui ante extinctus non est, quam S. Augustinus aliique Benedictini monachi a S. Gregorio missi sint, An. 596. Atque ex eo tempore Britannorum in illa insula nomen fere evanuit, cum *Angli* obtinerent.

6. A. 460. fervente inter utrumque populum bello Britannorum manus fretum superat, exulesque illam Galliæ plagam supra Ligerim amnem occupant, quæ hodie-

hodieque *Minoris Britanniæ* (Gallicæ Bretagne) nomen gerit.

7. An. 519. *Cerdicus* Westsaxonicum regnum inchoavit (vulgo *Essex*) quod succedente tempore in omnem Angliam prorogatum est ab Eduardo Seniore An. 899.

8. An. 1154. Henricus II. e Francicis Comitibus *Andegavensibus* regno Anglico hereditate potitus est. Qui Hiberniam subegit, ejusque se Comitem dixit. Sanctum Thomam Cantuariæ Archiepiscopum adacta in cerebrum securi in Ecclesia trucidari fecit. Eodem & succedente seculo assiduis bellis Angli, Francique inter se commissi sunt.

9. An. 1340. Eduardus III. Angl. R. præ Philippo Valesio fas sibi esse putans in solium Galliæ succedendi, cruentum in Gallos bellum parat, tantis animis postea gestum, ut Henricus VI. anglus pleraque subacta Gallia diademate Gallico redimitus fuerit Parisiis A. 1431. Quo tempore *Joanna Dorica* Virago *Aurelianensis* sumtis armis Ducem exercitus Gallici egit, sed tandem ab Anglis capta, rogoque addicta est. 1430. Paulo tamen post Angli Galliam omnem deserere coacti sunt. 1436.

10. Quæ deinde fata tum sibi tum Ecclesiæ cuderint Henricus VIII. regesque posteri, dicimus *in Historia Sacra L. 2. Cap. 7. §. 5.* cum de *Schismate Anglicano* nobis sermo est.

VII. Hunni.

1. *Hunni*, quos historici passim etiam *Scythas*, *Vandalos*, *Avares*, & medio ævo etiam *Turcas* appellant, denique nomen *Hungrorum* seu *Hungarorum* acceperunt. Sunt autem iidem ipsi, qui ex interiore Scythia profecti Ostrogothos subegerunt, eorumque & una Visigothorum regiones, Daciam nempe occuparunt An. 376. *Vid. supra hoc Lib. 2, c. 3. §. 1. Num. 11.*

2. Ve-

2. Varias deinde in Romanam ditionem impressiones fecere. An. 383. in Rhætiam & Galliam. An. 407. pars eorum cum Vandalis & Herulis in Italiam. A. 424. a morte Honorii opem tulere Joanni tyrannidem molienti. An. 437. *Attila* Duce Galliam premunt, Burgundionumque regnum excindunt.

3. Denique gravissimum illud bellum Hunnicum exortum est An. 441. Hunnisque Thraciam & Illyricum infestantibus annua tributa pendi promissa. Quæ dum solvi non potuere (Principum enim luxus ærarium exhauserat) *Attila*, qui *Flagellum DEI* se dici passus est, per Noricum in Galliam penetrat. Verum *Ætius* egregius Dux conciliata sibi Visigothorum, Burgundionum, & Francorum ope triduana pugna ipsum frangit. Cæsa utrinque 180000. in campis *Catalaunicis*, (hodie Chalon) non ita procul Metis. An. 451. Hinc motis castris Italiæ inhiat, Aquilejam obsidione cingit. Dumque jam desperata deditione obsidionem solvere cogitat, videt Ciconias aves suos fœtus rostris portantes ex urbe migrare. Quo omine accepto, factaque iterum impressione nobilem urbem solo æquat. An. 452. Romæ ipsi dum immineret, obvium *S. Leonem PP.* qui non tam facundia, quam divino nutu tyrannum ab Urbis excidio submovit. Etenim Attila quæsitus a suis, cur tantum honoris habuisset Leoni, prodidit, se vidisse adstantem Leoni senem augusta forma, qui stricto ferro mortem sibi minitatus esset, ni Leonis consiliis morem gereret. Itaque An. 453. reversus est in Pannoniam, ibique vino largius hausto, ruptaque forte in gutture venula suomet sanguine suffocatus interiit. 454.

4. Ab illa clade defecit Hunnorum vis. Pedetentim tamen Pannoniam denuo subegerunt, id est, modernam Austriam ab Anaso flumine & Hungariam ad Dravum usque. An. 788 a Thassilone Bojariæ Duce

 adver-

adversus Carolum M. Francorum tum regem exciti memorabili clade afficiuntur.

5. An. 791. Suomet jam Marte Carolum in Bojaria adoriuntur. Sed is Hunnos demum sibi profligandos sumsit, annoque 799. bello isto defunctus e tota Pannonia ejecit barbaros.

6. An. 893. Recens Hunnorum agmen a Tanai in Pannoniam irruit. E qua assiduis insultibus Bavariam præcipue, Franconiam, Saxoniam, Galliamque ipsam misere accipiunt, vastatis, crematis, mactatis omnibus urbibus, monasteriis, incolis, præcipue sacerdotibus & monachis. An. 900. 910. 926. 937. *Henricus* vero *auceps* An. 934. pugna ad Merseburgum commissa, & *Otto M.* in campis Lyci prope Augustam Vindelicorum Anno 955. ita Hunnis succidere cristas, ut susceptis etiam Christianis sacris an. 986. *Geysa* eorum dux Germanico Imperio deinceps vectigalis fuerit. In pugna illa Vindelicia tum Ottonis regis pietas enituit, sacro epulo ante prælium se reficientis, tum S. Udalrici Augustani Episcopi virtus, qui oblata sibi de cælo cruce Christianum exercitum animavit.

7. *Stephanus I.* sanctus, Geysæ filius regios honores accepit a Sylvestro II. PP. Posteris regibus accessere aliæ Provinciæ. Ladislao I. sancto *Croatia* & *Dalmatia* hæreditate obtigit. An. 1080. Carolo Roberto Neapolitano *Bosnia, Servia, Bulgaria* 1312.

8. Ab obitu *Andreæ III.* An. 1300. reges tantum exteros habuere Hungari, Bohemos, Bojos, Neapolitanos, Austrios, Polonos.

9. Denique Germani & præcipue Austrii regnum istud Turcicis impressionibus vastatum suo sæpe sanguine redimentes meruerunt hereditario jure nobilem illam hactenus tenere provinciam.

§. III.

§. III.

Politica.

Non est, quod multum a me quæras de Politico hujus ævi statu, cum fuerit Barbarus. Attamen

1. Roma Urbs Exarchatui Ravennati, Græcisque Imperatoribus parebat, ita, ut Senatus quidem annuos Consules, vel consulum potius umbras legeret, Pontifex vero multa in omnibus autoritate polleret, donec totam obtinuerit post Langobardos a Pipino domitos, ut sequenti capite docebimus.

2. Utut barbari imperarent, vulgo tamen major id temporis obtinebat pietas, justitia major, ac præsertim simplicitas, nec quisquam etiam Barbarorum & Hæreticorum regum tantum sibi concessit in sacra, aut in Ecclesiastica negocia manum tam facile misit, quam facile postea misere alii.

3. Ad Langobardorum tempora nonnulli referunt ortum consuetudinum *Feudalium*, quæ tamen post tempora Caroli M. potius natæ mihi videntur.

4. Disciplinæ Juris Civilis unicum incrementum accessit per Justinianum Imp. Qui veterum Romanorum leges per Tribonianum ejusque socios Jurisconsultos collectas primo publicavit an. 529. Cum jam ante Theodosius & ipse Orientis Imperator similis formæ Codicem edidisset an. 438.

§. IV.

Viri Illustres.

Hoc etiam uti & priori ævo nulla penes plebem, aut rarissima doctrina fuit. Sed quidquid Romanarum

 litera-

literarum supererat solis Ecclesiarum scholis, monachorumque claustris asylum debebat.

Seculo tamen 6. laudandi sunt *Boëtius* Consul a Theodorico Ostrogothorum rege interfectus, qui præter Philosophicas disciplinas, Logicam nempe, Ethicam, Musicam &c. etiam divinarum rerum expers non fuit. Illum ajunt *horologii automati* primum fuisse autorem: quæ tamen ars cum ipso extincta, nec revocata est ante annum 1480.

Priscianus quoque Grammaticus suos de lingua Latina, cui tum temporis expiranti mederi cupiebat, commentarios elucubravit.

CAPUT IV.

A Carolo M. & renovata in Occidente Romano-Germanici Imperii Majestate usque ad magnum Interregnum & Rudolphum Habspurgicum.

§. I.

Imperatores a CAROLO M. ad Rudolph. I. Habspurg.

Q. I. *Si Carolus M.* Francico *genere fuit editus, cur Imperium in illo restauratum* Germanicum *vocas?*

℞. Non *injuria* sane: quid enim sunt *Franci*, vel fuere, nisi *Germani*. Quod ut manu palpes, de Francici regni origine tria verba faciam.

1. E pluribus Germaniæ populis coaluit Francorum gens, *Cattis*, sive Hassis, *Bructeris*, *Tencteris*, *Sicambris*, *Frisiis*, aliisque ab Albi ad Rhenum in hodiernam usque Franconiam, quæ nomen antiquum retinuit, sitis.

2. An. 418. cum jam in pejus res Romanæ irent, Franci superato Rheno Belgium occupant, Ducemque expeditionis *Pharamundum* regio honore mactant. An. 419. Utut autem ab Ætio viam domum repetere sint adacti, *Clodione* tamen rege mox altero anno, nempe 428. revertuntur in Galliam.

3. *Merovæus* Clodionis filius regnum auspicatus est an. 447. Cumque tres sint familiæ, quæ hactenus Francicum sceptrum tenuere, *Merovingica*, *Carolina*, & *Capetina*, primæ stirpi nomen dedit Merovæus iste.

4. At *Clodovæus*, seu Ludovicus tertius a Merovæo Francorum rex longe nobilissimus Francicam gentem, nomen, imperium in omnem Galliam extendit, ita, ut ab eo tempore in Gallia non jam Galli degerent, sed multo copiosiores Franci, qui linguam, mores cum ipso jugo Gallis imposuere.

5. Multo tempore regnatum est Merovingicis: qui tamen ad extremum cæperunt ocio diffluere, summamque potestatem in unum Satraparum, quem *Majorem Domus* vocari mos erat, conferre. Ex his *Pipinus Herystallii* (Prædium erat) dominus An. 681. Major Domus creatus est, ejusque filius *Carolus Martellus* an. 714. Demum nepos *Pipinus* junior an. 741. Hi eo rem deduxere, ut cum Merovingici regno impares essent & ignavi, *Pipinus*, optantibus regni proceribus, admittente Pontifice, Francorum Rex salutaretur an. 752. Childerico ignavo hactenus rege in cænobium migrare jusso.

6. Hujus Pipini impiger gnatus est *Carolus* ille *Magni* nomen a rerum gestarum magnitudine post fata sua adeptus.

Q. II. *Dic, quæ gesserit Carolus ante quam Augustus salutaretur.*

℞. 1. Francico diademate ab obitu Pipini patris potitus est Anno 768.

2. Anno 774. Desiderium Langobardorum regem ob injurias, quibus Romanum Pontificem pessumibat, in custodiam dedit; ejus regnum belli jure suæ ditioni adjecit; Romanæ vero Ecclesiæ Exarchatum Ravennatem, Ducatum Spoletanum &c. restituit: quibus adjecit Capuam cum parte Campaniæ, & Tusciam Langobardicam an. 787.

3. An. 788. Tassilonem Bojariæ Ducem regios honores affectantem, fregit una cum Hunnis a Tassilone excitis. Bellumque Hunnicum anno demum 799. profligavit, Hunnis ad Dravum usque deletis.

4. An. 793. fossa a Rednizio ad Alemannum, seu Altmühlam (Franconiæ amnes sunt, alterque in Rhenum evolvitur, alter Danubio miscetur) ducta Istrum Rheno jungere tentavit. Verum ingentibus ejus anni nimbis, & bellis in Saxones Hunnosque gerendis, operi renunciare coactus fuit.

5. Saxones tricennali bello ad annum usque 804. gesto, domuit, sacrisque Christianis instituit, multis erectis Episcopatibus.

Q. III. *Quo pacto Imperium adeptus est Carolus?*

℞. Cum anno 800. Romam petiisset, Leonem III. PP. adversus perduellium injurias tutaturus, Pontifex ipso Salvatoris Natali die Carolo persuadet, ut Romani Imperii Majestatem in Occidente tanto jam tempore collapsam, & a Græcis desertam in sese suscipere vellet. Adhæc subornavit Pontifex Optimates Romanos, & populum, qui *Carolum Imperatorem & Augustum*, acclamarent. Reluctatus quidem est Carolus, tandem

vero

vero Diadema Imperiale a Pontifice ſibi imponi, ſacroque ceromate ungi ſeſe permiſit.

Q. IV. *Cetera jam de Carolo Imp. perſequere.*

℟. 1. Doctrinæ tam avidus fuit, ut a puero in canam ætatem imbui ſe fecerit ſacris profaniſque diſciplinis. Libris S. Auguſtini de *Civitate Dei* ſcriptis præcipue delectatus eſt. Quin ipſe Teutonicæ Linguæ Grammaticam primus compoſuit: Ventis, ac menſibus nomina impoſuit. Scholas publicas in omnibus pene Benedictinorum monaſteriis aperiri conſtituit &c.

2. Denique diem ſupremum clauſit A. 814. 5. kalend. Febr. Aquisgrani: ibidemque in Eccleſia B. V. Mariæ tumulo mandatus eſt, cadavere in throno ſedente.

Q. V. *Mitte in numerum reliquos Cæſares Romano-Germanicos.*

℟. Ii fuere aut e *Caroli* poſteris, aut ſtirpis *Saxonicæ*, aut e *Francorum gente*, aut demum *Alemanni* ſeu *Suevi*.

I. Carolini Imp.

1. LUDOVICUS I. *Pius* a Carolo patre hæres Galliæ, Germaniæque ſcriptus eſt. Cognatum ſuum *Bernardum* Italiæ regno ab Avo Carolo auctum luminibus orbari juſſit. An. 818. quod inteſtinis motibus Imperio inhiaret.

Hic primo regni anno in tres filios regnum diviſit, Lotharium, Pipinum & Ludovicum. Verum, cum etiam quarto filio Carolo, quem e ſecundis nuptiis ſuſceperat, partem regni cedere vellet, ſortis impatientes reliqui filii Ludovicum Imp. in cuſtodiam, & vix non in vincula mittunt. An. 834. Adnitente

tamen filiorum altero nempe Ludovico Bavaro restituitur libertati & solio.

Paulo post iterum tentata divisione, iterumque armis filiorum petitus ex morbo defungitur An. 840.

2. LOTHARIUS I. Imp. A morte Patris filii rem ferro committunt: tandemque bellorum fessi in has conditiones conspirant.

Lothario cederet Imperialis dignitas, Italia seu Langobardia, *Burgundia*, hodiernam Helvetiam, Burgundiam, Delphinatum, Provinciam Gallicam, atque Sabaudiam complexa; cum *Austrasia*, quæ complexa est hodiernam Alsatiam, Palatinatum, Lotharingiam, Belgium.

Ludovico Germania tota, & ultra Rhenum Spira, Wormatia, atque Moguntia vini ergo adjectæ sunt.

Carolo Calvo Gallia.

Nam Pipinus frater e vivis jam excesserat.

Denique Lotharius Imperatorem cum monacho commutavit in Asceterio Prumiensi, nec ita multo post piam mortem oppetiit A. 855.

3. LUDOVICUS II. Tres Lotharii filii hunc in modum paternas ditiones diviserant, ut *Ludovicus II.* Italiam cum Imperiali diademate, *Carolus* Burgundiam, *Lotharius* Austrasiam teneret, cujus præcipua provincia nomen *Lotharingiæ* ab ipso hausit.

At universi hi sine superstite prole defuncti finem imposuere stirpi *Carolinæ in Italia.*

4. CAROLUS II. *Calvus* Franciæ Rex Ludovici Pii filius præ fratre suo Ludovico rege Germaniæ Imperatoriam coronam a Pontifice adeptus est. An. 875. Veneno obiit A. 877.

* Carolomannus Ludovici *Germanici filius Lotharingiam tum cepit & Italiam, quem alii Imperatorum numero adjungunt.*

5. LUDOVICUS III. *Balbus* Crassi filius Corona Imp. insignitus a PP. Joan. VIII. An. 878. Lotharingiam, pro qua contendebant Galli, Germanique, Ludovi-

dovico tandem Germanico permiſit, quo ex tempore Imperii Germani provincia ſemper extitit. Ejus filiis e priori matrimonio adverſus leges contracto natis ſceptro interdictum eſt : e juſtis vero nuptiis *Carolus ſimplex*, nonniſi a patris obitu in lucem editus eſt. Ea-propter Imperiale decus ad Carolinos Germaniæ reges transmiſſum eſt.

6. CAROLUS III. *Craſſus* Ludovici Germanici filius. Tandem re adverſum Normannos infeliciter geſta, a Germaniæ proceribus deſertus, mendicato vixit, donec ab Arnulpho quidpiam annui cenſus impetrarit. Sepultus eſt in Monaſt. Augiæ divitis in Suevia.

7. *ARNULPHUS * Carolo Craſſo exautorato Itali præſertim Langobardi a Carolinis deficiunt. Fons hic fuit tot Italicarum expeditionum aliquot deinceps ſeculis ſuſceptarum. Multique fuere in Italia, qui Auguſtos honores & Coronam ſibi ſumſere, aut a Pontificibus etiam extorſere: qui ſintne Imperatores dicendi, haut fori noſtri eſſe putamus. Interim Imperatorum regumque Romano-Germanicorum ſeriem teximus.*

Itali autem fuerunt fere ſequentes. Berengarius I. *Dux Forojulienſis an.* 888. & 898. & 903. Guido *Dux Spoleti a.*891. Lambertus *ejus filius a.* 892. Ludovicus *Provinciæ ſeu Burgundiæ rex an.* 900. Rudolphus *Burgund. rex an.* 923. Hugo *Comes Provinciæ an.* 926. Arnolphus malus *Dux Bavariæ an.* 932. Albericus *Tuſciæ Comes an.* 940. Lotharius *nepos Hugonis an.*945. Berengarius II. *Dux Forojulii. an.*950. *quem Otto Magnus Imp. libertate exuit an.* 964. *turbisque finem impoſuit.*

ARNOLPHUS ergo filius naturalis Carolomanni olim Italiæ regis a Germaniæ proceribus *Rex* ſalutatur an. 887. Coronatur *Imperator* a Formoſo PP. an.896. Zvventibaldum Moraviæ regem armis domitum Du-

catu Bojohemiæ impertit a. 890. Sed hic gratiæ loco Hunnos ad arma in Germanos ſtringenda ſollicitat. 893. Propinato tandem ſibi in Italia veneno lente conſumtus Imperator vitam poſuit Oetingæ in Bavaria an. 899. tumulatus in Monaſt. S. Emmerami Ratisponæ.

8. LUDOVICUS IV. *Rex Germaniæ*, filius Arnulphi ſeptem tantum annorum. Quo Principe Germani Hunnis vectigales ſunt facti. An. 910. Obiit an. 912. Poſtremus ipſe *in Germania Carolinæ* familiæ ſurculus.

II. Saxones Impp.

1. Proceres quidem *Ottonem* Saxonum Ducem in ſpem regni vocabant. Sed is autor fuit, ut eligeretur *Germanorum Rex* CONRADUS I. Francorum Orientem ſpectantium Dux, genus ſuum ducens a Conrado Arnulphi Cæſ. filio ut quidam putant. Suſceptis dein cum Henrico Aucupe Ottonis filio inimicitiis ſiniſtro prælio fuſus diſceſſit Conradus. Mori tamen ſe ſentiens eidem Aucupi regni inſignia deferri præcepit. A. 918.

2. HENRICUS I. *Auceps: Rex Germaniæ.* Is diſciplinam militarem inter Germanos reſtituit, ludis equeſtribus inſtitutis, quos vulgus *Torneamenta*, Thurnier, appellat. an. 923. Marchias conſtituit, ſeu Limitaneas Imperii Præfecturas, Marchionatum nempe Brandenburgenſem, Auſtriacum &c. an. 927. Tum Vandalis, Sclavisque Balthici maris accolis, inſignes palmas detraxit. Hunnorum impetus fregit, Imperiumque tributi ſolutione liberavit. Defunctus an. 936.

3. OTTO I. MAGNUS, Aucupis fil. Imperator. Rem habuit cum fratribus filioque, & Henrico Bojorum Duce, quos omnes in ordinem redegit, una cum Hunnis ingenti prælio ad Lycum prope Auguſtam Vindelicorum deletis. Vid. *Cap. 3. §. 2. de Hunnis* n. 6.

Berengarium quidem Italiæ regem in Bavariam relegavit, Coronam Imperatoriam, a Joanne XII. PP. accepit,

cepit, eidemque Italiæ Principatum confirmavit an. 961. Sed paulo poſt cum Joannes PP. Berengarii viribus impar cum illo paciſci cogeretur, Otto gravi Schiſmate Eccleſiam afflixit, Antipapa conſtituto Leone VIII. an. 963.

Filio ſuo Ottoni Theophaniam deſpondit Nicephori II. Græcorum Imp. gnatam, quæ dotem ipſi attulit inferiorem Italiæ partem ſeu regnum hodie Neapolitanum an. 971. Obiit an. 973.

4. OTTO II. Imper. Lotharingiam a Lothario tum Franciæ rege tentatam denuo Germanico Imperio aſſeruit. An. 978. Cum Græcis, qui Apuliam dotis loco olim conceſſam in contentionem vocabant, vario marte conflixit. E vivis abiit an. 983.

5. OTTO III. Imp. Boleslaum Polonorum Ducem regis nomine & honore auxit. Ob. 1002.

6. HENRICUS SECUNDUS hoc nomine *regum* Germ. *Imperatorum* vero *Primus*, cognomine *Claudus* vel *SANCTUS*, Dux Bojariæ Henrico aucupe Proavo natus Epiſcopatum Bambergenſem inſtituit an. 1007. Robertum Galliæ regem conveniens, dum aulici de ritu ſalutandi deliberant, prior Imperator regem ſalutatum accedit. Eo colloquio uterque piiſſimus rex pacem Germanos inter Francosque compoſuit, quæ raro exemplo quingentis poſtea annis feliciter tenuit.

Thoro ſuo adjunxerat Chunegundem e Ducum Moſellanorum proſapia: quam tamen ſub extremam vitæ lineam propinguis ejus Virginem reddidit. An. 1024.

III. Franconici Impp.

1. CONRADUS SECUNDUS Germaniæ *regum* ac *Imperatorum Primus*, *Salici* cognomine. Duxerat ſibi

ſibi Giſelam Rudolphi Burgundorum regis filiam: unde jure ab eodem ſcriptus eſt regni Burgundici heres an. 1032. *Vid.* Cap. 3. §. 2. de *Burgundionibus*. Italos jugum detrectantes compeſcuit an. 1026. & iterum an. 1032. Miſeconem Poloniæ Ducem parte provinciarum multat an. 1032. Ob. an. 1039.

2. HENRICUS III. Rex, Imperator II. *Niger* dictus. Beneventum cum agro circumjecto Pontificiæ ditioni adjunxit, An. 1052. viciſſimque ab eo accepit ditiones Epiſcopatus Bambergenſis, quæ a S. Henrico Imp. Romanæ Eccleſiæ factæ erant vectigales. Obiit An. 1056.

3. HENRICUS IV. Rex. Imperator III. Hic graviſſimum Schiſma conflavit an. 1074. quod in *Hiſtor. Eccleſ.* proſequimur L. 2. c. 5. §. 5. Deficiente ab eo Germanorum parte, Saxonibus præcipue, Suevis vero pro eo ſtantibus, inteſtinis armis afflicta eſt patria. *Rudolphus* Sueviæ Dux, rex adverſus Henricum electus in acie cecidit: An. 1080. *Hermannus* Lucelburgicus in ordinem coactus an. 1088. Wratislao Boëmiæ, Poloniæque Duci regium honorem Imperator decernit an. 1086.

Denique Henricus filius in patrem arma convertit, eumque purpura exuit. Vita miſer defunctus eſt. An. 1106. Cadaver ejus, tanquam excommunicati, juſſu filii refoſſum ipſo quinquennio tumulo caruit.

4. HENRICUS V. Rex, Imperator IV. Odia in Pontifices non modo non poſuit, ſed auxit. *Mathildæ* Tuſciæ Comite defuncta, quæ heredem ſcripſit Romanam Eccleſiam, Henricus Tuſciam ſibi aſſertum ibat. an. 1115. Bellum inde natum centum fere annis tractum eſt. Tandem manus dedit Henricus, inque Comitiis Wormatienſibus An. 1122. *Inveſtiturarum* jure ceſſit:

cessit: quod dein Concilio gener. Lateranensi confirmatum est an. 1123.

5. LOTHARIUS II. Imp. Dux Saxoniæ. Codicem Juris Civilis hactenus amissum reperit ac promulgavit sub an. 1135. jussitque in Scholis legi. Quod ipsum mox Summi Pontifices fecerunt de Decreto Gratiani seu SS. Canonum an. 1151. Obiit an. 1137.

IV. Suevici Impp.

1. CONRADUS III. Rex. Lotharius quidem Henrico Superbo Saxonum Bojorumque potentissimo Duci Imperii insignia moriens transmiserat. Proceres vero ab ejus potentia sibi metuentes Conradum hunc Suevum regem salutant. Henricus nihilominus suis fretus viribus bellum parat, sed Bojariæ Ducatu exuitur. Eadem fortuna usus est filius Henricus Leo. Utriusque caussam armis agendam suscepit etiam Superbi frater Welphus; sed & ipse deditione oppidi, cui inclusus obsidebatur, facta in potestatem regis venisset, nisi ingeniosus uxoris amor libertati eum reddidisset. Conventum erat in has leges, ut dedita arce liceret mulieribus exire salvis, & quidquid sarcinarum suismet humeris portare valerent. At illæ relictis impedimentis maritos dorso susceptos extulere, interque hos per suam conjugem etiam Welfu evasit an. 1140. Res deinde ita compositæ sunt, ut *Leoni* permitteretur Saxonia: *Gertrudi*, viduæ Henrici superbi, Bojaria: *Welfo* Tuscia & Sardinia.

* *Eadem tempestate duas in factiones scissa est Germania, quarum altera* Guelforum, *altera* Gibellinorum *erat. De origine nil certi constat. Eæ postmodum per Italiam latius serpere cœperunt mutuisque odiis* Guelfi pro Pontifice, Gibellini pro Cæsare *conflixerunt. Post magnum interregnum utraque sen-*

sensim evanuit, relictis tantum quibusdam discordiarum seminibus.

Tandem rebus adversus Turcas & Sclavos minus e sententia gestis, veneno obiit a. 1152.

2. FRIDERICUS I. *Ænobardus* seu *BARBAROSSA* vulgo der Rothbart, Imperator, Conradi ex fratre nepos Schismate inter Sacerdotium ac Imperium concitato an. 1157. assiduis armis Italiam, Longobardiam, maximeque Mediolanum concussit, illudque solo æquavit an. 1162.

Henricum Leonem iterum proscripsit; *Bavariam Ottoni Magno* Wittelspachio; *Saxoniam* Bernardo Ascanio, seu Anhaltino Principi subjecit an. 1180.

Ceterum diris Ecclesiasticis non semel devotus, ad extremum cum Pontifice Alexand. III. in gratiam rediit. In expeditione vero adversus Turcas suscepta Cidno flumine haustus vitæ finem imposuit an. 1190.

3. HENRICUS VI. Rex, Imperator V. Nupsit cum *Constantia* Rogerii Siciliæ & Apuliæ (hodie Neapolis) regis filia. Hincque Neapolitanum ac Siculum regna Sueviæ Ducibus acquisivit, multorum deinceps motuum ansam. Veneno sublatum esse ajunt a sua ipsius conjuge an. 1197.

4. Fridericus Henrici filius annum tum agebat ætatis quintum. Regem ergo puerum dedignati Germani *Philippum* alii Ænobardi filium, alii OTTONEM Brunsuicensem Henrici Leonis filium divisis votis reges optant. *Philippus* dum Beatricem filiam Ottoni pacis conciliandæ caussa in matrimonium collocat, ab Ottone Palatino Wittelspachio ex insidiis necatur, querente nimirum, eandem sibi jam ante fuisse desponsam. Itaque *OTTO IV.* Imp. solus rerum potitur. an. 1208. At simul ac optimum Pontificem Innocentium III. injuriis exciperet, is eum e Christianorum cœtu sub-

submovit, omnisque Germania homini nuncium misit, an. 1212.

5. FRIDERICUS II. Imp. Henrici VI. e Constantia Sicula filius, Consilio ac fortitudine nulli Imperatorum secundus, secunda etiam fortuna usus, dum Romanæ Ecclesiæ autoritatem sartam tectam servavit. Huic vero cum fidem fefellisset, anathemate ipsi a tribus Pontificibus dicto, solio motus est. An. 1245. Et anno demum 1250. veneno extinctus.

V. Magnum Interregnum.

Quæst. *Quid mihi de Interregno notandum esse ducis?*

℞. 1. Exautorato Friderico II. ad Regios honores vocati sunt aliqui, sed qui aut noluerunt aut nequiverunt restituendæ Germaniæ esse pares.

Henricus Raspo Thuringiæ Comes Provincialis seu Landgravius an. 1248. cæsus.

Conradus Sueviæ Dux & rex Siciliæ a Manfredo notho fratre suo veneno interemtus. an. 1254. cujus filius *Conradinus* a Carolo Andegavensi capite plexus est Neapoli an. 1269.

Wilhelmus Comes Hollandiæ occisus a Frisiis a. 1256.

Richardus Angliæ rex, res accisas cernens, Germanos valere jussit an. 1259.

Alphonsus Castellæ rex. Hic audito Rudolphum Habspurgicum a Germanis electum esse, Germaniam petiturus erat nunquam alias sibi visam, ni summus Pontifex eum domi continuisset.

2. Notabis etiam tempus, quo interregnum tenuit. Ab exautoratione Friderici II. an. 1245. ad Rudolphi Habspurg. electionem fluxere anni 28. A morte vero ejusdem Friderici, obiit an. 1150. nonnisi anni 23.

Diffi-

3. *Diffidationes* horum temporum injuria subortas §. 3. dicemus.

§. II.

Bella & negocia externa.

I. Nordmanni.

1. Nordmannos e Dania progressos accepimus Gallica, Britannicaque litora habuisse infesta sub annum 800. Inde ab an. 841. misere totam afflixere Galliam. Nec mitius cum Italia, Inferioreque Germania actum est, donec an. 912. a Carolo Simplice Gal. R. in fœdus recepti eam Galliæ oram acceperint, quæ a fluvio Epta ad mare porrecta hodieque Normannia audit. De quibus nonnulla diximus in *Hist. Eccles.* L. 2. c. 4. §. 3.

2. Hi postea Calabriam, Apuliamque (hodie Regnum Neapolitanum) ac demum Siciliam sui juris fecere. Cum enim ditiones illæ a Belisario olim Græcorum Imperio vindicatæ seculo nono a Saracenis potissimum occupatæ fuissent, an. 1002. quadraginta non amplius Normanni Hierosolymis reduces, & a civibus Salernitanis invitati, tam dextre Saracenorum impetus fregerunt, ut Calabres ejusmodi Normannorum copias majores votis omnibus expeterent. Forte id temporis accidit, ut intestinum dissidium in Normannia Francica arderet. Quare Giselbertus summo inter Normannos loco natus (alii Tancredum ajunt cum 12. filiis hanc expeditionem suscepisse: id quod tamen viginti post annis factum est) Italiam petit an. 1016. Ibi primum sub Beneventanis Capuanisque Ducibus stipendia merebantur; Sed non diu fuit, cum inferiorem Italiam omnem juri suo obnoxiam reddunt. An. 1041.

3. Hi

3. Hi itaque Normanni Comitum primo, mox Ducum honore aucti sunt a Nicolao II. PP. sub an. 1060. quo tempore *Robertus Guiscardus* e Normannorum gente Calabriæ summa cum potestate præerat, qui *Siciliam* Saracenis ereptam finibus suis adjunxit.

4. Guiscardi frater *Rogerius* an. 1130. Regio diademate ornatus est a Legato Anacleti, seu Petri Leonis Antipapæ: quod tamen ratum habuere summi Pontifices. Is ipse in Africam, Græciam, & Illyricum victricia arma circumtulit.

5, Ex ejus posteris Constantia Henrico V. Imp. nupta est. Vid. supra f. 356. Jure igitur Henricus Tancredum spurium regna illa ambientem loco movit, ac Neapolim cum Sicilia Suevicis Ducibus asseruit. An. 1194. Henricum secutus est Conradus, a *Manfredo* spurio suo fratre veneno sublatus. A. 1254. Hunc tyrannum, Manfredum inquam, ut statione pelleret Urbanus IV. PP. *Carolum Andegavensem* Ducem Ludovici sancti Galliarum regis fratrem his regnis donavit. An. 1264. Verum inscio Pontifice superstes erat Conradi Suevi heres filius *CONRADINUS*, qui, dum paternum regnum coacto exercitu sibi asserere laborat, re infeliciter gesta captus a Carolo, capiteque plexus est in foro Neapolitano an 1269. Eandem cum illo fortunam subiit *Fridericus* Austriacorum Principum e Badensibus postremus. Conradinus cum jam securi cervicem præberet, in ipso pegmate *Petrum Arragoniæ* regem regni sui Neapolitani heredem dixit.

6. His, quos dixi, modis Neapolis & Sicilia a Normannis ad Suevos translata est, a Suevis vero ad Andegavenses, & Arragonios, sed divisim. Etenim *Petrus Arragonius*, ut Siciliam a Gallis vacuam redderet, suis præfectis clam in mandatis dedit ut eodem die 30. Martii, eademque hora, qua ad Vespertinas in Ecclesia preces signum de more dabatur, omnes Galli trucidarentur; Quæ laniena *VESPERÆ SICULÆ*

dici ſolet, patrata. a. 1282. Ex eo tempore Neapolis & Siciliæ regna diviſa ſunt usque ad a. 1506. Ita ut *Galli Neapolim, Hiſpani Siciliam* tenerent.

7. Fridericus Neapolitanorum regum poſtremus ſolio dejectus eſt ab Ferdinando Cotholico Siciliæ & Hiſpaniæ rege, ipſo Ludovico XII. Galliarum rege adnitente. An. 1501. Totaque demum Neapolis Siciliæ adjuncta a. 1506. ad Reges Hiſpanos e gente Auſtriaca tranſiit, utut Franciſcus I. omnem lapidem moverit, ut tam nobili provincia Carolum V. Imp. Auſtriacum ſpoliaret.

8. Demum Carolo II. Hiſpaniæ rege Auſtriaci ſanguinis ultimo vita functo an. 1700. Neapolis & Sicilia cum univerſa adeo Hiſpania reliquis Auſtriacis deberi videbatur, verum Gallicis conſiliis, armisque id denique actum eſt, ut Hiſpania Andegavenſibus cederet, Neapolis, Sicilia, & Mediolani Ducatus Auſtrio Carolo VI. Imp. Quod etiam pace inter utrumque, Auſtriacum & Andegavenſem, juncta nuperrime confirmatum eſt. An. 1725. Anno vero 1736. nova pace utraque Sicilia Carolo Andegavenſi Philippi filio conceſſa eſt pro Ducatu Etruriæ.

II. Turci.

Expeditiones ſacras, quæ in Turcos & Saracenos hoc ævo adornatæ ſunt, regnumque Jeroſolymæ per eas inſtauratum, denuoque amiſſum, in *Hiſtoria Eccleſiaſtica narramus.* L. 2. c. 5. §. 2.

III. Sclavi.

Sclavi quidem populus duplex ſemper fuere. Nam alteri e Septentrione profecti in Thraciam ſub An. 551. nomen *Sclavoniæ* impoſuere parti Illyrici, quæ Savo, Dravo, Iſtroque Fluviis cincta Sclavonia etiamnum audit. Alteri vero in plagis Germaniæ ſeptentrionalibus

bus residentes medio præsertim ævo rapinis sibi nomen fecerunt, cum jam Vandali, Gothi, Langobardi, Normannique ex illo terræ angulo essent dilapsi. Occuparunt autem oram maris Suevici, hodie Balthici, Ducatum Megalopolitanum, Pomeraniæ, Livoniæ, Poloniæ, Lithuaniæque. Quorum irruptionibus ut moram injiceret Henricus Auceps, Marchionatus Brandenburgensem, Misnensem &c. objecit an. 927. A reliquis vero Imperatoribus plane vectigales sunt facti. *Vide* quæ de Borussia dicimus in Geographia.

§. III.

Politica.

* *Summi momenti est Politica puncta hujus ævi non nescire, quo in Franco Germanos collatum a Pontifice Imperiale nomen ac diadema varias deinde vices subiit. Itaque quinque Capita hoc loco adamante notanda sunt.* 1. An Italia jure a Summis Pontificibus teneatur? 2. An Pontifex autor dicendus sit renovati in Carolo M. Imperii? 3. Quis fuerit Imperatorem deinceps creandi modus? 4. Quæ Imperatoris potestas? 5. Quæ potestas Ordinum Imperii?

I. *An Italia jure sit Pontificis?*

℞. In hanc rem jam attulimus nonnulla *Cap.* 2. §. 1. Q. 2. Quibus in memoriam revocatis hæc insuper adjunges.

1. Certum est, cum Langobardi tam Exarchatui, quam reliquæ Italiæ diripiendæ imminerent, imploratam esse Græcorum Imperatorum opem nec tamen impetratam. Ergo Italia ab Imperatoribus Orientis relicta merito defensa est a Francis.

2. Ut cetera deessent, defendi debuit Italia tanquam sanæ fidei fons & caput.

3. Si potuit Francus Jure Italiam occupare, potuit jure eam aut sibi servare, aut Romanæ Ecclesiæ subjicere. Et, cum res ab exemplis lucem accipiant, prodam unum alterumve. Hac enim tempestate, cum Angli, Batavi, Dani, Sueci, Borussi Acatholici varias Orientis, Africæ, Americæ plagas occuparunt (supponam interim, id eos jure fecisse) quis eorum, obsecro, patienter audiret Catholicorum quendam in dubium revocantem, an illas plagas possint donare vel regi cuipiam, vel etiam suis præconibus? Non nescio ex Jure Publico *hodie* decerni, regem Bona regia, **die Cron=Güter**, alienare non posse: sed etiam hoc me non fugit, ante mille annos aliud, ac hodie summum Jus obtinuisse.

4. Batavorum septem provinciæ sine ulla controversia fuere Hispanis regibus rebelles: & tamen plerique eorum rempublicam (etiam antequam Hispani eam liberam esse juberent) jure constitutam esse affirmant; eo nomine, quod ab Imperio Germanico nihil opis præstitum fuerit Hollandis. Cur ergo de Italia aliter sentiendum existimemus?

5. Si illi omnes Imperio reddendi sunt, qui ejus jugum excusserunt, cur non redditur *Britannia*, quæ Præfectos Romanos occidit, ut sese in libertatem assereret? Cur non redditur *Dania* Imperio olim si non subdita, certe vectigalis? Cur non *Borussia*, *Livonia*, *Helvetia*? *&c.*

6. Denique hæretici solam Pontificiam ditionem Imperio subjectam volunt. Obsecro cur non æque Neapolitanum, ac Siculum regna? Cur non Venetiarum potentissimam rempublicam. Certiora habemus, & antiquiora monimenta, quæ ostendunt, Ditiones Pontificias Romanæ Ecclesiæ subjectas fuisse ab Imperatoribus Francis, Germanisque; cum interim Neapolita-

litanum regnum, aliaque vi potius abrepta fuerint Imperio.

7. Nimis impudens est, cum affirmare volunt hæretici, Pipinum, Carolum Magnum, Ottonem Magnum, Henricum sanctum, Rudolphum Habspurgicum, ac ceteros summi nominis Cæsares, præsertim ex Augustissimo sanguine Austriaco, *temere*, *male*, atque *injuria* partem Italiæ Pontificibus concessisse, ac concedere.

8. Sed ajunt, Ottonem & Henricum sanctum sibi reservasse jus suum in Urbem Romanam, reliquamque Italiam? ℞. Ita quidem, sed quale demum Jus? Hoc nimirum, ut venientibus in Italiam alimenta præberentur; cui addunt alii, ut præfecturarum munia in locis nonnullis a Cæsare Italiam ingressio possent distribui; illis nempe locis, quæ feudi jure ad Imperium spectabant. Adde, quod Imperatores Præfectum quendam Romæ habuerint, uti nunc habentur *Consules* in alienis ditionibus.

9. Denique ajunt, Pontificem Italorum animos Græcis Impp. reddidisse infensos, ac seditionis fuisse autorem? ℞. 1. Etsi Helveti, Batavique rebellarint suis regibus, nemo tamen hæreticorum asseveraverit, eos possessione sua, centum annos vix tenente, esse dejiciendos. Cur ergo dejiciatur Pontifex mille fere annorum possessor? ℞. 2. Calumnia est hæreticorum, qui Pontifices seditionis reos faciunt: Profecto Romani, omnesque Itali, cum accepissent, a Græcis denegata contra Langobardos auxilia esse, jam tum novum sibi Principem constituturi erant, nisi Gregorius III. PP. ab hoc eos consilio dimovisset. *Vid. Baronium, Pagium in Critica &c.*

10. Ad extremum ipsi Orientis Imperatores, utut limis oculis aspexerint Francorum regum succrescentem potentiam, Romanis tamen Pontificibus eorum ditionem non inviderunt, nec eam

ab illis repoposcerunt. Cur ergo audiamus reposcentes hæreticos?

11. Ipsi Germani Imperatores, &, qui nunc moderatur, Gloriosissimus Franciscus I. Ditiones Pontificias a Pipino donatas ratas, & sartas tectas habent. Si hæc Imperator cum toto Imperio Catholico, quis non rideat exiguam imperii partem, manum inquam hæreticorum, Pontificem mendicato vivere volentium.

12. Quid quod Arnaldus hæreticus idem sentiens atque declamans, a Friderico II. Cæsare, etsi Pontificibus alias non nimis æquo, tamen rogo addictus sit. A. 1155. Is ipse Arnaldus fuit, qui populum Romanum excitavit, ut abjecto Pontificis Imperio Senatui subesse mallet; qua seditione Lucius II. fuga se recipere coactus est, aliique post eum Pontifices usque ad An. 1188. per annos fere 50.

II. *An Carolus jure belli Imperator?*

Hæreticis placet, Carolum M. subactis tot provinciis ipsaque Italia Imperii olim sede, jure belli sibi assumsisse Imperatoriam Majestatem. Verum

℞. 1. Si Romæ occupatio Cæsarem facit, cur non potius Alaricum Visigothorum principem, cur non Gensericum Vandalorum regem, non Odoacrem regem Herulorum, aut Theodoricum Ostrogothorum, non denique Langobardos reges Imperatores dicunt.

2. Si reponant, eos contra fas Italiam expugnasse; id tamen dicere nequibunt de Pipino Caroli Magni parente, qui dudum ante Carolum Exarchatum velut Imperialem ditionem justis armis subjecit?

3. Et Pipinus quidem videbatur Augustos honores majori jure sibi sumere. Italiam enim tenebat a legitimo Domino, nempe Græcis Imperatoribus, desertam, suoque qua ære, qua sanguine redemtam, &

NB.

NB. nullius juri tum obnoxiam. At Carolus Italiam tenebat tum temporis (quod ad Exarchatum &c. attinet) non suam, sed jam alienæ ditionis factam, a Pipino nempe donatam Pontifici. Ergo Italiæ ac Romæ, tanquam alienæ ditionis, possessio nihil juris peperit Carolo ad Augustos honores. Adde quod Carolus nunquam possederit Romam & Exarchatum, qui jam inde a Pipino Romanæ Ecclesiæ mandatis stabant.

4. Si amplitudo ditionum sufficit, ut quis se Cæsarem venditet, Hispaniæ Principes Imperatores erunt. Id ipsum volent quivis alii etiam Acatholici Principes: quod sane animo agitasse fertur Gustaphus Adolphus Seciæ rex, quem ajunt Augustos honores spe jam devorasse, cum perrupta Boëmia ac Bavaria Austriæ immineret, nisi quantocius ex ea pedem referre coactus fuisset.

An populus Romanus Imperatorem crearit Carolum?

℞. 1. Ante quam Roma cum Exarchatu Pontificio Juri subderetur, potuit forsan Populus Romanus Augustum salutare. Sed cum ipse populus sui juris non esset, sed subditus Pontifici, qua demum ratione potuit spreto Pontifice Principem alium sibi legere.

2. Ac profecto etiamsi id voluisset Populus, Carolus minime passus fuisset, cum ipse Pontificem Romæ Dominum esse constanter voluerit, ac Pipini donationem bis suo calculo comprobarit.

3. Quod ergo populus fecit, non aliud fuit, quam festivæ acclamationes & salutandi formulæ.

An demum Pontifices sint autores Imperatoriæ dignitatis renovatæ?

Hæretici quidem non diffitentur Leonem III. PP. inaugurationis hujus fuisse instigatorem; negant tamen inaugurationem Pontificiam quidquam ad rem facere; sed nonnisi pium ritum esse contendunt. At vero

℞. 1. Carolus *reapse* obtinuit Imperatoris dignitatem, non *ad speciem* tantum: illam autem non tribuit jus belli, nec populus Romanus; ergo aliter fieri nequit, quam ut summus Pontifex vera tanti honoris caussa fuerit,

2. Basilius Macedo Orientis Imperator missis legatis cohortatus fuerat Ludovicum II. Occidentis Imperatorem Franco-Germanicum, ut a titulo *Basilei*, seu Imperatoris sibi temperaret. Ad explodendam vero Græci petitionem Ludovicus non alio magis argumento usus est, quam quod majores sui a Romanis Pontificibus ad id muneris essent electi, coronati, unctique an. 871.

3. Evolve omnia tabularia Germaniæ, Italiæ, Galliæque, in ipsis Imperatorum literis ab Arnulpho usque ad Maximilianum I. (tempus id est annorum 600.) editis invenies, illos solos Imperatores dici, qui coronam nutu Pontificis acceperint; ceteri omnes nonnisi reges Germaniæ dicuntur tum a scriptoribus, tum a se ipsis. Primus fuit Maximilianus, qui corona destitutus Imperatorem se dixit, atque id ipsum tamen annuente Pontifice. Jam igitur ipsi Cæsares per annos 600. nec dicuntur, nec dici volunt Imperatores, nec Imperatoria insignia usurpant, nisi omnia acceperint a Pontifice: nostri vero hæretici clamant, Pontificis coronationem ad Imperatorios honores conferendos nullius momenti extitisse. Obsecro tandem, cuinam plus fidei debetur, an sexcentorum annorum Imperatoribus, an heri natis hæreticis.

III. *Mo-*

III. *Modus creandi Imperatorem.*

* *Sunt equidem qui ſeptemvirum Germanici Imperii ſeu Electorum Collegium a Gregorio V. PP. conſtitutum eſſe velint. Verum nonnullis ea opinio difficultatibus patet. Quare nos certiora ſequemur.*

1. Caroli M. poſteri *hæreditate* ceperunt Imperium, ita tamen, ut auguſtæos honores Papa impertiret.
2. A Ludovici II. morte cum dubium videretur, Germani, an Franci ſuccederent, *arbitrium Pontifex* tulit, elegitque Francos.
3. Carolum Craſſum Germaniæ Proceres non tam exautorarunt, quam deſeruerunt, optantes ſibi in ejus locum Arnulphum regem, & poſtea Imperatorem.

4. Deficiente in Germania Caroli M. proſapia tranſitum eſt ad Saxones; hinc ad Francones; dein ad Suevos. Ita, ut defuncto forte Imperatore coirent quidem ſatrapæ de rebus deliberaturi, & quaſi electuri. Sed ea Electio nil fere majoris momenti habuit, ac olim apud Romanos, deficiente republica, ſuffragia Senatus. Etenim filii Parentibus ſuccedebant, aut deficientibus filiis fratres ac propingui, aliquando etiam ſpurii. Etſi jam tum nonnulli Germaniæ Principum altius ſuſtulerint criſtas, & novis Cæſaribus non parum negocii ſæpe faceſſiverint.
5. An. 1077. Cum Henricus IV. Franco a Gregorio VII. diris devotus eſſet, Proceres annuente Pontifice, legem rogarunt, ut e *quavis* deinceps *Familia* ſeu gente *Germana* regem eligere fas eſſet. Ac reapſe tum electus eſt Rudolphus Suevus, Francique relicti ſunt. Atque hæc lex poſt magnum interregnum maxime viguit.

6. Initio quidem quibusvis Provinciarum præfectis, Ducibus, Comitibus &c. integrum erat ad electionem confluere. Sed paulatim eam poteſtatem ſibi arroga-

runt soli potentiores. Prima mentio Electorum *distincte* fit in Electione Friderici I. quam peregisse narratur *Rex Boëmiæ*, *Dux Austriæ*, *Dux Bavariæ*, *Landgravius Thuringiæ*, & nonnulli alii. An. 1210. Electione Alphonsi Hispani defuncti sunt *Archiepiscopi Coloniensis*, *Moguntinus & Trevirensis*, *Rex Boëmiæ*, *Comes Palat. Rheni*, *Dux Austriæ*, *Dux Sueviæ*, *Dux Poloniæ*, *Marchio Brandenburg*. *Dux de Meran*, *Dux Brabantiæ*, *Landgravius Thuringiæ*, *Marchio Misniæ*. an. 1258. Vide Pagium ad an. 996.

7. Ab illo tempore eligendi potestatem soli *Septemviri* sibi asseruerunt. Nempe *Moguntinus*, *Coloniensis*, ac *Trevirensis* Archiepiscopi, *Rex Boëmiæ*, Comes *Palatinus*, Dux *Saxoniæ*, & Marchio *Brandenburgicus*. Id quod amplissime confirmatum est Bulla aurea a Carolo IV. edita 1356.

IV. *Quæ Imperatoris potestas?*

℞. 1. Summa, nec legibus constricta. Totum Imperium, omnesque ditiones Germanicæ fisco Imperatoris serviebant. Nec ei opus erat ditione aliqua paterna, sed quoquo pedem intulisset, Dominus erat. Imo paternas ditiones recens electi Imperatores plerumque aliis concessere.

2. Attamen augescente Procerum potentia cautos oportuit esse Imperatores, ne quem potentiorum satraparum offenderent. *Donec Bulla aurea*; & postmodum occasione hæreseos natæ *Capitulationes* Imperatoriæ potestati nervos inciderint.

V. *Quæ Procerum potestas?*

℞. 1. Initio nonnisi Præfecti erant provinciarum, ac Vicario nomine jus dicebant, quandocunque liberet loco movendi a rege.

2. Discordiis vero inter Ludovicum Pium, filiosque & eorum posteros sævientibus satrapæ suarum rerum

sata-

ſatagentes id effecerunt, ut ſpartam ſuam hæreditatis jure in poſteros mitterent. Sed vel ſic a Cæſaribus pro lubitu ejecti ſunt, ſi quid piaculi admiſiſſent.

3. At Anarchia illa ſive *interregno magno* obtinente immane quantum aucta eſt Procerum poteſtas. Nam eodem tempore *Diffidationes*, das Fauſt-Recht, uſu receptæ ſunt. Quivis enim nobilis, civitas quævis in vicinos ſuos arma corripuit, totoque Imperio nil niſi ingens latrocinium graſſabatur. Nec defuere Nobilium quam plurimi, qui ad incitas redacti in ſummis montium artes conderent, e quibus facta manu in vicinum agrum irrumperent, & latrocinia exercerent. Hunc in modum infirmiores a potentioribus oppreſſi ſunt.

4. Eodem tempore Italia pleraque Germanis valere juſſis aut ſuos ſibi Duces creavit, aut liberam vitæ ac regiminis methodum arripuit.

5. Statuum poteſtas crevit deinde ex aurea Bulla. Sed multo amplius ex Hæreſi Lutherana: quæ cauſſa fuit *Capitulationis*. Timentes enim præſertim Acatholici Germaniæ Principes, ne a Potentiſſimo Carolo V. ad reſtitutionem Bonorum Eccleſiaſticorum adigerentur, aut ſuis omnino ditionibus exuerentur, certam eidem, tunc eligendo, regendi normam præfixere, An. 1519. Eamque *Capitulationem* dicimus.

§. IV. Viri illuſtres.

1. *Guido* Aretinus monachus Benedictinus immortaliter de Muſis meritus eſt, cum cantandi leges ſex illis ſyllabis complexus eſt, *Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La.* An. 1022.

2. Ad hæc tempora refertur Origo *Romanenſium fabularum*, vulgo Romanzen, ab Arabibus primum confictarum. De quibus libellum ſcripſit Dan. Huetius, latine editum Hagæ Comitum An. 1638.

3. *Aver-*

3. *Averroes* Arabs Philosophus docuit Cordubæ in Hispania, extinctus Marochii an. 1206.

4. Eundem secutus est *Avicenna* Medicus Arabs atque Philosophus.

5. Joannes *Tzetzes* poëtaster Græcus, hoc nomine hic memorandus, quod fabulam de Belisarii excæcatione commentus fuerit sub an. 1250.

CAPUT V.

Post Interregnum a Rudolpho I. Habspurgico ad Franciscum I.

§. I.

Imperatores a Rudolpho ad Franciscum I.

* *Binos hic Cæsarum Ordines constituemus:* primo *loco enarraturi illos, qui e variis familiis electi fuerunt.* Altero *hos, qui ab* Alberto II. *in hunc diem fuere Imperatores, omnes ex Augustissima gente* Austriaca.

Primus Ordo Cæsarum variorum.

1. Miseræ illius Anarchiæ misertus Summus Ecclesiæ Pastor Gregorius X. hortatur primo, dein etiam acribus mandatis urget Germanos Proceres, ut his tandem malis finem imponant, atque Imperio de capite ac rege consulant. Igitur an. 1273. Rex communi calculo salutatur.

RUDOLPHUS I. *Habspurgi* Comes, tum potentia (Helvetiæ enim partem, Alsatiam, Sueviæque non minimum suis in ditionibus numerabat) tum a virtute

tute bellica, & a ſumma demum pietate commendatiſſimus Princeps.

Fuere tamen, qui pravæ libertatis tenaciores ſacramentum regi dicere tergiverſarentur, cauſſati, ſceptrum ad manum non eſſe (ita enim mos ferebat, ut ſacramentum fieret, tacto regio ſceptro) Rudolphus vero nil cunctatus arrepta Salvatoris Cruci affixi icone: *Hoc*, ait, *totius mundi ſceptrum eſto; in hoc ergo fidem juremus regi*.

Ut pacem Germaniæ tam fœde concuſſam reſtitueret, multa indulſit Principibus, quæ regiæ poteſtati adverſa Interregni tempore ſibi uſurpaverant. Ita Cæſarum poteſtas, ſed urgente ferrea neceſſitate, haud paulo accisa eſt.

Ottocarum Boëmiæ regem Imperio rebellem fregit, atque ad ſacramentum rurſus dicendum adegit. Erat olim Rudolphus Ottocari Mareſchallus: itaque pudebat eum fidem palam jurare, ſed malebat id remotis arbitris facere. Sed Rudolphus tentorii cortinas ſubito juſſit removeri, ut univerſus exercitus conſpexerit Rudolphum quidem vulgari amictu indutum, ſed ſolio inſidentem; Ottocarum vero regio cinctum ornatu, ſed in genua provolutum ac Cæſari ſupplicem.

Italiæ multis civitatibus permiſit, ut ſuo deinceps jure atque arbitrio viverent; accepta magna pecuniæ vi. Id ut faceret, cauſſa fuere Principes Germaniæ, qui vectigalia Cæſari alias pendenda ſuis ærariis intulerunt. Rudolphus ergo ſubigendæ Italiæ impar, & alias ſuſtinendæ Imperatoriæ dignitati ſat æris non habens facto melius judicavit, ab Italia haurire pecunias, quam in expeditionibus fruſtra perdere.

Cum Fridericus Badenſis ultimus Auſtriæ Dux & Conradinus ultimus Sueviæ, Neapoli a Carolo Andegavenſi capite plexus fuiſſet, Rudolphus *Auſtriam* feudi lege in filium ſuum primogenitum *Albertum* transtulit: *Sueviæ* vero Ducatum in *Rudolphum* ſecundo genitum an. 1283.

Is

Is ipse e Judiciis ac tribunalibus eliminavit idioma Latinum, omniaque Germanico absolvenda decrevit. Obiit an. 1291.

2. ADOLPHUS *Nassovii* Comes Rex Germaniæ, oneri tanto impar omnium sibi odia conscivit. Quare desertus a suis, & *Albertus* Rudolphi Habsp. filius electus: qui eum suamet manu in pugna interfecit a. 1298.

3. ALBERTUS I. Austriacus Rex Germ. Cum suis in Helvetia præfectis omnem licentiam indulget, populus injuriarum impatiens jugum excutit, & fœderis Helvetici fundamenta jacit an. 1308. *Plura videsis in Geographia nostra de Helvetis.* Tandem a Joanne Duce Sueviæ fratruele suo interemtus est An. 1308. Is enim paternas ditiones suopte marte regere optabat, cum id ei per ætatem nondum liceret. Hinc in tantas furias actus est, ut parricidio se obstringere non dubitaret.

4. *Philippus* quidem Galliæ rex ingentibus promissis sollicitat Electores, Cæsareamque sibi dignitatem conciliare laborat. Sed Pontificis minis ab eo consilio abhorruerunt Electores; cum Philippus dudum ante fuisset excommunicatus. Ergo

HENRICUS LUCELBURGICUS Rex Germaniæ VII. Imperator VI. salutatur. Langobardiam r[illegible] perat. Sed expeditio in Neapolim adornata non e[illegible]to successit.

Hunc ajunt veneno sublatum in sacris mysteriis porrecto. Sed coævi scriptores aliud genus mortis, imo alium quoque locum meminere. 1313.

5. LUDOVICUS BAVARUS Rex Germaniæ hoc nomine V. & FRIDERICUS III. AUSTRIACUS cognomine

mine *Pulcher*, dissidentibus in electione Principibus Germanis, ambo Reges salutati an. 1314.

Octo annos pro diademate pugnatum est. Commisso denique ad Müldorffium (oppidum est Bavariæ Oeno fluvio imminens) acerrimo prælio *Fridericus* in potestatem Ludovici venit an. 1325. coactusque est servato regis titulo Imperii tamen negociis abstinere. Philtro enecatus an. 1330.

Profligata illa pugna nihil in castris supererat, quo fames pelleretur, præter paucula ova. Jussit Ludovicus singulis ovum porrigi, *Svveppermanno* vero archistratego suo bina, quod ejus maxime virtute parta victoria, hostisque captus fuisset. Is egregius heros sepultus est Castellæ in Ecclesia quondam Benedictinæ Palatinatus superioris, tumuloque inscripta illa Ludovici regis verba: **Jeden Mann ein Ey, dem frommen Sweppermann gebt zwey.**

Quid negocii eidem cum summis Pontificibus intercesserit, in Historia Ecclesiæ narramus. L. 2. c. 6. §. 5.

Hactenus nullo certo loco morari Cæsares consueverant: Sed Ludovicus primum constantem regiam, Curiamque fixit Monachii.

Defecit eo tempore familia Anhaltina Electorum Brandenburgensium. Itaque Ludovicus hoc Electoratu donat filium suum Ludovicum an. 1322. quem Electoratum Bavari tenuere usque ad an. 1373.

Denique ejus uxor Margaretha Hollandiam, Zeelandiamque Bojis Principibus hereditate attulit.

Ludovicus ad extremum a Proceribus desertus est, ejusque in locum suffectus *Carolus* Boëmiæ rex an. 1346.

Obiit ipse veneno an. 1347.

* *Eduardus* Angliæ Rex, ab aliis Principibus in spem Ger-

Germanici regni vocatus ſua ſponte ceſſit an. 1347. Id ipſum fecit *Fridericus Severus* Miſniæ Marchio, accepta a Carolo IV. pecunia a. 1348. Nec aliter *Guntherus Schvvarzenburgicus* an. 1349.

6. Itaque CAROLUS IV. Imperator, Boëmiæque rex ab univerſis recipitur.

Hic cum ingentem pecuniæ modum expendiſſet, ut Electorum ſuffragia coëmeret, ad incitas redactus multis Civitatibus libertatem auro vendidit. Hæcque origo eſt multarum Civitatum Imperialium liberarum.

Telonia alias Fiſco Cæſaris debita Principibus conceſſit 1376.

Superioritatem, ſeu jus ſupremum in provincias ſubjectas permiſit iisdem principibus, quam ante non ex toto tenuerant.

Iisdem ut vectigalia pro ſe, proque ſuo lubitu & ærario indicerent, permiſit.

Regnum Arelatenſe, ſeu Burgundiæ, Gallicæ poteſtati ſubdidit velut joco, & ut ajunt, pro unica cæna 1377.

Italicos Principatus vendidit. 1369.

Denique *AUREAM BULLAM* condidit Norimbergæ an. 1356. qua Cæſarum ſuccisa poteſtate Principum arbitrio multa permittuntur.

7. WENCESLAUS Caroli filius cognomento *Malus*, Germanice der Faule.

Cum ſacro fonti admoveretur recens natus Wenceslaus, ſtercore ſuo eum fœdavit. Matremque in ipſo partu occidit. Altero ætatis anno Boëmiæ corona eidem impoſita eſt. Cum ergo ſacræ aræ inſideret, alvum in eandem exoneravit. Fœdis his ominibus multorum animos perculit.

Germaniæ Rex creatus Germaniam nunquam intravit. Hinc civitates præſertim Imperiales pernicioſo fœdere icto Principum ditionibus inhiabant an. 1380

nil

nisi an. 1388. multæ earum libertate exutæ essent a Principibus vicinis.

Joanni Galeatio Mediolani Vicecomiti seu Præfecto Ducatum Langobardicum vendidit. a. 1396.

Carnificem, quem Patrinum suum & fecit & vocavit, assidue a latere secum duxit cum Cane in hominum cædes enutrito.

Captus a Boëmis a. 1392. ab ancilla dimissus est, nudusque per Moldavam dilapsus.

Altera vice captus ac Viennæ custoditus, porrecto tamen a piscatore serico fune evasit.

Demum conspirantibus Germanici Imperii Ordinibus solemni ritu exautoratus est an. 1400. extinctus an. 1418.

* *Wenceslao suffectus est* Fridericus Brunsuicensis *sed mox ex insidiis interemtus. Tum* Jodocus *Moraviæ Marchio nonagenarius senecio morti quam Imperio maturior, ocyus occubuit.*

8. RUPERTUS Comes Palatinus Rheni. Rebus adversus Lombardos infeliciter gestis defunctus an. 1410.

9. SIGISMUNDUS Imp. Hungariæ Boëmiæque rex, Elector Brandenburgicus, Wenceslai mali frater.

In extinguendo magno Ecclesiæ Schismate, & cogenda Synodo Constantiensi plurimum laboravit an. 1414.

Bellum in Hussitas acerrimum gessit ab an. 1418. ad 1436.

Electoratum Brandenburgicum Comitibus Hohenzolleranis emto dedit an. 1417. qui eo adhuc gaudent.

Anhaltinis Principibus hactenus *Saxoniæ* Electoribus deficientibus, Sigismundus Electoratum contulit in Fridericum Bellicosum Misniæ Marchionem modernorum Electorum parentem. an. 1422.

Franciscum Gonzagam Mantuæ Marchionem creavit an. 1433.
Infausta alea adversum Turcas in Hungaria pugnavit: Obiitque Znaimii in Moravia. an. 1437.

Secundus Ordo Imperatorum Austriacorum.

1. ALBERTUS II. Rex Germ. Optimum principem mors invidit Germaniæ an. 1439.

2. FRIDERICUS IV. *Pacificus*, Imperator. Electus anno 1440.
Borussiæ partem Poloni imperio Germanorum eripuerunt. Vid. *Geographiam nostram.*
Fridericus ab Austriis, præcipue Viennensibus pessime habitus est. Regia Imperialis tormentis quassa, ipseque fame pene ad incitas redactus est a. 1462.
Carolo Audace Burgundiæ ac Belgarum potentissimo Duce ab Helvetis cæso, unica paternarum ditionum heres superstes erat *Maria* filia Caroli. Hæc nupta Maximiliano Friderici filio an. 1477. Dominum eum fecit amplissimorum Ducatuum. Tam opima dapes salivam movit Ludovico XI. Galliæ regi, qui ultima tentavit, ut Austriacos tam nobili hæreditate intercluderet. Certe Picardiæ, Artesiæque magnam partem, cum toto Burgundiæ Ducatu qua astu, qua vi subegit, Belgasque ad seditionem concitavit, qui eo audaciæ progressi sunt, ut Maximilianum suum Ducem, & jam tum Romanorum regem, etiam in custodiam dederint.

Typographiæ ars tum temporis inventa est an. 1440. Cujus quatuor produntur autores. *Joannes Guttenberg Argentinensis. Joan. Faustus Moguntinus; Joan. Costerus Harlemius; Petrus Scheferus.*

Chri-

Christophorus vero Columbus Novum Orbem seu Americanas Insulas felici navigatione detexit an. 1492.

Obiit Fridericus an. 1493.

3. MAXIMILIANUS I. Puer tam lentos fecit progressus, ut jam novennis vix semimatura verba proferre didicerit, verum succedente ætate omnia summa complexus est.

Venationis studiosissimus tanto fervore damas per Tyroleos juga persecutus est, ut in Cautes, quas sancti Martini dicunt St. Martins-Wand, (haut procul Oeniponte distat) aliquando eluctatus vestigia relegere non potuerit. Jamque allato per sacerdotem & procul ostenso sanctissimo epulo, ultimæ necessitati manus dare paraverat, cum per invia allapsus senecio quidam Maximilianum manu prehensum in tutiora deducit, moxque in auras abit. Plurima sunt Maximiliani gesta, quæ non raro temeritatis nonnihil sapere visa sunt.

Is Imperium Germaniæ summum adeptus nihil antiquius habuit, quam ut *PACEM PUBLICAM*, den Landfrieden, lata lege sanciret, & Diffidationum reliquias profligaret. An. 1495.

Ac ne cuiquam de negata Justitia querendi locus superesset, *JUDICIUM CAMERÆ IMPERIALIS*, seu Imperii summum tribunal constituit Spiræ. an. eod.

Imperium in Provincias divisit, primo quidem in sex an. 1500. Post vero in *Decem Circulos* an. 1512. *Consilium Imperiale Aulicum* sancitum est anno eodem.

Eberhardum primum Wirtenbergæ *Ducem* creavit. an. 1495.

Novum Palatinatum constituit an. 1507. *Vid. Geographiam nostr.*

Filium suum *Philippum*, quem e Maria Burgundica susceperat, cum *Joanna* Ferdinandi Catholici filia de-

ſpondit an. 1496. Hic Philippus mature e vivis exceſſit an. 1506. heredem reliquit *Carolum*, qui Ferdinando Catholico absque aliis liberis defuncto Hiſpaniæ ampliſſima regna ditioni Auſtriacæ adjunxit, unaque Imperium, ut mox dicam, adeptus eſt.

Maximilianus an. 1519. 11. Januar. ultimum ſpiritum duxit. Vetito, ne quis ejus defuncti cadaver nudaret, tanta erat verecundia & integritate. Duodennio integro arcam quandam ubique locorum circumvexit: quam cum nemo non pretioſis cimeliis refertam crederet, demum compertum eſt non niſi Sarcophagum eſſe.

4. CAROLUS V. Maximiliani ex Philippo filio nepos.

Hic cum eligeretur, etiam Franciſcus I. Galliæ rex Imperiale diadema procatus eſt. Illo neglecto purpura quidem decreta eſt Carolo; verum Lutherani præcipue Principes Eccleſiarum ſpoliatarum ſibi conſcii, ne ad reddendum ablata adigerentur a tam potente Cæſare, in certas leges convenere cum eligendo Carolo, quas leges *CAPITULATIONEM* hodieque vocant, Imperatoris poteſtatem multo arctius conſtringentes.

Poſtremus ipſe fuit, qui a ſummo Pontifice Corona redimitus fuerit an. 1530.

Quid negocii ipſi faceſſiverit Lutherana hæreſis, & quæcunque ad eam rem ſpectant, abunde proſequimur in *Hiſtor. Eccleſ.* L. 2. c. 7. §. 5.

Cum Franciſco I. Gall. Rege perpetuum Carolo bellum interceſſit præcipue ob Ducatum Mediolanenſem. Profecto Franciſcus acie captus eſt prope Papiam an. 1525. Ducatusque mortuo Franciſco Sfortia. Juri Hiſpano-Auſtriaco perpetuo aſſertus. an. 1535.

Joannes de Zapolia Tranſylvaniæ Princeps ſeu Woyvvoda contra Ferdinandum Caroli fratrem legitimum

timum Hungariæ regem a perduellibus nonnullis Hungaris electus fuerat. Is Turcam ſuppetias evocavit, qui An. 1529. Auſtriacos fines ingreſſus Viennam totius Imperii metropolim obſidione tentat. Quem Carolus ingenti coacto exercitu fuga ſeſe proripere cogit. Anno 1535. Regnum Tunetanum in Africa ſubjugavit. Anno 1541. Algerium jamjam in ditionem acceperat, cum orta procella claſſem, omnemque bellicum apparatum disjecit.

Tandem humanarum rerum pertæſus conſilium cepit toti Europæ peregrinum. Etenim an. 1556. Gandavi purpuram poſuit, & Germania Ferdinando fratri, Hiſpania vero Philippo filio relicta, reliquum temporis ſolus inter Sacerdotum cætus exegit in Monaſterio S. Juſti, in Extremadura. Fatis ſanctiſſimis conceſſit an. 1558.

* Ejus Symbolum fuit : *Plus ultra.*

5. FERDINANDUS I. Caroli frater.

Ducta conjuge *Anna* Ludovici II. Hungarorum, Boëmorumque regis filia, bina hæc regna Auſtriacæ genti, jurique adjecit, cum Ludovicus a Turcis fuiſſet occiſus. An. 1526.

Livonia provincia erat Equitum Teutonicorum Germanico Imperio ſubjecta : hanc adorientibus Moſchis cum Imperator ſuppetias Equitibus ferre non poſſet, ob Hæreſin Lutheranam turbis omnia miſcentem, Poloni ſibi vectigalem fecerunt. Curlandiæ Ducem tributarium conſtituerunt Gotthardum Ketteler, qui ab Ordine illo deficiens provinciam illis prodiderat. An. 1561.

Obiit 1564. Symbolum : *Fiat Juſtitia, & pereat mundus.*

6. MAXIMILIANUS II. Ferdinandi filius. Ob. 1576.

7. RUDOLPHUS II. Maximiliani filius.

Gebhardum Colonienſem Archiepiſcopum ope *Erneſti*, e Bavariæ Ducibus, in ordinem redegit.

Is enim amore captus Agnetis e Comitum Mansfeldiorum gente perditæ mulierculæ, turpiter a Fide deficiens Archiepiscopatum prodere Lutheranis parabat, An. 1582.

Werdam Danubicam Imperii civitatem in Catholica sacra injuriam, Cæsarisque mandatis stare detrectantem Bavaricæ ditioni subjebit, Anno 1607.

Juncta cum Turcis tandem pace convenit, ut ambo se vicissim Imperatores ac Fratres vocarent, An. 1606. Obiit An. 1612.

8. MATHIAS Rudolphi Frater obiit an. 1619.

9. FERDINANDUS II. Mathiæ Cognatus.

Turbæ Palatino-Boëmicæ ac bellum Suecicum narrantur in *Historia Ecclesiastica* L. 2. c. 7. §. 2.

Re contra Boëmos rebelles ex sententia gesta *Maximilianus* expeditionis Dux, & Bavariæ tum Princeps, præmium laboris ac sumtum tulit Electoralem dignitatem pro omnibus suis posteris, una cum Ducatu Palatinatus Superioris An. 1623. Obiit Ferdinand. an. 1637.

10. FERDINANDUS III. secundi filius. Ad liberandam tandem internecina clade Germaniam compulsus est Paci Westphalicæ subscribere an. 1648. Obiit an. 1657.

11. LEOPOLDUS Ferdinandi filius.

An. 1662. Comitia Imperii coëgit Ratisponæ, quæ hactenus nunquam soluta sunt.

Turcas ingenti clade fregerat an. 1664. Sed ne victoriam prosequeretur, impeditus est a Gallis in Belgium irruentibus; pactæque cum Turcis vicennales induciæ. Hungariam deinde ab hæresi purgaturo Tekelius Hæreticorum ope fretus frontem & perduellia arma opponit an. 1683. accitis in perniciem Christianæ rei Turcis. Qui Viennam gravissima obsidione prementes a Joanne Poloniæ rege, Maximiliano II. Bavariæ Electore, & Joanne Electore Saxoniæ non solum obsi-

obsidionem solvere coacti sunt, sed tota etiam Hungaria pulsi. Jamque tota Servia in ditionem accepta in Bulgariam victricia signa proferebat promtissimus Heros *Ludovicus Badensis* Marchio 1689. cum ecce Galli iterum ac tertio in Germanicas ditiones impetum faciunt. Quare tandem induciæ in annos 25. Turcis concessæ an. 1699. Carlovici Sclavoniæ oppido.

Res cum Gallis gestæ.

Ludovici XIV. Gall. R. conjux Maria Theresia filia Philippi IV. Hisp. Regis omni jure in Belgium cesserat, cessionemque jurejurando confirmaverat. A morte tamen Philippi Ludovicus An. 1665. Belgium suæ ditioni adjectum volebat, *Jure*, ut inquiebat, *Devolutionis*, Re tandem pace Aquisgranensi an. 1668. composita, Ludovicus cunctis cum Carolo Anglorum rege, Electore Coloniensi, & Episcopo Leodiensi armis Hollandos affligit, eorumque vicinos Hispano-Belgas vexat anno 1672. eoque bello Comitatus Burgundiæ (vulgo *Franche Comté*) direptus est a Gallis an. 1674.

Tandem Hollandi, in quorum tamen gratiam Cæsar arma arripuerat, eo inconsulto cum Gallis paciscuntur anno 1678. hos sequuntur Hispani; ut tandem Leopoldus *Neomagensem* pacem (den Nimmwegischen Frieden) inire coactus fuerit an. 1679.

Cum dein Cæsar bello Turcico esset intentissimus, Galliæ rex varia in Germaniæ finibus, imo ipsis in visceribus turbat. Dein an. 1680. duo tribunalia constituit Brisaci & Metis (Reunions-Cammern) quorum negotium erat inquirere, quænam provinciæ antiquitus Gallici juris fuissent. Nec mora: Alsatia adjudicatur Galliæ, Strasburgum seu Argentoratum etiam

etiam vi occupatur 1683. Comites Palatini, Dux Montis Belligardi, Marchio Badensis ad dicendam caussam ad præstandum Gallorum regi sacramentum evocantur, cumque id tanquam iniquum & inauditum detrectarent, provinciis suis exuuntur. Anno tamen 1684. induciæ vicennales pactæ sunt.

Haut diu Ludovico placuit quies. Carolus enim Elector Palatinus nuptui dederat sororem suam *Carolinam Elisabetham* Philippo Duci Aurelianensi regis fratri: quam vulgo *Madame d' Orleans* ajunt. Carolo mortuo anno 1685. Rex magnam Palatinatus partem hereditatis nomine efflagitat, utut Carolina nuptialibus pactis solemni ritu renunciaverit hereditati. Hæc prima belli materies, certe non caussa fuit. Altera isthæc. Anno 1688. Eligendus erat Coloniæ Archiepiscopus: Pars *Egonem Fürstenbergium* Episcopum Argentinensem optant suffragiis 14. Pars *Josephum Clementem* Ducem Bavariæ Episcopum Frisingensem 8. suffragiis. Jam Fürstenbergio tanquam *Postulando* opus erat suffragiis pluribus: Clementi tanquam *Eligendo* hæc sufficiebant, ejusque Electionem ratam habuit summa sedes. Fürstenbergius partium Gallicarum unice studiosus erat, jamque prioribus bellis nonnihil turbarum severat. Ergo Ludovicus Rex velut sui clientis caussam, sed multo verius suam, acturus Gallico milite totum Electoratum Coloniensem, totum etiam Palatinatum occupat, misereque omnia vastat, sacra atque profana. Ac nihilominus rex tanquam summi juris sibi conscius, mirari videbatur, arma Germanorum in ipsum converti, postquam binas nobiles provincias insalutato hospite obruerat. Fortuna belli melior non fuit, quam belli caussa: itaque de pace sermonem habere cæpit Ludovicus hac tamen arte, ut singulos Fœderatorum privatim pelliceret; probe conspicatus iniquiores fore conditiones, si omnes una paciscerentur. Itaque

cum

cum Sabaudo primum dein cum Batavis & Hispanis pacem componit. Tandem & Cæsar manus dedit, *Rysvici*, quod est prædium Batavorum inter Hagam & Delphos. His fœderis tabulis 1. Wilhelmus III. qui Jacobum legitimum regem pepulerat, a Ludovico tanquam verus rex est agnitus. 2. Illa *Redunitionis* tribunalia sublata. 3. Ditiones occupatæ restitutæ quidem sunt, sed misera facie. 4. Argentina tamen cum jure supremo Gallis subjecta. 5. Cautum etiam, ut Catholica Religio, quam per varia a se occupata loca introduxerant Galli, in eo statu maneret. Hic articulus qui est in tabulis illis *Quartus* torsit hæreticos, ut videre est in *nostra Historia Eccles. Lib.* 2. *c.* 7. §. 5. Ceterum haud injuria nonnulli de his duobus fœderibus Germanico verbo luserunt: alteram pacem conditam esse zu Rimm wegg, alteram zu Reiß wegg.

Præcipua, quæ ad pacem componendam Ludovicum permovit, caussa hæc erat. Carolus II. Hispaniæ rex ultimis fatis propediem concessurus credebatur. Credens igitur Ludovicus hereditatem filio suo ex Hispanica fœmina majore natu suscepto deberi, non Austriis ex secundo genita ortis, statuit eam sibi vindicare. Itaque ut reficiendarum virium superesset tempus, paci illi Rysvicensi subscribit anno 1697. Dein cum Anglis & Batavis fœdus nectit (den *Partage-Tractat*) quo decernebatur, ut Carolo II. sine superstite prole defuncto, Hispanicæ nobilissimæ ditiones non totæ, ut sibi deberi dicebant, Austriacis cederent, sed dividerentur hoc modo. *Gallus* volebat Neapolim, Siciliam & Lotharingiam, pro qua Duci Lotharingiæ Mediolanensis Ducatus tradendus erat. *Angli* & *Batavi* Indiam petebant. Carolo demum *Austriaco* Leopoldi filio secundo genito Hispania cum Belgio destinabatur. Hæc agebantur anno 1700. Leopoldus etiam Cæsar ad hoc fœdus invitatus est: sed ille merito respuit, cum Hispanicæ ditiones *omnes* ad Austriacos hæreditate transire deberent.

Verum cum anno eodem 1700. Calendis Novembris Carolus obiiſſet, productum eſt *Teſtamentum* quoddam, quo *Philippus Andegavenſis* Dux (*Duc d' Anjou*) Ludovici regis nepos univerſæ Hiſpaniæ heres ſcriptus legebatur. Primum quidem Auſtriaci contendebant, illud teſtamentum ſpurium, confictum ac ſuppoſitum eſſe: dein, utut eſſet ſincerum, nihil tamen roboris habiturum, cum Carolus II. nulla ratione potuerit Auſtriacos hereditate excludere, ſeu *exheredare*. Gallus tamen nihil in contentione verborum, jurisque litigio ponendum ratus, omnia armis decrevit, eodemque adhuc anno Belgium, Italicas ditiones, & Hiſpaniam omnem ſuis copiis inſtruxit, poſſeditque. Duosque Electores Colonienſem & Bavarum in ſuum fœdus pellexit.

Hoc modo conflatum erat bellum, cui gerendo ſe tandem & Leopoldus Cæſar accinxit. Cum hoc fœdus pepigere Angli & Batavi, anno 1702. tum quod Tractatus Diviſorius a Gallo eſſet abolitus, tum quod nollent vicinum ſuum tam enormi potentia augeri.

Nunquam tot ſimul locis, tantis viribus, a tot regibus nunquam in Europa pugnatum eſt.

Præcipui Militiæ præfecti fuere a partibus Cæſaris *Eugenius* Princeps Sabaudiæ; *Ludovicus* Marchio Badenſis; Dux *Marleboroughius* Anglus: *Stahrenbergius* Comes. Ipſeque præ omnibus *Carolus III.* Auſtriacus Hiſpan. Rex, poſt Imperator. Gallorum fuere *Villaregius*, ſeu Villeroy; *Vindocinenſis*, ſeu Vendôme; *Villarſius*; *Buflerius*, ſeu Boufleur; *Tallardus*; ac demum ſtrenuiſſimus heros *Maximilianus II.* Bavariæ Dux & Elector.

Qua fortuna bellum utrinque geſtum ſit, explicandi hic locus non eſt: pauca tamen notatu ſunt digniſſima.

An.

An. 1702. Elector Bavariæ Ulmam aſtu capit, Memmingam vi. At Eugenius in Cremonam Italiæ urbem cum modica ſed lecta ſuorum manu penetrat, ac Villaregium captum educit ſpectante hoſte.

1703. Elector Colonienſis ditione ſua omni exutus eſt. Elector Bavarus Ratisponam, Augaſtam Vindelicorum, Neoburgum Danubicum in ditionem accipit, ac pleraque Tiroli jam ſubacta cum Gallicis copiis per Tridentinam plagam huc tendentibus ſuas conjungere ſatagit; ſed Tirolenſes facta manu Boicum exercitum per anguſta viarum iter agentem peſſime excipiunt. Interim Amberga expugnatur a Cæſareis, & Kottenberga limitaneum Palatinatus præſidium ſolo æquatur.

1704. Calpe ſeu Gibraltarium ab Anglis ſubactum. Paſſavium a Maximiliano El. Bav. Sed Boii cum Gallis pugna Schellenbergica, & iterum Höchſtadiana ad incitas redacti ſunt, ipſeque Tallardus cum 12000. Gallorum in poteſtatem Eugenii & Marleborougii venit. Obiit Leopoldus An. 1705. 3. Nonas Maji.

12. JOSEPHUS Leopoldi fil. An. 1705. Ruſticorum agmina per Bavariam tumultuantia opprimuntur.

An. 1706. Taurino ſuppetias fert Eugenius, memorabili clade affectis Fevilladio, & Aurelianenſi. Imperator Electores Colonienſem & Bavarum hoc anno exautoravit.

An. 1707. Galli totam Italiam Longobardicam purgare coacti.

An. 1708. Inſulas (Rüſſel, Gallice *Lille*) Flandriæ Gallicæ præcipuum munimentum in paucis memoranda obſidione cingit Eugenius, capitque. Anglorum claſſi & armis cedit Balearidum inſularum minor, *Minorica* cum portu Magonis. Principibus Brunſuico-Hanoveranis Electoralis dignitas palam in Comitiis Ratisponen-

ponensibus confirmatur, quæ quidem jam an. 1692. iisdem decreta fuerat a Leopoldo Imp.

An. 1709. Tornacum & Montes Hannoniæ capti.

An. 1710. Carolus III. Austriacus Madritum solemni pompa subit.

Obiit Josephus an. 1711. 17. April.

13. CAROLUS VI. Imp. Josephi frater natu minor, Hispaniæ rex. Hactenus tantum Gallis detractum erat, ut herbam pene porrigerent; sed una Josephi Augusti mors aliam rebus faciem induit. Cum enim Carolus ad capessendum Germanici Imperii diadema vocaretur, noluere deinceps Angli, Batavique suam eidem operam collocare, ne Carolus, junctis Hispaniæ Germaniæque regnis ac viribus, metuendus evaderet præsertim Acatholicis. Itaque primo rem segniter agere, ac non nisi lentis consiliis bellum trahere; mox etiam Ducibus suis pugna interdicere, denique a Carolo deficere, ac pro sese cum Gallo & Hispano pacisci An. 1713. Pace illa *Ultrajectina* cessere Anglis Minorica, Gibraltarium, variaque in America. Sabaudo vero Sicilia.

An. 1714. Coëuntibus solis utriusque militiæ summis Strategis Eugenio, & Villarsio pax etiam inter Cæsarem Galliæque regem juncta est *Rastadii* in Marchionatu Badensi die 6. Martii ac demum ad Thermas Helveticas (Baaden im Ergau) fœdus est absolutum 7. Septembris: in has fere leges; ut *Electores Coloniensis & Bavarus ditionibus suis restituerentur. Belgium Hispanicum Austriaco juri cederet: at tamen Geldriæ pars Electori Brandenburgico seu Borussiæ regi daretur: Neapolitanum regnum, Sardinia, & Ducatus Mediolanensis sub ditione Austriaca manerent.*

Eodem anno cum Batavis ictum est *Fœdus Repaguli* (der Barrier-Tractat) Hi nempe Batavi a vicina Cæsaris potentia sibi metuentes, obtinuere civitates quasdam Belgii Austriaci limitaneas, non suoquidem jure sed suo tantum præsidio tenendas, suæ securitatis ergo;

ergo; hac ratione, ut præsidium militare Hollandicum his munimentis impositum tam Cæsari, quam Batavis sacramentum diceret.

An. 1715. Turca Peloponesum (*Moream*) Venetis nonnihil cunctanter agentibus eripuit.

An. 1716. Cæsar Eugenii virtute Turcas ingenti clade profligat prope Petro-Varadinum. Mox Temesvarium cum tota illa Dynastia (Bannatus vocant) captum est.

An. 1717. Belgradum, seu Alba Græca expugnata, Turcique fere internecione deleti, cum suppetias urbi adessent. At eodem anno Hispanus (cum hoc pax hactenus nulla composita, sed sponte tantum ab armis utrinque discessum erat) numerosam classem Sardiniæ appellit, eamque Sabaudo detrahit.

Anno 1718. Turcæ pacem exorant, quæ in tabulas refertur Passarovici die 21. Jul. in annos 25. producenda. Medios inter utrumque Imperatorem sese præbuerunt Angli & Batavi. Cæsaris ditioni adjecta est Servia, Temesvarii Bannatus cum Wallachiæ parte ad Alutam usque fluvium. Hispanus vero etiam in Siciliam penetrat. Hinc inter *Cæsarem, Gallum* & *Anglos*, quibus adnexi sunt Batavi, fœdus constituitur, *Quadruplex* (die *Quadruple Alliance*) ideo dictum, quod quatuor regna illud amplecti deberent: Cæsar, Gallus, Anglus, ac Hispanus, qui tamen ab eo adhucdum abhorrebat.

An. 1719. Hispani maritimo prælio fusi sunt ab Anglorum Architalasso Bing.

Anno 1720. Cæsarei Sardiniam, Siciliamque recuperant, hanc sibi servat Imperator, illam Sabaudo dat cum Regio honore ac titulo, coactusque est Hispanus Quadruplex fœdus suo calculo probare. Illo fœdere hæc præcipue cauta sunt. 1. *Ne unquam regnum Hispaniæ Galliæque coalescerent.* 2. *Quivis retineret, quæ Ultrajectina aut Badensi pace obtinuisset.* 3. *Ut Cæsar Philippum V. Andegavensem Hispa-*

Hiſpaniæ regem ſalutaret & agnoſceret; cum eo in gratiam rediret, pacemque iniret, & hunc in finem Cameraci a Legatis coiretur. 4. Ut Duci Florentino ſine herede morituro ſufficeretur filius natu grandior reginæ Hiſpanicæ veteris; eum tamen Ducatum nomine feudi Imperialis teneret.

An. 1724. Cameracenſi conſeſſui datum initium. Sed cum Galli Anglique rem in infinitum traherent, inter Cæſarem & Hiſpanum privatis nunciis, literisque pax conſtituta eſt anno 1725. Viennæ.

Cæſar Oſtendæ in extremo Belgio inſigne mercimonium inſtituerat, annuamque in Indiam Orientalem navigationem an. 1719. Peſſime vero id inſtitutum accepere Angli Batavique, velut nemini, niſi his ſolis, fas eſſet mare velis remisque tentare. Cumque fœdere illo Hiſpanico multum etiam incrementi acceſſerit Oſtendano mercatui, Angli arma circumſpiciunt. Sed Carolus Imperator domi bellique, manu conſilioque promptiſſimus pro ſuo, quo in pacis conſilia fertur, ſtudio hoc tandem anno 1727. paſſus eſt, ut navigatione illa ad ſeptennium interdiceret ſuis, interim, dum Aquisgrani cætus cogeretur Legatorum, qui initis demum conſiliis decernant, num jure Angli Auſtriacis mercimonii & navigationis jura invideant?

Demum an. 1729. agente Duce Ripperda (is Batavus gente, homoque rerum peritus paci inter Cæſarem Hiſpanumque jungendæ adhibitus fuerat, & poſt supremus inter Hiſpaniæ proceres numeratus) pax denuo rupta, & cum Anglis Batavis, Francisque compoſito Hiſpali fœdere arma in Cæſarem decreta ſunt, niſi Italicum Ducatum Florentiæ Carolo Hiſpani ſanguinis Principi cederet.

Dum ecce an. 1731. nova Cæſarem inter atque Anglum fœdera junguntur, quibus & Batavi demum an. 1732. ſubſcripſere. Iis ſancitum, tolli omnino navigationem

tionem Ostendanam aliamve quamcunque e ditionibus instituendam illis, quæ olim Hispanici juris, sub Carolo II. rege an. 1700. defuncto, fuissent. Tum ut Carolus Hispaniæ Infans possessione Ducatuum Florentini atque Parmensis donaretur, quod & eodem adhuc anno factum. Denique ut Anglis Batavisque curæ esset defendere sartamque jubere Cæsaris *Sanctionem pragmaticam*. Est ea lex ab eodem lata, qua, nisi masculus sibi filius nasceretur, omnia sua regna atque provincias hæredis jure transcribit in filiam suam primogenitam.

An. 1733. obiit Augustus II. Rex Polonorum. Eligitur 25. August. Stanislaus Leczinski, qui jam an. 1704. agente Rege Sueco adversus Augustum electus; sed armis Russorum depulsus fuerat; pactoque a. 1716. cum Russis a Polona Republica inito vetabatur ad coronam deinceps amplius admoveri. Itaque & nunc Russorum Imperatrix Anna, & Augusti filius Augustus III. Saxoniæ Septemvir vi denuo cedere Stanislaum cogunt.

At quod rex Galliæ filiam Stanislai toro junctam haberet, bellumque ob id in Cæsarem & ipse & rex Hispanorum in Germania Italiaque movisset, res ita demum composita est, ut Rex Galliæ Lotharingiam sibi sumat, qua Stanislaus cum titulo regis Poloniæ, dum viveret, frueretur: Stephano Lotharingiæ Duci daretur Hetruria feudum Imperii: Carolus filius Hispani utriusque Siciliæ regnum armis hoc bello acquisitum retineret.

Stephanus idem Dux a. 1737. conjugem accepit Mariam THERESIAM majorem natu Cæsaris filiam.

Eodem anno Imperator bellum Turcæ indicit, quod is Russos Cæsari fœderatos prædis vexasset. Infeliciter cecidit alea: pace an. 1739. constituta Alba Græca, Servia, Wallachia in manibus Barbarorum relicta.

An.

An. 1740. die 20. Octobr. CAROLUS VI. Auguſtus, atque in ipſo *GENUS HABSPURGICUM* maſculum fato ſupremo extinguitur.

De Ditionibus, quas ab annis amplius quingentis comparaverat illa Domus, tum veteres earum Domini, tum novioribus nominibus alii cœpere contendere.

Bojus (Carolus is erat Albertus) veterem Bojorum Principatum ad Savum Dravumque & mare prolatum repetebat; adhæc Hungariam Bohemiamque ex teſtamento Ferdinandi I. Auſtrii, legibusque dictis connubio Annæ Ferdinandi filiæ cum Alberto V. Boico.

Hiſpaniæ Rex (Philippus nempe V. ex Domo quidem Borbonia, ſed matribus Hiſpanis natus) Hungariam præcipue Bohemiamque repetebat. Quippe Ferdinandi I. filius natu major Maximilianus II. præter filios ſuos, qui improles defuncti omnes ſunt, filiam reliquerat unam, cui *Annæ* nomen, nuptam Philippo II. Hiſpaniæ regi. Jam Maximiliani II. filiis extinctis regna redire debebant ad filiam hanc Annam, tametſi ſupereſſent ſoboles maſculæ ex aliis Ferdinandi primi filiis. Id enim juris conſuetum in Bohemia erat, neque aliter Auſtriaci Bohemiam obtinuere, quam ut Anna Ferdinandi primi conjux in ea regna ſuccederet, tanquam filia Uladislai, tametſi ſuperſtites eſſent Uladislai frater Sigismundus Poloniæ rex, ejusque Sigismundi filius Sigismundus Auguſtus. Tum quidem Annam, filiusque ejus Hiſpaniæ rex Philippus III. hæreditate ceſſerunt pro Ferdinando II. Styriæ Duce, nepote Ferdinandi I. Imperatoris, ſic tamen, ut tantum pro maſculis ex Ferdinando II. naſcituris, & ejus *poſteritate maſcula non interrupta maſculorum ſerie* valeret ceſſio: *fœminæ* autem, *fœminarumque filii* ab hoc commodo prorſus excluderentur. Ergo maſculorum jam ſerie abrupta, fœminam quæ ſupereſſet nulla ratione hæredem eſſe; ſed ditiones ad Hiſpanos pertinere, qui ſibi reſervaſſent quidquid non ceſſiſſent.

Hiſpa-

Hispaniæ regina Elisabeth e gente Farnesiorum Parmæ ac Placentiæ Ducum, repetebat utrumque Ducatum, equidem pace a. 1737. firmata maritum iis Ducatibus cessisse Imperatori Carolo VI. at maritum injussu uxoris non posse abdicare a se bona conjugis.

Borussiæ rex Fridericus partem expetebat Silesiæ, promissis olim pactis, aliisque nominibus obligatam.

Poloniæ rex Saxonum Dux Augustus quamquam initio consilii anceps, cum videret ceteros Principes manum inferre hæreditati, remque vi agere, cœpit & ipse explicare postulata sua. Ea autem talia erant. Quo tempore Carolus VI. in Hispaniam profectionem parabat anno 1703. Hispaniæ aditurus hæreditatem, cum fratre majore natu Josepho I. Romanorum rege, cui ante ipsum Hispania debebatur transegit ita, ut Josephus ipsi cederet jure in Hispaniam: Carolus renuntiaret juri in Germanas Hungaricasque ditiones. Carolo absque liberis maribus aliquando extincto Josephi quoque Hispania esset. Contra Josepho pariter extincto Carolus etiam Germanis Hunnisque imperaret. Si utrique *nonnisi filiæ* superstites essent, filiæ Josephi filias Caroli perpetuo in hæreditate adeunda præcederent. At habebat Augustus rex conjugem Josepham filiam Josephi I. grandiorem natu. Hanc igitur hæredem esse præ filia Caroli VI. contendit.

Galliarum rex Ludovicus XV. non quidem professus est petitionem aliquam hæreditatis, sed Bojorum Principi, quem justum agnoscebat hæredem auxilia in rem tantam addixit, præstititque.

Maria Theresia filia Caroli VI. extincti hæreditatem postulavit tanquam Patris; tum & quod Sanctionem, quam vocant Pragmaticam edidisset pater, quæ ipsam hæredem decerneret. Subscripserant huic Sanctioni plerique Europæ ac Germaniæ Principes, edocti a Cæsare, nullius in jus eandem peccare. Bojus autem, Saxo, Palatinus minime subscripserant, huicque San-

ctioni in Imperii Comitiis per legatos intercessere. At Theresia, quæ propior esset, mox a patris morte jurare in rem suam jussit ordines provinciarum, atque exercitus, frustra vetante Bojorum legato.

Contentionis initio amplius metus fuit, quam contentio, nisi quod Borussus rex in Silesiam moveret cum exercitu, auxilio contra ceteros affuturum spondens reginæ Theresiæ, si sibi de postulatis esset satisfactum. Quod ubi non impetrasset, profligatis anno posteriore ad Mollevicium vicum Austriacis Silesia fere omni potitus est.

Ineunte Septembri an. 1741. cum frustra pace transigere Bojus tentasset, & aliquamdiu scriptis esset depugnatum, tandem Gallicis auctus auxiliis lento gradu Austriam intrat, neminique injuria facta potitur Lincio, atque Ordinum Superioris Austriæ Sacramentum recipit. Jamque Viennæ ipsi imminebat (ubi in Austria inferiore Gallica auxilia æs ceteraque ab incolis extorsere multa necquicquam prohibente Carolo Principe) cum fœderatorum voluntate ea intacta digressus in Bohemiam suis, Gallicis, Saxonicis, ac Borussiæ copiis Pragam metropolim impressione nocturna subigit, cui regni Ordines frequentes adesse jussi fidem jurarant.

Verum neque a tergo tuta relicta occasionem dedere Austriacis copiis Tabor, Budissa, Freystadium occupandi, quo Bojos in Austria hibernantes ab his, qui Pragæ erant, intercluderent; & Hungari interea ad arma passim convolantes imminebant Austriæ Superiori: Quippe regina Theresia Vienna profuga Posonii Hungariæ Ordinibus accitis necessitatem ultimam, flens exponit eorum fidei seque & parvulum (manu eum prægestabat) quem ex Stephano Lotharingiæ Duce proximo vere ediderat, facile perpulere & aspectus teneræ prolis & maternæ lacrimæ, ut de quorum fide addubitabatur primi sponderent ultima pro matre proque filio passuros.

Ita-

Itaque collectæ undique copiæ non exercitatæ modo sed, quorum magnus in ea regione numerus, vagi prædationibusque per turcica bella assueti inaudita adhuc nomina Pandurorum Savicolarum ceterorumque.

Hi mense Decembri transgressi Onasum amnem recepta Austria reliqua Lincium compulsos obsident, atque ad deditionem cogunt 23. Jan. 1742.

Interea Novemvirum omnium suffragiis (sic tamen ut Bohemiæ, tametsi Bojo jam utplurimum subditæ suffragio interim ex Novemvirum decreto abstineretur) Romanorum rex atque Imperator electus est 24. Januarii ejusdem anni 1742. Bojorum Princeps CAROLUS VII. Sapientiæ laude nulli qui unquam fuere Principum secundus, fortuna tamen ad extremum dispari.

Eodem enim tempore Austrii Hunni in Boicam effusi milite vacuam, omnia late tenent, misereque exsugunt, quippe odiis potius quam imperio res agebatur. Urebat Augustale decus per tot secula familiare, in alios collatum lares. Vetera quoque recinebantur accepta incommoda. Feruntque fuisse, qui suggererent, Boicam solitudinem faciendam: perdendos esse qui possent timeri. At longe ab inhumanis consiliis Principes animi, quamquam ferocia militum parere recusantium cohiberi non potuit.

Equidem novis conductis copiis Cæsar sub æstatem recuperata Boicæ provincia regiam Monachium repetiit; Bohemiæ tamen res tueri non potuit. Cedentes ex Boica Austriaci in eam se recipiunt, profligatique apud Czaslaviam a Borusso cum pace juncta inferiori omni Silesia ei cessissent Pragam primo oppugnant non majore peritia quam fortuna. Galli eam viginti millia tenebant cum paucis Boiorum. Dein cum nova Gallorum auxilia Malleboio duce a Rheno advolarent, obviam his eunt Austrii, Hungaris modo circa Pragam relictis, qui commeatu intercluderent urbem.

Penetrarat Gallici auxilii pars jam ad Satecensem Bohemiæ pagum, opportunum suppetiis Pragæ ferendis.

Conſtansque eſt eorum qui caſtris aderant, ſermo, tum hic tum apud Danubium vinci Auſtrios potuiſſe, pugnamque ab exercitibus expetitam ac prope jam initam fuiſſe; ſed negaſſe Gallos Duces ejus ſubeundæ factam ſibi copiam eſſe: vulgoque ferebatur hujus cunctationis auctor eſſe Cardinalis Florius Gallicæ aulæ ſummus moderator. Hunc ajunt nunquam depoſuiſſe ſpem ſine certamine ac cæde componendæ litis. Sic infecta re digreſſus Malleboius, Pragæ præſidium fame ſubigente ipſis Calendis Januarii an. 1743. per ſummum frigus eruptione non ex urbe modo, ſed ex tota fere Bohemia facta Egram raptim agmen egit, multis ex itinere inedia geluque amiſſis.

Hæc dum in Germania geruntur, in Italia Hiſpani ex Orbitello per Hetruriam traductis copiis Parmæ imminent. Non tulit id Sabaudiæ Princeps, veritus hinc atque hinc Borboniorum regum obſideri majeſtate. Ergo Auſtriacis junctus fœdere atque armis cedere locis Hiſpanos, qui ægre ſuccenturiarentur, coëgit, Ducemque Mutinenſem Hiſpanas ſecutum partes ditione expulit. Calabros (eos Hiſpanis ſuppetias miſerat Carolus Siciliæ rex, Hiſpani filius) in Campaniam usque perſequuntur Auſtriaci, anno altero 1743. atque Angli claſſe obſeſſum Neapolis regem ad deſerendas Hiſpani Patris partes adigunt: dum inter hæc fruſtra Galli Hiſpanique poſtquam Sabaudiam occupaſſent, in Pedemontium deſcendere adniterentur, egregie ſemper prohibente Sabaudorum Principe Sardiniæ rege.

Annus 1743. varietate eventuum non caruit. Praga, ut diximus, a Gallis deſerta, Regina Thereſia Bohemiæ diademate ornata, Saxo quoque Cæſaris fœderi renunciavit. Angli dein Batavique Reginæ partibus acceſſere, miſſisque ex ipſa Britannia cum rege auxiliis Mœni ripas obſederunt: quos Galli ſuperato amne apud

apud Dettenhemium nacti cum multo milite multassent, repulsi tamen a supervenientibus Austriacis sunt, atque in Alsatiam relegere viam coacti. Anglis Spiram usque quamquam tardo vestigio sequentibus; cum ad Superiorem Rhenum Austriaci tenderent, ipsi Galliæ imminentes.

Quippe in Boica an imperitia an præcipiti fato apud Brunovium oppidum prima Boiorum acies cæsa, hocque uno accepto incommodo tantum terroris in reliquas copias illatum est, ut omnia rursus velut fuga deserta, Cæsar ipse Francofurtum devectus, interque duces partium apud Schongaviam Superiorem, Boicæ oppidum, conventum sit de Boica interim relinquenda, de captivis alendis, de exercitu Boico neutras partes secuturo. Tum Ingolstadium, unicum Bavariæ munimentum obsessum ab Austriacis, ac salvis thesauris Cæsareis, qui devecti inde Augustam sunt, deditum. Reliquus Austriorum Hunnorum exercitus Ducibus Carolo Lotharingiæ Principe Francisci Stephani fratre, & Kevenhüllero Comite claro domi militiæque viro ad Rheni oram progressus tentavit, si qua posset in Alsatiam aut Lotharingos irrumpere. Nec segniores Galli communire omne adversum littus, agrestes armare, militem machinasque objicere. Hærebant duo exercitus in autumnum usque: Austrios prohibuere munimenta: Angli nuper accepta plaga videbantur aleam etiam alteram formidare. Batavi circa Moguntiam hærentes, ne conspectum quidem subire Gallorum, haud dubie ut hac indulgentia a Gallo quietem Belgio finitimo mererentur. Sic nulla re magna gesta ad hiberna discessum, nisi quod Wormatiæ fœdus Anglum inter, Theresiam reginam atque Sabaudum sancitum sit, quo Finarius in ora Ligustica portus, utut pecunia venditus Genuensibus a Cæsare Carolo VI. Sabaudo pretium operæ bello collocatæ promissus est; novum belli argumentum.

Ad id temporis, non nisi auxiliares Gallorum copiæ fuerunt. Anno demum 1744. excitatus irruptione in ipsum Galliæ finem rex fatis jam functo Cardinale bellum indixit tum reginæ Hungariæ, tum Angliæ regi. Caussa memorabatur fere una: quod ab omni pacis consilio utrique abhorrerent; igitur armis ad id compellendos, contra & Hungarica in Gallum belli indictio proposita in vulgus est, ubi objectis perfidiis, dolis, perjuriisque Galliæ rex demulcetur.

Ad hæc fœdere novo conciliati Cæsari sunt Borussiæ rex, Elector Palatinus, Cattorum Princeps Casselanus, idemque Suecorum rex, qui non partem belli subituros, sed auxilia submissuros promisere.

Vere ab Austriacis repetita sunt Rheni littora, dumque ad Moguntiam multa movent, ut hostem a superioribus averterent, expedita manu missa supra Philippopolim concubia nocte transmittunt flumen, deceptis qui excubabant Bojis equitibus. Magna hinc Cæsareorum Gallorumque consternatio, Alsatiam certatim petentium. Nec licuit ire quietis per Carolum Lotharingiæ Ducem exercitui Austriorum Hunnorumque præfectum. Deserunt munimenta, quæ amplo tracta ad Albam regiam; rursus altera, quæ ad Lauterburgum excitarant. Deduntur oppida, quibus nihil in munimentis spei, jamque Argentorato validissimæ Alsatiæ arci eidemque amplissimæ civitati imminent. Sed nihil a tergo Austriis tutum. Arx Ludovici (Fort Louis) quæ Rheno insidet, intacta. Philippopolis neutrarum quidem partium, sed Cæsaris partim copiis insessa. Fines Lotharingiæ aditu difficiles. Suppetiæ Gallis ex Belgio multæ, quas ipse adducebat rex. Apparebat, non admodum progressurum Austriacum Martem, cum novus a Borea terror deserta Alsatia jussit ad tuendos lares respicere.

Borussiæ rex promissa Cæsari ad recuperandam Bohe-

hemiam auxilia ingenti numero adduxit, Pragamque octiduo expugnavit, sub Augustum mensem cœpta expeditione.

Videbantur Galli Austriis exitio fore, si tergis inhæsissent. Non permisit id subita morbi vis, quæ eorum regem, dum Metas urbem transit, pene oppressit. Quo restituto Brisgoviam, sylvam nigram, Civitates sylvaticas ad Rhenum, Constantiam cæteraque quæ ditionis quondam Austriacæ erant, subacta sacramentum dicere Cæsari jusserunt; nihil ad id motis, quamvis regina Theresia quereretur, Helvetis.

Bohemiam ergo, quod Galli ad Rhenum restitarent, deserere Borussiæ regi tutissimum fuit, præcipue postquam Saxo Poloniæ rex militem non paucum auxilio misisset Reginæ. Quem ille reditum ea arte ac prudentia, ita lento gradu, oblata etiam aliquoties pugnandi copia, præstitit, ut optimi Imperatoris laudem non a suis magis quam ab hostibus retulerit. Sic ventum, hac quidem parte ad hiberna.

At in Belgio Gallorum rex, indicto jam Austriacis bello Cortracum primum, tum Meneninum, inde Ipras, & leviores quasdam munitiones vi deditioneque cepit; nempe Flandriæ magnam partem; ultra circumlaturus arma ni Alsatiæ periculum avertisset animum.

Italiam minus lætam Hispani hac æstate experti autumno plus habuere fortunæ, Nicaea, ceterisque ad oram Ligusticam Sabaudi oppidis, portubus ac munimentis potiti, Cuneo tamen frustra oppugnato.

Siciliæ porro Rex Carolus cum cerneret imminentem finibus suis Hungaricum militem, maluit extra fines occurrere. Apud Veltrium sane castra castris opposita, totaque hæsum æstate ac fere autumno est, præterque levia discrimina & latrocinia nihil patratum. Causa receden-

cedendi Auſtriacis morbi, & paucitas, quod ægre ex longinquo auxilia contraherent, viverentque in alieno; Siculo a tergo pateret regnum ſuum, unde copiæ unde annona in dies ſubvehebatur.

Varia fortuna anterioribus etiam memorabilior annus fuit 1745. Necdum menſe elapſo mors nec cogitata adhuc nec metu præcepta Imperatoris Caroli VII. nova exſpectatione ſuſpendit omnium animos. Is morbis & ægritudine confectus, ad ultimum tamen obiit 20. Januarii ſua in regia Monachio. Qui ſi in æquiora tempora incidiſſet dignus atque par etiam majori Imperio fuiſſet. Fidei ipſe ad ultimum cuſtos, ſæpe deſertus ab aliis, & ad hoc extolli a ſecunda fortuna viſus, ut cum adverſante luctaretur.

Nec extinxit ea mors bellum. Sed vere primo contractis Auſtriaci copiis Straubingam detinentibus Cattis recipiunt. Tum facile fuit Boicum militem Archiſtrategi Seckendorffii conſilio ſemper in minora agmina diſperſum vincere partim partim fugare. Juvenisque Princeps Auguſti filius Maximilianus Joſephus Monachio Auguſtam profugus ad eas redactus anguſtias eſt, ut bello deſtiturum, poſiturum titulos præloquiis pacis ad Fauces Julias celebratis ſponderet, adhæc ſuffragium quoque ſuum reginæ Thereſiæ marito Duci Franciſco Stephano in futura Cæſaris auctoratione addiceret; Ingolſtadio, Brunovio, atque Schardinga Auſtriaco milite pignoris loco inſeſſis, dum electio perficeretur.

Tum in Sueviam contendunt, junctique Anglis, Batavis atque Hanoveranis Gallos Mœno decedere ultraque Rhenum ſe recipere compellunt. Hic reliqua æſtate & autumno conſedere ubique, donec electus Imperator eſt *Franciſcus Stephanus* Lotharingicæ Domus Magnus Hetruriæ Dux. Tametſi Palatinus Elector, & Brandenburgus electioni tanquam illegitimis modis cele-

celebratæ intercesserint, quorum exemplum secuti Gallus, Hispanus atque Siculus. Tum quidem ab omni ea parte in hiberna concessum Palatinusque ager Austriaco oppletus milite, tributis vexatus; excitati porro Suevi Franconesque ut copiis suis obsiderent Rheni oram, ne quis eam hostis temeraret.

In Bohemia reparato Austriaci exercitu junctisque Saxonum auxiliis vere Silesiæ fines intrant, erepturi eam Borusso. At ille non magna manu exceptos ingenti clade profligat apud Strigau. Inde in Bohemiam persequitur, ubi apud Jaromirz jam per æstatem communitis castris se continentes cum elicere ad certamen nulla ope posset, in Silesiam receptui canit. Bis ausos tergum adoriri bis clade afficit; ac Silesia etiam Superiore ejectis Hungaris potitur, in Moraviam usque evagatus.

Addidit Austriacis animos Augustale decus per Lotharingum Viennam denuo relatum, magnoque molimine hyeme metere victorias parant, quas æstatis fortuna negarat. Adornatur expeditio in Silesiam; perque Lusatiam in ipsum Brandenburgum involare infesti cum Saxonibus parant.

Offenderat Borussum Saxo, qui Silesiam cum Austriacis vere intrasset. Hostile id esse ratus apud Halam Saxonicam contrahit copias bellum minitatus, ni fieret satis. Hactenus quidem inter minas stetit, digredique militem adventu hyemis jussit. At cum ditioni suæ imminere videt, nihil cunctatus Lusatiam ipse ingreditur, apud Gœrlicium collectos vincit fugatque Saxones. Ab parte alia contracta subito agmina fini immittit Saxonico Lipsiamque, fusis qui tueri debebant, mercatu frequentissimam urbem occupat. Fine Novembris hæc peracta.

Tum rex Borussus finem armis daturus erat, si paci oblatæ subscriberet Saxo. Quod ubi is negasset, Au-

ſtriacorumque ex Bohemia exercitum Duce Carolo Lotharingo arceſſiſſet, nihil cunctandum ratus Boruſſiæ impiger rex Dreſdenam movet, Saxones Auſtriosque bis acerrimo prælio fundit 14. Dec. 1745. triduoque poſt Dreſdenam Saxonis regiam deditione capit. Tum demum Saxoniæ Polonorumque Princeps, Pragam interim profugus; liberis partim relictis partim in Franconiam miſſis, ad pacis conſilia adhibere animum, legesque 22. die Decembris amittere, cui reginam quoque Hungariæ, Imperatricem acceſſiſſe ferunt.

Nec quietiores in Belgio res. Tornacum ubi obſident Galli ſuppetias laturi cum Auſtriacis Angli Batavique multa cum cæde rejecti ſunt, victoria ne Gallis quidem incruenta. Id tamen inter utrosque diſcriminis fuit, quod fœderati ex clade nunquam eo anno receperint vires, otioſique ex caſtris Bruxellam inter atque Antvverpiam communitis ſpectaverint Gallorum victoriam, quibus oppugnantibus non reliqua modo Flandriæ, Teneramunda, Gandavum, Brugæ, Furni, ipſaque Oſtenda, ſed & Hannoniæ pars cum Atho urbe munita ceſſerunt.

In Italia hoc anno 1745. adverſus Auſtriacis Mars multa turbavit. Genua fœdere Wormatienſi, Finariæque negotio offenſa Hiſpanis ſe junxit, indicto Sardiniæ regi bello. Per horum agrum transgreſſi in Mediolanenſem Hiſpani Gallique Sabaudum eruunt, quas inde tenebat ditionibus, Mortaria, Alexandria, Valentia, Caſali quoque majore in Montferatenſi Principatu occupato jam ipſi Auguſtæ Taurinorum regiæ imminent, quo ſe recipere rex conſultum duxit, Auſtriacorum reliquiis non procul tendentibus atque a Mediolano Germaniaque interclusis.

Papiam quoque, Mediolanum ipſum, aliaque Ducatus Mediolanenſis inſederunt Hiſpani. Parmæ Placentiæque Ducatus fidem reginæ Hiſpaniæ ditionum earum heredi jurarunt. At ſuperſunt ad Cremonam aliæ Auſtriacorum copiæ ex Germania Hungariaque ſubinde accreſcentes. Genuenſem oram necquiquam claſſis incendiaria

Anglo-

Anglorum territavit, haud magno damno illato, nullo operæ pretio discessit.

Nempe domi suæ turbatis rebus tutius visum opperiri occasionem. Erat jam ab anno 1689. regno universæ Britanniæ expulsus Jacobus II. rex ex Stuartorum gente, mortuus exul 1701. Filium hujus Jacobum III. partui suppositum vulgabant tunc Angli, ut spem recuperandi regni præciderent; cum qui ipsum Patremque viderunt, affirment, non ovum ovo similius esse. Vera odii causa religio fuit, quam Catholicam amplexus Jacobus erat. Is igitur Jacobus a ceteris desertus Romæ commorabatur, quem Pontifices maximi legitimum Britanniæ regem semper habuerunt; quem Gallus Hispanusque spe restituendi regni semper aluerunt, cui multa addicta est Angliæ, major etiam Scotiæ Hiberniæque pars. Eum pertæsi novi imperii Scoti regem denuo postularunt. Ejusque filius Carolus Eduardus Gallicis navibus hoc anno 1745. delatus in Scotiam invenit qui pristinæ fidei memores addicerent opem præstarentque, ut paulo post Edemburgo metropoli aliisque potitus curam injecerit non contemnendam Hanoveranis amittendi denuo regni; tum maxime cum e Scotia transgressus in Angliam multis portubus oppidisque potitus Rex salutaretur. Processerat jam mense Decembri cum exercitu Warvvicum vigesimo ab urbe Londino lapide. Gallica interim auxilia Montrosam Scotiæ Borealis portum attigerunt. Sed una alteraque dimicatione scena mutata Eduardus insulæ valedixit.

§. II.
Bella & Negocia Externa.

Præter ea, quæ priore §. suis locis meminimus, nihil fere restat, quod aut debeamus hoc loco edisserere; aut saltem possimus per compendium.

§. III.

§. III.

Politica.

Hic quoque nihil ſupereſt: nam tum diffidationum abuſus, tum Auream Bullam, tum pacem publicam, Capitulationes, pacem Religioſam, Weſtphalicam &c. explicavimus hic & in Hiſtoria Eccleſiaſtica; & data opera explanabimus in mox ſequente Libro de Politica & Jure Publico.

§. IV.

Viri Præclari.

1. A. 1303. Obiit S. *Ivo* Jurisperitus, inde Sacerdos ſecularis pauperum viduarumque in cauſſis dicendis gratis patronus.

2. A. 1348. Joannes *Andreas* Bononienſis, dictus *Lucerna Juris.*

3. *Bartolus* de ſaxo Ferrato Sentinas Italus, Princeps Juriſconſultorum poſterioris ævi. Ob. 1355.

4. Franciſcus *Petrarcha* Florentia oriundus natus Aretii, luſtrata Gallia & Germania Canonicatu Patavino auctus, lauroque donatus, primus fere mitiores muſas ab exilio provocavit in Italiam. Obiit 1374.

5. Franc. *Accurſius* Florentinus, primus Gloſſas attexuit Codici Juris Civilis ſub annum 1380.

6. Petrus *Baldus* de Ubaldis Peruſinus, JCtus Patavinus. Ob. 1420.

7. Nicolaus *Tudeſchi*, Catanenſis Siculus Abbas S. Agatæ Benedictinus, poſt Archiepiſcopus Panormi. Vulgo *Abbas*, aut *Panormitanus* audit, celeberrimus JCtus. Ob. 1455.

8. Laurentius *Valla* Canonicus Rom. Grammaticus Ob. 1456.

9. Jo-

9. Joannes *Hunniades* seu *Corvinus* Transylvaniæ Princeps, Turcarum terror Ob. 1456. Ejus filius non minoris Gloriæ fuit *Mathias Corvinus* Hungar. Rex. Ob. 1490.

10. Georgius *Castriotus* Alexander, vulgo Schanderbegh lingua Turcica, Epiri princeps famæ nominatissimæ. Ob. 1467.

11. Joannes *Müller*, seu Regiomontanus, in Franconia natus Regiscuriæ (Königshoffen) insignis Astronomus. Ob. 1476.

12. Hermolaus *Barbarus* Venetus Patriarcha Aquileiensis. Ob. 1493. Grammaticus eruditissimus.

13. Joannes *Picus* Mirandulæ Princeps, monstrum ingenii. Ob. 1495.

14. Eodem seculo 15. floruere Joannes *Gerson* Cancellarius scholæ Parisinæ. Philippus *Beroaldus* Italus, aliique.

15. *Conradus Celtes* Franco Schvveinfurtensis, primus Teutonica poësi cecinisse fertur. Docuit Viennæ, obiitque an. 1505.

16. Christophorus *Columbus* Novi orbis index Obiit 1506.

17. Angelus *Politianus.* Ob. 1509.

18. Philipp. *Comminæus* Belga egregiam edidit Historiam Ludovici XI. & Caroli VIII. Gall. Regg. Ob. 1509.

19. Joan. *Jovianus Pontanus* Umber, Philosophus, Historicus, Poëta. Alphonso Juniori Regi Neapolis a consiliis an. 1509.

20. An. 1519. 10. Augusti Ferdinandus *Magellanes* Lusitanus cum 5. navigiis vela fecit in Americam Caroli V. Imp. auspiciis. Primus reperit fretum Magellanicum, quo solo transiri potest in aversam Americæ Oram. Inde in Indiam Orientalem pergens in quadam Insularum Philippinarum, cui Motana nomen, occubuit. Ex ejus tamen navibus una *Victoria* dicta

cum

cum 18. ſuperſtitibus nautis circumnavigato toto terrarum orbe Hiſpalim appulſa eſt an. 1522. die 7. Septemb. Illi nudi, nec niſi induſiis tecti (eo nempe more, quo ad incitas redacti plurimum hujus itineris confecerant) prægeſtisque facibus in Baſilicam voti ergo ſe projecerunt.

21. Raphaël de Santi, ſeu Raphaël *d' Urbino* Pictor commendatiſſimus. Ob. 1520.

22. Jacob *Sannazarius* Neapolitanus. Viginti annos poſuit in elucubrando carmine de *Partu Virginis*; quo Maronem pene eſt aſſecutus. Ob. An. 1520.

23. Raphaël *Volaterranus*. Obiit 1521.

24. Albertus *Dürer* Norimbergenſis, Pictor, Sculptor, Architectus celebris. Ob. 1528.

25. Joannes *Aventinus* Abenſpergenſis. Ob. 1534. ſepultus ad S. Emeram. Ratisponæ. Hiſtoric. Bavarus.

26. Philipp. *Theophraſtus Paracelſus* Bombaſt ab Hohenheim Helvetus, Profeſſor Baſileæ. Deſperatis præcipue morbis manum admovit, opemque tulit, Podagræ, Lepræ, Hydropi, &c. Obiit Saliſburgi. an. 1541.

27. Nicolaus *Copernicus* Thorenii in Boruſſia natus, Mathematicus, qui ſolem ſtare, terram prodidit moveri. Ob. 1543.

28. *Michaël Angelus* Bonarotta, nobilis Cluſinus Princeps Pictorum, ſculptorumque. Ob. 1564.

29. Andreas *Alciatus* Mediolanenſis JCtus, Barbariem ſtili latini expurgavit. Ob. an. 1573.

30. Paulus *Manutius* Venetus Ob. 1574. Ejus filius fuit *Aldus Manutius* uterque de Muſis optime meritus.

31. Joannes *Auſtriacus* Caroli V. Imp. filius nothus, natus Ratisponæ: rebus adverſum Turcas ſtrenue patratis inclytus, ad extremum Belgii Gubernator. Ob. 1578.


32. Natalis *Comes* ſeu de *Comitibus*, Venetus, Mythologiam digeſſit & illuſtravit. Ob. 1580.

33. Hieronymus *Cardanus* Mediolanensis. Astrologiæ judiciariæ tenacissimus. Fatum suum sibi prædixit. Dein metuens ne vaticinium falleret, maluit cibo omni sibi interdicere, fameque mortem consciscere, Romæ An. 1575.

34. Carolus *Sigonius* Mutinensis. Ob. 1585.

35. Renatus *Des Cartes* vel *Cartesius* Gallus; Atomorum Philosophiam instauravit. Obiit in Suecia 1596.

36. *Tycho* Brahe nobilis Danus. Naribus aliquando per rixas amputatis suffecit argenteas. In Insula Danica *Huenna* arcem struxit *Uranoburgum* cum armis Astronomicis, & cristallino veluti cælo. Novum motuum cælestium Systema excogitasse fertur; quod tamen *Ursus Diethmarsus* Mathemat. Cæsareus Pragæ à se inventum, à Rozmanno vero quodam ad Tychonem delatum asserit. Obiit Pragæ an. 1601.



POLI-



POLITICES

LIBER I.

Principia & Fundamenta Politicæ.

CAPUT I.

De Varia Reipublicæ forma.

1. *Monarchia* dicitur illa Civitas (Civitatis nomine nil venit nisi civium communitas, seu respublica) quæ *uni* paret.

2. *Aristocratia*, ubi Summam rerum obtinent *aliqui* primores seu optimates.

3. *Democratia*, cum jus summum ad *universum* populum spectat, qui suo arbitrio juris illius executionem aliquibus imperat, v. g. Consulibus &c.

4. *Mixta*, cum partim ad unum partim ad populum, ad nobiles partim summa potestas pertinet.

5. *Tyrannis*, cum unus imperat, non tamen reipublicæ sed *sui* tantum commodi caussa.

6. *Anarchia* dicitur, ubi *nemo* est, qui regat, sed suo libitu omnes degunt.

CAPUT II.

De Religione.

Q. I. *Estne necessaria ?*

℞. 1. Nulla gens quantumvis fera sine diis, aut saltem sine opinione deorum unquam vixit, ut Cicero agnoscit.

2. Religioni omnia posthabenda. Cultus vero externus mutationi aliquando obnoxius esse potest. Vid. Histor. Eccles. L. 2. c. 1. §. 4. & Cap. ult.

Q. II. *Quæ Religio est necessaria?*

℞. Ne dubites, quin *Catholica*. Vide passim Histor. Eccles.

Q. III. *In quo debet consistere Religio?*

℞. Duplex est Religio, *Interna* & *Externa*.

Interna potissimum versatur. 1. In Conscientia noxæ experte. 2. In *Sinceritate* vitæ, cui fixum stet, nec pro laude quidem Dei, aut æterna salute aliquando fidem fallere, aut mentiri. 3. In perpetua invictaque Divinæ *Providentiæ* adoratione.

Externa Sacrificiis, orationibus, ritibus absolvitur.

Q. IV. *An Principi sit utile colere religionem ?*

℞. 1. Utile est, ut ipse colat. Quia homini, quem Dei amicum credit, populus æquiore animo morem gerit: magnaque autoritas accedit imperanti, si e superum consilio cuncta temperare videatur.

℞. 2. Utile est, ut etiam in subditis foveat religionem. Etenim præstat subditos habere probos. Sana religio omnia mitia suadet præsertim in Principem,

quem Dei vices agere docet. Ad hæc populus divina contemnere semel edoctus, quo animo in suum Principem erit?

Q. V. *An Principibus adsit Potestas seu Jus Sacrorum?*

℞. Hæretici id volunt, & quidam Pseudo-Politici. At

1. Fallunt hæretici. Nam cum Jacobus II. Angliæ rex nonnulla, quæ ad religionem pertinebant, decrevisset, contra jus fasque regno exturbatus est a subditis. Idem factum est Sigismundo a Suecis. Si ergo *serio* credunt Hæretici, Principibus potestatem adesse ac jus de rebus sacris decernendi, cur, obsecro, reges jure hoc suo utentes solio movent? Præterea cur tantas querelas movent, si aut rex Galliæ, aut alius quispiam Princeps subditis suis Lutheranis doctrinæ quendam modum statuat; si credunt illam potestatem a Deo collatam esse in Principem?

2. Ille jure Sacrorum gaudet, cui datum est a Christo, Ecclesiæ autore. Christus non dedit Tiberio Imperatori, nec Judæorum regi, sed Petro. *Vid. Hist. Eccles. L. 2. c. 1. §. 1. Q. I. & II.*

3. Ethnicus, Turca, & feminæ possunt esse veri Principes etiam Christianorum: num ergo jure, vere ac bene poterunt de Fidei negotiis sententiam ferre?

4. Religio debet esse una. Cum ergo regna sint tam multa, multique Principes, qui neque in rebus minimis in eandem sententiam conspirant; quæso, quis speret ab illis unam eandemque religionis normam? Fortasse ais ab Imperatore tanquam Principum summo, accipiendum esse credendi modum? Sed id negabunt reliqui Principes: ergo frustra es Hæretice, & Pseudo-Politice.

Q. VI. *Ergo nihil omnino potest Princeps in rebus sacris ?*

℟. Mutua debet esse inter utramque potestatem sacram ac profanam concordia, auxilium mutuum. 1. Hinc summus sacerdos labanti forte reipublicæ potest ac debet manum admovere, tum præsertim cum etiam pietas & vera religio periclitatur. Hancque ob caussam sæpius jam factum, ut Pontifex reges noxios regni jure exueret, alios vero eodem donaret. 2. Contra, cum Ecclesia laborat, Principis est subvenire hortatu, ope &c.

Q. VII. *Si Papa loco movere Principem potest, potest etiam Princeps loco movere Pontificem ?*

℟. Id vero procul abest. Nam quis nescit sacra profanis potiora esse ac toto, quod ajunt, vertice eminere ? Itaque religio tanquam superior de profanis etiam imperare aliquando potest. At profanæ potestati licet quidem, ut opem afferat, sed nihil juris in sacra sibi sumat ; ut jam supra monstravi Q. V.

Q. VIII. *Amabo an e re est publica, Pontificem tanta autoritate & opibus pollere ? Nonne id officit Principum Majestati ?*

℟. 1. Prorsus e re : nam jure quidem Pontifici subesse Italiam &c. docui *in Hist. Prof. L.* 2. *c.* 4. §. 3. *Num.* 1.

2. Catholici Principes, qui Pontifici deferunt, & Ecclesiasticarum personarum immunitati student, multo ampliore gloria fulgent. Multi hactenus fuere Imperatores, quorum tamen nemo tantum potentia atque autoritate valuit, quantum Constantinus M. Theodosius M. & Carolus M. De his tamen constat eos plus omnibus Principibus indulsisse autoritati, immunitati, opibusque Ecclesiæ. Ergo falsum est Ecclesiæ immunitatem obicem esse Majestatis.

3. Acatholici Principes hanc Pontificis autoritatem & Ecclesiæ immunitatem pessumdedere: Sed quis non videt, eos hoc ipso plurimum suæ Majestati detraxisse. Certe Henrico VIII. Angliæ regi nihil ad omnem gloriam defuit, quam diu Pontifici primas detulit: hoc vero spreto quid tandem de se fassus sit, novimus; ad supremam vitæ lineam delapsus, tum nempe cum cessat inanis adulatio, & quivis de se sibi ipsi maxime credit, converso ad satrapas vultu ac voce, ingemuit; *Amici omnia perdidimus!* Et Majestas ubi? Profecto ex quo tempore Pontificis autoritati nuncium misere Angli, tanti suorum regum Majestatem fecere, ut eos ad dicendam caussam excitos admota etiam carnificis manu securi percusserint, omniaque fere atria regio cruore proluerint.

4. Lipsium illum egregium, quem tamen a suis partibus stetisse perperam somniant nonnulli hæreticorum, minime fugit, Europam in tot regna discerptam dudum in cineres collapsuram fuisse, si absque Pontifice esset. *Etiam nunc*, sic ille fatur, *quidquid tranquilli & pacati est in re Christiana, id manat ab unico illo capite, quod autoritate Sacra nobis præest. Romanus ille Dictator, ut sic appellem, & Pontifex, fulcrum aut vinculum est quod sustinet, quod ligat labantes aut dissidentes in male compacto hoc ædificio partes. Abite non impii solum, sed imperiti, qui aliter; nobis constat, hanc ipsam Romam, & sacrum in ea imperium fuisse & esse velut anchoram fluctuanti diu Europæ.* Præfat. ad Libb. de Magnitud. Roman.

5. Denique rebelles Boëmi, Hungari, Galli, Batavi aliique suæ perduellionis caussam prætexebant nimiam Pontificis autoritatem. Sed en! Stante omni Pontificis autoritate, salva mansit Principibus illis Majestas; quæ certe naufragium passa est, mox ubi impugnari cæpit Pontificis potestas. Profecto quamdiu Batavi Ponti-

Pontificem audierunt, Hiſpanis regibus fuere obedientes: illo, ſemel ſpreto, jugum etiam Principis excuſſere. Id ipſum in aliis conſiderare licet.

Q. IX. *Eccleſiæ, Cœnobia &c. opima prædia poſſident. Nonne præſtaret ea Nobilium juri cedere?*

℞. Pace illorum dixerim, non præſtare. Nam 1. Etſi deficiat aliqua provincia a Catholicis Sacris, ſuos tamen alit præcones, & quidem una cum numeroſa ſobole. Ut adeo propter ſumtus, qui in Eccleſiaſticos pendendi ſunt, male incuſetur Romana Fides. 2. Hæ ipſæ perſonæ, quæ nunc in cœnobiis degunt, aut Eccleſiæ muniis funguntur, alendæ eſſent in republica, etiamſi eſſent a Sacris alienæ, ſeu Laicæ: ergo parum refert, utrum res publica eos alat tanquam Eccleſiaſticos, an tanquam Laicos. 3. Sane quot ſunt e juventute laica, qui fame conſumerentur, niſi eis liceret ad monaſteria aut aras aſpirare. 4. Ut paucis multa complectar, Monaſteria multos alunt laicos: largiores, quam conſueverit nobilitas, Eleemoſinas in populum ſpargunt; Laicos multos Hoſpitio liberaliter excipiunt. 5. Denique nova ac paulatim in infinitum velut vergente propagine rempublicam non onerant. 6. Taceo functiones & officia, quæ ſaluti animarum impenduntur.

Q. X. *Quo pacto obviandum hæreſibus?*

℞. 1. Cauſſas & fontes præcludendo, nempe (a) *Ambitioſi* homines, cum aliquid in rebus ſacris novare tentaverint, mox reprimendi. (b) Diſputandi libidine interdicendum indoctis, doctis vero modus ponendus. (c) *Luxuriæ* detrahendum: quamobrem publica ſcandala eliminanda: Ocium publice arcendum: Leges matrimoniales cuſtodiendæ: urgenda

genda obſervantia feſtorum, jejuniorum, rituum ſacr rum: Sacramentorum uſus retinendus, augendus. (Hæreſis ſæpe oritur ex avaritia ac cupidine poſſiden bona Eccleſiaſtica: cui malo remedium ſuggerant ali non ego. (e) Denique præ omnibus cavendum, ut hæ reſis ſeminator mox initio compeſcatur, ne in turb dum vulgus edere ſua ſomnia poſſit.

2. Cum malum hæreſeos ſemel invaluit, impediend ipſorum arctior confœderatio: præſertim, ne cum *ext ris* ſe conjungant, cavendum. Vide Lipſii Politica.

Q. XI. *Non habes alia, quæ de Religione Po liticum moneas?*

℞. 1. Caveat Politicus, ne temere de rebus ſacri aut Divinis diſputet. Si enim hi, qui totam ætatem i ſacris ſtudiis terunt, aliquando hallucinantur, quid d illis ſperes, quorum a teneris ſtudium fuit equitare, ſaltare, digladiari?

2. Cautus ſit in legendis libris Hæreticorum. Nih enim ſinceri ſperandum ab illis, qui tam falſis principii nituntur, nec ſibi conſtant. Dein raros invenies, qui non fœda & Venerem &c. ſapientia inſpergant.



CA-

CAPUT III.
Der Personis Politicis.

§. I.
De summa Potestate seu Principe.

Q. I. *Quarumnam rerum potestatem habet Princeps?*

℟. 1. Leges fert, mutat, antiquat. 2. Pœnas sancit & remittit; vitæ, necisque jus temperat. 3. Vectigalia imperat. 4. Bella indicit. 5. Legatos publicos mittit. 6. Universitates studiorum & alias erigit, confirmat. 7. Principes, Comites, Nobiles creat. Aliaque complura, quæ *Regalia*, aut *Jura Majestatis*, aut *Reservata* dicuntur.

Q. II. *An omnia pro lubitu potest Princeps?*

℟. 1. Non: sed lege divina & æquitatis naturalis semper stringitur.

2. Sæpe cum eligitur Princeps, proceres cum eo paciscuntur certamque regiminis normam concipiunt, *Capitulationes* vulgo vocant. Atque hæ quidem etiam *Leges Fundamentales* audiunt apud vulgus doctorum: Sed id abusu fit: cum lex a superiore in inferiorem feratur: Sed capitulationes sunt tantum mutuum pactum, quod se servaturum promittit Superior subditis.

3. Ne possunt quidem præscribi conditiones, quæ summam potestatem *tollant*, ac si fuissent scriptæ, earum nulla ratio habenda esset a Principe. Pelzhofer. L. 2. arcan. status cap. 3.

§. II.
De Miniſtris Reipublicæ.

Q. *Quid obſervandum de Miniſtris?*

℞. 1. Officia Sceptro proxima togatis Proceribus tutius committuntur, quam ſagatis. 2. Summa rerum non facile uni permittenda, nec facile multis, ſed paucis. 3. Qui valde ambiunt munia, caute adhibendi. 4. Ex eadem potente familia raro *plures ſimul* ad majora miniſteria promovendi: ſed alii ad minora tantum. 5. Nobilibus in aliqua ditionis parte multum potentiæ habentibus non credenda eorum locorum præfectura, ſed aliorum.. 6. Attendendi Miniſtrorum amici, fœderati, præſertim exteri. 7. Videndum num ſuismet rebus gerendis recte præſint. 8. Denique non facile dimittendi, aut mutandi.

§. III.
De Legatis.

Q. I. *Quot ſunt Legatorum genera?*

℞. 1. *Primi Ordinis* (vom erſten Rang) Legati ſunt, qui habent *Caracterem repræſentativum* ſui Domini Principalis, ac præ ceteris exquiſito honore mactantur. Vocantur vulgo *Ambaſſadeurs*.

2. Secundi Ordinis Legati caractere illo deſtituuntur. Paſſim *Envoye* audiunt. Adhibentur in negociis, in quibus plus laboris quam oſtentationis eſt.

3. *Reſidentes* vocantur ſecundi ordinis Legati perpetuo in aliquo loco vel aula extera morantes.

4. *Plenipotentiarii* adnumerantur ſecundo Ordini, niſi addatur Caracter.

5. *Agentes*, qui negotia Principis privatim agunt, nec publico miniſterio gaudent.

Q. II.

Q. II. *Quibus rebus opus est Legato?*

℞. 1. Literis *Credentialibus*, quibus Principi, ad quem mittitur, commendatur. 2. *Salvus conductus* seu liber commeatus ab altero Principe, ad quem mittitur, dandus. 3. Necessaria *admissio* ab illo Principe: Non enim admissus non gaudet immunitate. Debet tamen admitti, nisi gravis caussa vetet.

Q. III. *Qua immunitate gaudet Legatus?*

℞. 1. Ut in loco, ad quem missus est, nec in jus vocari, nec malo quopiam aut dedecore affici possit. 2. Id juris etiam in famulos eorum extenditur. 3. Si quid tamen in salutem Principis aut reipublicæ machinarentur, possunt aut observari, aut etiam custodiri, ut non paucis exemplis probatum est.

§. IV.
De Aulicis.

Q. *Quid observandum Aulico?*

℞. Supersedeo his, quæ ad Religionis & conscientiæ cultum spectant, sola nunc externa memoraturus. Itaque 1. Principis præsertim sui mores & affectus noscat. 2. Plurima dissimulat, nil tamen cum fraude simulat. 3. Non facile credit, aut fidit, præsertim laudatoribus, vituperatoribus aut querulis. 4. Sua arcana, consilia &c. studiose celat. 5. Cavet, ne alios contemtui habeat, sed singulis etiam inferioris notæ hominibus honorem habeat. 6. Nihil singulare ultra sortem aut morem cæterorum affectet. 7. Loquatur raro de rebus Principis, de aliis rarius, de suis vix unquam. 8. A feminis sibi caveat, præsertim juvenis. 9. Si Principis favore polleat, non sit cum ipso nimium frequens: familiaritas parit contemtum. 10. Ad extremum spem supremam non in Principis, sed in Numi-

nis gratia ponat. *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in Principibus.* Pfalm. 117.

§. V.
De Subditis.

Q. I. *Suntne etiam Subditi aliquo in numero habendi?*

℟. 1. Vel maxime: nam *salus populi suprema lex est.* Non populus regis caussa constitutus est, sed rex propter populum: ut adeo princeps se populo debeat.

2. Attamen ab hoc ordine quam facillime deflectitur a potentibus. *Semper enim, qui imbecilliores sunt, æquum & justum quærunt; sed qui plus possunt, ista non curant. Aristot.* Lib. 6. Polit. c. 3.

Q. II. *Quæ sunt plebis vitia?*

℟. De vili plebecula si sermo est, hæc fere refert Lipsius. 1. Instabile est vulgus in quovis suo consilio. 2. Affectus & sumit & ponit facile. 3. Judicii expers est. 4. Ad plures semper inclinat. 5. Natura invidum est, suspicax; credulum; res auget fama & opinione; nimium sperat; nimium metuit; in omnibus fere modum nescit. 6. Nititur in vetitum. 7. Verborum jactantiam habet, non item rerum, nisi subito & in impetu. 8. Turbas amat præsertim si habeat aliquem, qui Dux fit. 9. Favet hominibus fervidis. 10. Negligit salutem communem, proprii commodi tantum studiosa.

§. VI.
De Vicinis.

1. In Vicino attendendum primo, ut ne noceat, deinde ut etiam prosit.

2. Noss

2. Noſſe oportet vicini populi Indolem, moresque conſuetos. Regiminis formam. Vires pecuniarias, militares, aut etiam defectus. Religionem &c.

3. Cavendum, ne vicini potentia nimium augeatur modis illegitimis.

4. Vicinum bellum omne ſuſpectum ſit. Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

5. Auxilia aliena advocare cum eorum ducibus non eſt conſultum. Miles tamen ſolus utiliter admittitur, ut propriæ genti parcatur.

CAPUT IV.

De rebus & Negociis Politicis.

§. I.

De Juſtitia & Legibus.

1. Juſtitia Virtus eſt ſuum cuique tribuens. Multi, qui ſibi maxime juſti videntur, ſi gravibus pœnis in reos animadvertant, graviter interim in juſtitiam peccant; quia Bonis ac bene meritis nulla præmia conſtituunt. Utrumque juſtitiæ eſt, Pœna, ac Præmium.

2. Leges novæ parce ferantur. *In corruptiſſima republica plurimæ leges.* Cornel. Tacitus.

3. Veteres non facile mutandæ: & ſi opus, fiat ſenſim.

4. E factis aut caſibus particularibus raro cudendæ leges univerſales.

5. Leges aliquoties promulgandæ populo, ne excidant e memoria.

§. II.

§. II.
De Commerciis.

1. Nullum eſt potens regnum ſine Commerciis.

2. Nihil regionis a cultu vacare debet. Agri, paſcua, ſilvæ, horti, piſcinæ, Metalli fodinæ, variarum rerum officinæ ſi non adſint, de novo ſunt conſtituendæ.

3. Boum præcipue, Ovium, Equorum & Mellificii cura habenda.

4. Duo cardines ſunt: ut multas res ad uſum humanum ſpectantes e ſolo noſtro exportemus ad exteros: dein ut paucis opus habeamus, quæ ab exteris petamus.

5. Juventuti civium imperentur variæ artes, illæ præſertim, quibus elaborantur materiæ crudæ in ipſa patria inventæ: Sic enim duplex in rempublicam fructus redundat, Materiæ & artis pretium. Nemini liceat eſſe otioſo. Ne militi quidem in pace, ut noſtri ferè conſuevere. Sed ad publica opera, muniendas arces, vias, litora fluminum, exſiccandas paludes, colendos agros adhibeantur, aucto aliquando ſtipendio.

6. Merces ad voluptatem potius, aut oſtentationem quam uſum factæ non admittantur, aut raræ. Earum uſu interdicatur civibus, nobilibusque ipſis modus ponatur, v. g. aureæ, Bombycinæ telæ, vina &c.

7. Itinera tuta & integra ſerventur.

8. Si ulla eſt occaſio, ſtudeatur rei nauticæ & commerciis maritimis. Coſmus I. Hetruriæ Dux effatus eſt, nulli reipublicæ conciliatum iri autoritatem, quæ non mari æque ac terra polleat. Batavi ſine navi vilis populus eſſent. Nemo Angliam reputaret niſi navigaret.

§. III.

§. III.
De Bello.

Q. I. *Quid ante Bellum facto opus est?*

1. Belli caussa debet esse justa.
2. Debet indici vel literis vel præcone misso.
3. Solent edi literæ *Avocatoriæ*, quibus Princeps subditos aut vasallos suos avocat e servitiis aut protectione inimici. Hic, qui morem non gesserit, privatur feudis &c.
4. Munimenta, arma, annona, Architecti, & Belli nervus Pecunia in promptu sint.
5. In militum delectu attenditur *Patria, Status*, an rusticus, studiosus, uxoratus &c.? *ætas*, & Corporis habitus. *Priora stipendia.*
6. In belli duce spectantur Fortitudo, Prudentia, Autoritas, & maxime Fortuna.

Q. II. *Quid in ipso Bello administrando cavendum?*

℞. 1. Antequam bellum cum extero suscipiatur, domi & ex latere omnia tuta sint.

2. Exercitus non sit nimis magnus, quia difficile alitur, difficile regitur, & nimium sibi fidit.
3. Alacritas & amor militis conservandi sunt. Hinc ab eo arceatur hostium pavor, sollicitudo annonæ inimici vero aliquod odium implantetur. Nempe non hominum, sed eorum quæ fecit inimicus: nempe injustitiæ, rapinarum &c.
4. Consilia occultanda etiam proprio militi.
5. Speculatores caute alendi; rumoribus non temere credendum; nec ii tamen negligendi.
6. Hostis a finibus arceatur, alias provinciæ duo exercitus alendi erunt, proprius, & hostilis. Contra bellum in ditiones inimicas transferatur.
7. Hostis præpotens distrahendus. Proprius exercitus non facile dividendus: & ita ut facile denuo jungi possit.

8. A tergo nihil inexpugnatum relinquendum.

9. In pugna ſtudendum, ut locum ſuperiorem ve clauſum occupemus: ne ſol, ventus, pulvis, aut fumu adverſus ſit. A tergo præſidium unum vel plures ha benda, ut ſit receptui locus.

10. Victoria parta mox utendum declinatis tamen in ſidiis.

11. In victos ſit clementia non faſtus & tyrannis; u diſcant amare recens imperium, non priorem Domi num ſuſpirare.

12. Conſultius eſt hoſti obviam ire, extra fines, quam eum intra fines expectare.

§. IV.
De Seditione.

Q. I. *Unde naſcuntur Seditiones?*

℞. 1. Ex difficultate annonæ. 2. Ex novis legibus privilegiorum violatione. 3. Ex mutatione Religionis 4. Ex luxu Principis & nobilium. Vel ſi Princeps ſit in acceſſibilis & inexorabilis, & faſtuoſa nobilitas. 5. E nimia indulgentia & ſcelerum impunitate. 6. Si indigen ſpretis exteri ad munia admoveantur. 7. Si luxu veſtium & conviviorum ad incitas redigatur civis aut nobilis 8. Ex ſollicitatione externorum.

Q. II. *Qui avertendæ ſeditiones?*

℞. Facile vides, quid fontes illos ſeditionum, quo diximus, obſtruere poſſit. Nempe cavendum, n cauſſa detur, e qua naſci ſeditio poſſit.

Q. III. *Sed qui cum populo in turbas ja commoto agendum eſt?*

℞. 1. Primo furori nonnihil cedendum. 2. Auctores & incentores ſeditionis a multitudine abſtrahendi, pr miſſis, minis &c. 3. Inter ipſos procuranda aliqua diſſe ſio. 4. Multitudo raro plectenda, ſed ſoli Duces tu barum. 5. Sæpe Principis ipſius præſentia & clemen alloquium ſopivit civile incendium.

§. V

§. V.
De Pace.

Q. I. *Quotuplex est Pax?*

℞. 1. Perpetua. 2. Ad tempus firmata pax dicitur *Armistitium*, vel *Induciæ*. 3. Alias *Generalis* pax est, cum omnes fœderati illam pangunt: *Particularis*, cum unus alterve reliquis neglectis eam sancit.

Q. II. *Quomodo sanciri solet Pax?*

℞. 1. Plerumque adhibetur alius Princeps inter utrumque Bellantem medius, seu *Mediator*. Hic 1. debet esse utrique amicus. 2. Debet utrumque de servando fœdere securum præstare, seu ita dictam *Garantiam* in se suscipere. Ita nempe, ut si forte alter illorum in fœderis leges peccare vellet, Mediator illum seu hortatu, seu etiam armis compescere debeat.

2. Solet tamen aliquando hæc mediatio omitti, vitandarum ambagium ergo.

§. VI.
De Neutralitate.

1. Neutralitas vocatur, cum princeps aut Respublica vicina, e duobus bellum gerentibus neutri adhæret.

2. Non cuivis datur aut conceditur esse neutrali. Sed sæpe ad alterutram partem eligendam vicinus adigitur.

3. Raro multum utilitatis affert neutralitas. Nam utrumque offendit, qui neutri accedit. Dein transitum per suas ditiones admittere debet vel utrique vel neutri. Denique suæ securitatis caussa proprium exercitum (Neutralitäts-Armee) alere nihilominus cogitur, ne inter duos litigantes ipse tertius luat.

LIBER

LIBER SECUNDUS.
Notitia Juris Publici Germanorum in Compendium missa.

CAPUT I.
De Personis in Imperio considerandis.

§. I.
De Imperatore.

Q. I. *Quis potest eligi Imperator?*

℞. 1. Germanus. 2. Catholicus, etsi Acatholici maxime ad id adspirent. 3. Talis qui propriis ditionibus potens sit, ut par sit sustentandæ Majestati. 4. Denique qualemcumque creare suffragiis suis Novemviri Germaniæ volent.

Q. II. *Quomodo eligitur?*

℞. 1. Moguntinus Archiepiscopus Elector reliquos Electores Francofurtum convocat.

2. Die electionis nemini extraneorum legatorum agentium, ministrorum &c. licet in civitate morari, portæ etiam occluduntur.

3. Peracta re divina Electores sacramentum dicunt, dignissimum omnium se creaturos Imperatorem.

4. Is denique Imperator eſt, in quem plures Electores conſpirarint.

Q. III. *Quid de Coronatione ais?*

R. 1. Olim Romæ a Pontifice coronabantur Imperatores. Carolus V. vero ultimus fuit, qui diadema a Pontifice ſuſcepit. Nunc Moguntinus Elector id facit. Romana tamen Eccleſia hanc coronationem non aliter admittit niſi pro *Regia;* non vero pro *Imperatoria.* Unde Imperator a Pontifice non coronatus non abſolute Imperator dicitur, ſed *Imperator Electus.* Et hoc ipſum nonniſi ex Privilegio Pontificio 1508. in Maximilianum I. per auream Pontificis Bullam collato.

2. Inſignia Norimberga afferuntur, Caroli M. Corona, Enſis, ſceptrum cum Pomo. Reliquus amictus fere ſacerdotalis, nempe Alba, Stola, Dalmatica, Pluviale.

3. Inter alia quæ jurejurando promittere debet coronandus hæc ſunt: *Vis ſanctam fidem Catholicam & Apoſtolicam tenere, & operibus juſtis ſervare?* Deinde: *Vis ſanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino Romano Pontifici & S. Rom. Eccleſiæ ſubjectionem debitam & Fidem reverenter exhibere?*

4. Ungitur in vertice capitis; in ſuperiori pectore; intra ſcapulas; in brachio dextro.

5. Denique Canonici Eccleſiæ collegiatæ Aquisgranenſis Imperatorem coronatum in ſuum collegium tanquam Canonicum adoptant. Imperator eidem Eccleſiæ juramentum præſtat.

Q. IV. *Quæ ſunt Imperatoris inſignia?*

R. 1. Coronam ſuperne clauſam ſolus ante Imperator geſtabat. Sed Franciſcus I. Gall. R. æmulatione in Carolum V. Imp. ductus, talem & ipſe ſibi impoſuit.

2. In Imperio ſolius Cæſaris effigies laureata imprimitur monetis &c.

3. Aquila tamen biceps non tam ſolius Imperatoris, quam totius Imperii hodie ſignum eſt.

Q. V. Quid poteſt Imperator?

℟. A nullo, quod ad ſupremam poteſtatem in Impe rio ſpectet, excluditur Cæſar. Quædam tamen poteſt ſolus, quædam nonniſi ſuffragantibus Proceribus. So lius Cæſaris hæc ſunt.

1. *Primæ Preces.* Poteſt enim Cæſar, indulgent ſummo Sacerdote, in quavis Eccleſia ſemel aliquam perſonam idoneam ad Beneficium, id eſt, Canonicatum præſentare &c.

2. Privilegia, immunitates &c. per *totum* Imperium valituras ſolus Imperator concedit, aut tollit.

3. Solus Imperator legibus ſolutus eſt, Superiorem non agnoſcit, & pœnæ nulli obnoxius eſt.

4. Magiſtratus, qui univerſo Imperio Jus dicere poſ ſint, ſolus Imperator conſtituit, nempe Præſides Judici Aulici &c.

5. Honores & dignitates per totum Imperium ob ſervandas confert ſolus Imp. Reges, Duces, Principes Comites, creat. Jus tamen ſuffragii, & Seſſionis i Comitiis, non poteſt concedere inconſultis Statibu Ita quidem volunt Status: Sed hactenus tamen Cæſar non nimium tribuere ſtatibus in hoc puncto. Ceteru cum prima vice quiſpiam ad Seſſionem admittitur. I *troductio* vocatur.

6. Academias, in quibus Gradus Doctorales &c. co ferantur, ſolus aut erigit aut confirmat.

7. Civitatis jura loco alicui concedere ſolus Imp rator poteſt.

8. Jus Poſtarum ſeu Veredariorum publicorum p totum Imperium.

9. Jus legitimandi ſpurios per totum Imperium.

10. Veniam ætatis dare, ſeu Minorennitati ind gere.

11. I

11. Literas moratorias, seu Quinquennales, Eiserne Brieff, quibus subdito ære alieno presso indulgetur, ne ante certum tempus de solutione conveniri possit; has literas per totum Imperium solus Imperator concedit.

12. Asyla universalia per totum Imperium.

13. Feudis Imperialibus Electores, Duces, Principes &c. solus Imperator investit.

14. Pœnis animadvertit in Cives Imperii immediatos; in Principes appanagiatos, ut vocant &c.

15. Banno Imperii multat; quamvis hodie per Capitulationes cautum sit, ne id fiat inconsultis Statibus. Ceterum personæ Ecclesiasticæ non feriuntur *Banno*, sed *Privatione* Bonorum & Feudorum suorum, idque non publice sub dio, sed in Consistorio. Ob sexus verecundiam etiam feminis Bannum non infligitur.

16. Extrema provocatio ab omnibus in Imperio judiciis fit ad Imperatorem. Ab Imperatore vero nec ad tribunal aliquod, nec ad Comitia provocare licet.

Q. VI. *Quid non possit Imperator?*

℞. 1. *Legem* universo Imperio citra Ordinum consensum imponere non potest. *Rescripta* tamen solus edit, implorantibus eum subditis Statibus.

2. *Jus Stapulæ*, das Stappel-Recht, de novo concedere non potest, ni adstipulentur omnes Electores. Est autem Jus illud, quod exigit certas merces prætervehendas in civitate aliqua deponi, ac tempore nonnullo venales exponi.

3. Nova vectigalia imponere, aut imponendi copiam alteri facere nequit, quin omnes Electores congregati ratum habeant.

4. In re Monetaria Generalem quendam modum imperare non potest, nisi plures Electorum consentiant.

5. Pari modo potior Electorum pars subscribere debet, cum *status* aliquis Imperii est proscribendus, seu *Banno*, ut vocant, affligendus.

6. Si Bona Imperii vendere, permutare, oppignorare vult.

7. Cum Generalia Comitia cogere vult.

8. Sequentia vero nequit, nisi Comitiis Generalibus in consilium vocatis, nempe Bellum nomine Imperii indicere, aut Pacem jungere, aut fœdera.

9. Per Statuum Territoria nova munimenta condere.

10. Suprema Imperii tribunalia antiquare, mutare &c.

§. II.
De Rege Romanorum.

Q. I. *Quis est Rex Romanorum?*

℞. Is, quem Electores elegere vel vivo Imperatore, ut eidem auxilio sit, ac deinde succedat defuncto: vel elegere Imperatore jam defuncto, ut mox Imperator coronetur.

Q. II. *Quæ ejus potestas?*

℞. 1. Vivo Imperatore nihil agit, nisi vel per absentiam illius, vel ejus nutu. 2. Fatis concedente Imperatore mox omnis ad illum potestas devolvitur, nec electione nova est opus.

Q. III. *Quæ ejus Præeminentia?*

℞. 1. Titulo *sacræ regiæ Majestatis* & *semper Augusti* gaudet: quamvis eum ab Imperatore ipso non obtineat. 2. Insignium loco unicipitem tantum aquilam, vivo saltem Imperatore, gestat. 3. In Imperio præcedit omnes exteros Reges: utut Galli in Comitiis anno 1533. litem moverint, sed incassum.

§. III.

§. III.
De Ordinibus, Membris, Civibus, Statibus Imperii, eorumque Collegiis.

Q. I. *Quid intelligitur per Ordines?*

℞. Omnes qui Romano-Germano Imperio continentur. Idem indicat *Membrum.* Germanice: Glieder, vel Getreue des H. R. Reichs.

Q. II. *Quid est Civis Imperii?*

℞. Omnes possunt *Cives* vocari, qui Ordinum nomine veniunt. Sed præcipue hi, qui cum *Status* non sint, solius Cæsaris autoritati parent, ut *Libera Nobilitas* &c.

Q. III. *Quid demum est Status?*

℞. *Status* Imperii is est, qui jure Sessionis, ac Suffragii in Comitiis Generalibus gaudet.

Q. IV. *Quæ sunt Statuum Jura?*

℞. 1. Jus Sessionis & Suffragii. 2. Pangendi fœdera inter se & cum exteris, modo non contra Imperatorem & Imperium 3. Jus Armandiæ seu Belli gerendi: non tamen in Cæsarem & Imperium. 4. Jus militem suum exteris collocandi: Sed non adversus Imperat. & Imperium. 5. Possunt alterius, etiam exteri, tutelæ se committere: sed absque Imperii noxa. 6. Extra Germaniam in Jus vocari nequeunt. 7. In suis territoriis habent Jus Superioritatis, Landsherrliche Obrigkeit. Jus regalium, nempe legum ferendarum; pœnarum remittendarum; restituendæ famæ; Nundinarum &c. &c.

Q. V. *Quid sibi vult* Immediatus *aut* Mediatus *Status cum dicitur?*

℞. 1. *Immediatus* Status est, qui Superiorem nullum agnoscit nisi Cæsarem & Imperium. 2. *Mediatus*, qui alterius immediati status juri obnoxius est, quemadmodum multi status exemti.

 Q. VI.

Q. VI. *Quid est Exemtio & Status Exemtus?*

℞. 1. Primum exemtionis genus est, cum aliquis status ab obsequio & fide Imperii sese avellit ac plane subducit, aut ab alio avellitur; uti Helveti, Belgæ, Burgundi, Itali nonnulli &c.

2. Alterum, cum status Immediatus indulgente Cæsare a Circulorum & Directorum, & tribunalium Imperialium judicio ita eximitur, ut exactiones ad Cameram & Circulos non deponat, sed soli Imperatori subsit. Uti e. g. Monasterium Imp. *Ottoburanum.*

3. Frequentissima est Exemptio, qua potentior aliquis Status alium Statum immediatum sed infirmiorem intra suum territorium situm ita eximit, ut eidem Jura Status detrahat, eaque sibi vindicet; nempe Sessionem, votum, collectandi & vectigalium jus &c. Ita Bavaria eximit Waldsassensem Abbatiam & Rottensem. Episcopus Constantiensis Reichenaviensem &c.

Q. VII. *Quot sunt Collegia Statuum?*

℞. Tria: *Electorum*; *Principum*, & *Civitatum*. 1. Electores reliquis omnibus eminent. 2. Hos sequuntur in Collegio Principum Ecclesiastici tam Episcopi, quam Abbates & Abbatissæ: deinde Principes, Ducesve laici: denique Comites. 3. Collegium Civitatum solas complectitur Civitates Imperiales.

§. IV.

De Electoribus.

Q. I. *Undenam originem traxit Electoratus?*

℞. Id paulo ante prosecuti sumus in historiæ profanæ Lib. 2. cap. 4. §. 3. fol. 367.

Q. II.

Q. II. *Quot sunt Electores?*

R. Olim Septem erant, unde & *Septemviri* dicebantur. Deinde Friderico Palatino exautorato substitutus cum fuisset Maximilianus Bavarus a. 1623. nihilominus pace Westphalica Friderici nepotibus locus iterum inter Electores datus est, manente in sua statione Bavaro. Ita octo numerati sunt. His nonus accessit Ernestus Augustus Dux Brunsuico - Hannoveranus a Leopoldo nominatus Elector an. 1692. & a Josepho in Collegium introductus an. 1708.

Q. III. *Quæ est Electorum potestas?*

R. 1. Ipsi soli Cæsarem vel Romanorum regem eligunt. 2. Ipsi soli Capitulationem concipiunt: quamvis & reliqui status manum admovere hactenus quæsierint. 3. Integrum iis est, quoties volunt coire. 4. Cæsari Comitia suadent. 5. In Curia Imperatoris utuntur Baldachinis, prandent cum ipso singuli in separatis tabulis. 6. In Imperio certant de priore loco cum regibus, nec Cardinalibus cedunt. 7. Eorum etiam legati regiis præferuntur, & in aula Cæsarea solis his regiæ ceremoniæ exhibentur. 8. Serenissimos Durchleuchtigste eos vocat etiam ipse Imperator, juxta Capitulationem Caroli VI. Alias Imperator Ecclesiasticos Electores suos *Nepotes* vocat, Neven: Sæculares vero *Cognatos*, Oheim. 9. Ab eorum sententiis appellari non potest, nisi in caussa denegatæ justitiæ. 10. Pro Investituris nihil expendunt in aula Cæsarea: Jrxta Auream Bul. 11. Si elector Ecclesiasticus nondum ipse est confirmatus a Pontifice, & consecratus Episcopus, tamen Electioni Imperatoris adest. At si sedes Electoralis vacet, Capitulum non vocatur ad Electionem. 12. Eodem modo Electioni Imp. interest Elector secularis nondum investitus. Si vero minorennis esset, ejus Tutor vocaretur ad Electionem.

§. V.
De Collegio Principum.

1. *Primas* eſt ille Archiepiſcopus, qui inter reliquos præcipuus & quaſi Patriarcha eſt. Is olim in Germania fuit Archiepiſcopus Magdeburgicus.

2. *Archiepiſcopus*, qui plures ſub ſe Epiſcopos numerat, qui dicuntur *ſuffraganei*.

3. *Epiſcopus*, qui jure ſacrorum præeſt toti Diœceſi, quales in Germania ſunt valde potentes, utpote ampliſſima ditione ac poteſtate etiam Politica præditi.

4. *Abbates* partim ſunt principes, partim non principes: omnes ſeſſionem habent in dextro ſcamno.

5. *Archidux*, omnium Ducum præcipuus tantum unus eſt Auſtriacus.

6. *Dux*, Herzog. Titulus eſt & Dignitas Principali major vulgo habita.

7. Principes Imperii ſuccedunt Ducibus. Attamen vulgo etiam Principes, Prinzen vocantur, qui appanagiati ſunt, nec ditionum ſunt Domini.

8. *Marchiones*, Marggrafen, vocabulo quidem principibus inferiores ſunt. Sed reapſe aliqui eorum etiam Ducibus ſuperiores, ut Brandenburgenſis &c.

9. *Landgravii* alii Principes ſunt ut Thuringus, alii tantum Comites, ut Alſatus, Leuchtenbergicus olim: Sed & iſti hodie Principes audiunt. Pappenheimii, Sulzenſes, hodieque ſe Landgravios dicunt, cum eorum ditiones non ſint niſi Comitatus.

10. *Comites* alii ſunt Principales gefürſtete Grafen, qui Dignitate Principum hoc modo conſpicui ſunt, ut tamen iis loco cedant, e. g. Tirolenſis, Hennebergenſis, &c. Alii non Principales. Ceterum in Comitiis duplex occupant ſubſellium ſeu ſcamnum Comites; altero comprehenduntur *Wetteravici*, qui per

per Franconiam, & Rhenum ditiones habent: Altero *Suevici.*

11. *Barones* Comitibus proximi eodem ſcamno, eodemque jure gaudent.

§. VI.
De Nobilibus Imperii.

1. *Nobiles Imperii*, die Freye Reichs-Ritterſchaft, immediati ſunt cives: nec tamen ſtatus Imperii ſunt, nec ſeſſione & ſuffragio in Comitiis fruuntur. Inter eos ſunt Equites & nobiles nude dicti.

2. Sunt S. R. Imp. Equites, qui honoris, meritorum, ſcientiæ aut virtutis cauſſa creantur ab Imperatore. Illi tamen nec Status Imperii ſunt, ſæpe etiam ne quidem immediati.

§. VII.
De Civitatibus Imperii.

1. Civitates liberæ ſeu *Imperiales* ſunt, quæ ſoli Imperatori & Imperio ſubjiciuntur. Reliquæ dicuntur *Municipales.*

2. Earum libertas originem præcipue habet ex Interregno magno, & Caroli IV. tempore, ut in Hiſtoria profana ſuis locis meminimus.

3. Sunt Status Immediati, gaudent Seſſione, voto, ac regalibus.

4. Olim 60. prope Civitates partim Imperiales, partim Municipales fœdus junxerunt *Hanſeaticum* dictum. Harum quatuor erant Ordines Lubeccenſis, Colonienſis, Brunſuicenſis, & Dantiſcanus. Quatuor item præcipua emporia, Londinenſe in Anglia: Bergenſe

gense in Norvagia; Brugense in Belgio; Novogardense in Moscovia. Omnium supremum arbitrium adepta est Lubecca. Tantæque huic fœderi vires accessere, ut Regnis ad Boream sitis, sed & ipsi denique Imperio videretur formidandum. Sed Carolus V. Imperator & Navigationes Hispanicæ nervum illi inciderunt. Hodie solum nomen Hanseaticarum Civitatum hæret Lubeccæ, Bremæ, & Hamburgo.

§. VIII.
De Officialibus Imperii.

1. Prima Officia, die Ertz = Aemter, ipsorummet Electorum sunt. Moguntinus est *Archicancellarius* per Germaniam; Trevirensis per Galliam; Coloniensis per Italiam: Boëmus est *Archipincerna:* Bavarus *Archidapifer:* Saxo *Archimareschallus:* Brandenburgensis *Archicamerarius:* Palatinus *Archithesaurarius.* * Nuper cum Bavarus Exautoratus fuisset a Cæsare Josepho, Archidapiferatus Palatino redditus fuit, qui ad eum spectaverat, ante quam ad Maximilianum I. Boium fuisset a Ferdinando II. Imper. translatus: eodemque tempore Josephus Imp. Hannoverano indulsit *Archithesaurarii* munus. Cum vero Badensi fœdere Bavarus suis ditionibus Officiisque redditus fuit anno 1715. etiam Archidapiferatum sibi denuo vindicavit: Palatinus vero repetit ab Hannoverano Officium Archithesaurarii: Id ille recusat: Inventum est quidem munus VEXILLIFERI pro Hannoverano; sed hoc suum jam inde ab antiquo vult Dux Wirtembergicus. Itaque nunc in excogitando novo Archi-Officio laboratur.

2. Singuli Electores habent suos *Subofficiarios hereditarios*, Erb = Aemter: Boëmi Subofficiarius est olim qui-

quidem Liber de Limpurg, hodie vero, gente illa extincta, Comes de Althan. Bavari Comes de Waldpurg. Saxonis Comes de Pappenheim. Brandenburgici Princeps Hohenzolleranus. Palatini Comes de Sinzendorff. Electores Ecclesiastici tanquam Archicancellarii nullos habent Subofficiarios *hereditarios;* quia munus Vice-Cancellarii scientiam exigit, neque adeo facile ad heredes transmitti potest. Trevirensis & Coloniensis, cum nullas habeant expeditiones, nullos etiam habent omnino Subofficiales. Moguntinus autem subofficialem Vice-Cancellarium Judicii Aulici, **den Reichs-Vice-Canzler,** aliosque constituit.

3. *Vicarii Imperii* sunt Saxo & Comes Palatinus Rheni. Hi Interregni tempore rebus prospiciunt. *Interim de hoc jure contendunt Bavarus & Palatinus: Ille asserit, cum Electoratu etiam Vicariatum translatum esse in Maximilianum I. & Domum Boicam. Alter vero contendit, Vicariatum Palatinis non deberi tanquam Electoribus, sed tanquam Comitibus Palatinis; idque eo amplius, quod iidem Comites Palatini nunc iterum sint Electores per pacem Westphalicam. Hanc contentionem aliasque simultates inter utramque Serenissimam Domum ab aliis potissimum nutritas anno 1724. fœdere inito sic composuere, ut utrique ex suis nominarent viros doctos, qui Collegium seu Consilium Vicariatus commune alicubi stabiliendum repræsentarent. Sicque factum an. 1741. defuncto Carolo VI. in urbe Augusta Vindelicorum. At cum id non paucis Principum displiceret, qui nollent duobus Vicariis parere, in altero interregno a. 1745. decreverunt ambæ Domus alternis deinceps vicibus Vicariatum obire. Itaque prior Maximilianus III. Bojus Monachii Vicariatum gessit. Dein eodem anno cum Palatinus electionem Francisci Lotharingi pronuntiaret irritam, declararetque Interregnum etiamnum durare, ipse sua in ditione promulgari sese Vicarium

jussit;

juſſit: quod cum vetare novus Cæſar cuperet, ceteri tamen Principes obſtiterunt.

4. *Comites Palatini* ſeu ſacri Palatii olim fere idem erant, quod nunc ſupremi Aulæ Præfecti. Poſt id officii perpetuo hæſit in duabus nobiliſſimis familiis Principum Rhenanorum ſeu Palatinorum, & Saxonum. Denique Cæſares alios conſtituere homines doctos ac nobiles, quibus certa negocia temperandi copiam fecerunt, eosque dixere Comites Palatinos. Hi alia inter poſſunt 1. Creare Notarios. 2. Legitimare ſpurios. 3. Famæ reſtituere notatos. 4. Doctores, nobiles creare, Poëtas lauro ornare. 5. Inſignia ſolemnia concedere.

5. *Notarii Publici*, alias etiam Tabelliones, & Judices Chartularii. Hi examinati debent ſacramentum dicere Imperatori & Imperio. Signum accipiunt ex autoritate conſtituentis, id eſt, iconem ſeu ſymbolum inſtrumentis a ſe confectis poſtea apprimendum. Ex officio tenentur obſequium ſuum præſtare petentibus; niſi ſint Doctores, Conſiliarii, Clerici, vel Monachi: ſecus pœnæ arbitrariæ rei evaderent.

CAPUT II.

De Comitiis, & Conventibus in Imperio.

§. I.

De Circulis, & Matricula.

Q. I.

Q. I. *Quid est Circulus?*

℟. Carolus V. post Maximilianum I. Imperium Germanicum in decem distribuit Provincias, quas *Circulos* Reichs-Kreyse dici voluit.

Q. II. *Quid est Matricula?*

℟. Est album seu liber continens nomina Statuum, qui in quovis Circulo siti sunt: una cum taxa pecuniaria, quam pendunt Imperio. Talem matriculam nullam invenire est editam ante annum 1431. Illa tamen, quæ in Comitiis *Wormatiensibus* descripta est jussu Caroli V. an. 1521. præcipuæ est autoritatis.

Q. III. *Quæ est methodus regiminis in his Circulis?*

℟. 1. Quivis circulus duos habet *Directores*, qui vocantur Ausschreibende Fürsten, eo quod reliquos status ad conventum forte cogendum vocent.

2. Unum *Ducem* den Kreyß-Obristen, qui militiæ illius Circuli Præfectum agit.

3. Unum alterumve *Adjunctum* & *Subjunctum*, qui ope sua adsunt tam Directoribus quam Duci.

4. *Quæstorem* Kreyß-Einnehmer, qui ærarii curam habet.

5. Curatorem rei monetariæ, quem vulgo General-Waradein dicunt.

§. II.
De Conventibus Circularibus.

1. Cujusvis Circuli status semel quotannis aut sæpius congregari possunt.

2. Si

2. Si ex omnibus Circulis conveniant certi Deputati, dicitur General-Kreyß-Tag.

3. Si ex uno circulo non omnes ſtatus conveniant, ſed ex ſingulis ſcamnis v. g. Principum, Comitum, Civitatum &c. tantum aliqui, dicitur der engere Kreyß-Convent.

4. Plerumque Cæſar ad hos conventus ſuos mittit Commiſſarios, qui tamen non interſunt ipſis deliberationibus.

§. III.
De Conventibus Electoralibus.

1. Dicuntur Churfürſtliche Collegial-Täg, aut Churfürſten-Täg.

2. Poſſunt cogi pro lubitu ipſorum Electorum.

3. Negociis publicis nullus modus poni poteſt in his Conventibus, niſi ſub ſpe ratihabitionis reliquorum ſtatuum, & autoritatis Cæſareæ apponendæ.

§. IV.
De Conventibus Deputatorum.

1. Dicuntur Deputations-Täg, aut Reichs-Deputation.

2. Ad hos conveniunt Commiſſarii Cæſaris, Electores omnes. E Principibus Catholicis Auſtria, Burgundia, Herbipolis, Conſtantia, Monaſterium, Bavaria: Ex Acatholicis Altenburgum, Culembacum, Brunſuicum, Pomerania, Haſſia, Megalopolis, Wirtenberga. Abbates Weingartenſis & Ochſenhuſanus. Comites Catholici Fürſtenbergici: Acatholici Weteravienſes. Civitates Catholicæ Colonia, Aquisgranum, Uberlinga: Aca-

Acatholicæ Norimberga, Argentoratum, Ratispona. Sic cautum an. 1559.

3. Aliquando pro re nata extraordinariæ ejusmodi Deputationes adornantur, sed minore numero atque apparatu.

4. Modus deliberandi &c. pene idem est, qui in Comitiis generalibus.

§. V.
De Comitiis Generalibus.

Q. I. *Quis convocat?*

℞. Olim Cæsar suopte nutu: nunc ad hoc ut consentiant, debet requirere Electores, & quidem per Legatos.

Q. II. *Qui convocantur?*

℞. Omnes *Status*. Et quidem etiam nondum confirmati, aut nondum Investiti. Pro minorennibus tamen vocatur eorum tutor. Sede vacante vocatur Capitulum.

Q. III. *Qui ergo comparent?*

℞. 1. Omnes *Status*. 2. Non tamen tenentur adesse in persona, sed per legatos, si placet. 3. Imo potest aliquis plane abesse: sed tum nihilominus tenetur stare decretis Comitiorum. 4. Non comparent Exemti primo & tertio exemtionis genere.

Q. IV. *Ubi celebranda comitia?*

℞. 1. Aurea Bulla Norimbergam præcipit: sed ex quo Catholicis sacris renuntiavit, nunquam is honor eidem habitus est. 2. Per Capitulationes Cæ-

sari

ſari haud licet convocare Comitia extra Imperium nationis Germanicæ.

Q. V. *Quibus de rebus conſilia miſcentur?*

℞. Non poſſunt hic tractari jura Majeſtatica aut Reſervata Cæſaris: Nec cauſſæ privatæ Statuum: Sed tantum publicæ, nempe Bella, Fædera, Res monetaria, Expeditiones in Turcam, &c.

Q. VI. *Quo ordine ineuntur Conſilia?*

℞. 1. Legatus Cæſaris (*Principalis Commiſſarius* dicitur, vel *Plenipotentiarius*) proponit.

2. Rebus deliberatis ſingula Collegia ſuffragium ſuum privatim ferunt. 1. Electores viritim. 2. In Collegio Principum *Principes* Eccleſiaſtici & Seculares viritim quoque ſententiam dicunt. Sed *Abbates* non Principes pro ſe quidem viritim votum edunt, ita tamen ut omnium Abbatum (in duo ſcamna diviſi ſunt, Suevicum & Rhenanum) curiatim collecta ſuffragia tantum *duo abſoluta Vota* valeant. *Comites*, qui in quatuor tribus ſeu ſcamna diſcernuntur, nempe Suevicum, Wetteravicum, Franconicum & Weſtphalicum, hi quatuor vota abſoluta conſtituunt. 3. In Collegio Civitatum, quæ in duo itidem ſcamna Suevicum & Rhenanum diviſæ ſunt, idem obtinet ſententiam curiatim dicendi modus, habentque duo vota abſoluta.

3. Rebus ita comparatis coëunt in unum omnia tria Collegia, votaque ſua, quæ ante ſeorſim conceperant, in commune conferunt. In quam vero ſententiam plures iverint, ea dein Cæſari probanda offertur. Plures, inquam, non perſonæ, aut Status, ſed Claſſes Statuum.

4. Attamen utut omnia Collegia conſpiraſſent, nihil tamen concludere aut decernere ipſis fas eſt, niſi annuente etiam Cæſare: ut adeo ſoli Imperatori plus pote-

potestatis adsit in Comitiis, quam simul omnibus Ordinibus.

5. Si demum inter utrosque convenerit, tabulæ solemnes conscribuntur, quibus postquam Cæsar atque Ordines subscripserint, vocantur *Recessus Imperii*, Reichs-Abschiede.

Q. VII. *Quanto tempore celebrantur Comitia?*

℞. Equidem Germanica vox diem tantum unum sonat, Reichs-Tag. Sed proxima Comitia coacta anno 1662. in hunc usque diem annis amplius octoginta trahuntur. Nec facile aut sine periculo solventur.

CAPUT III.

De Tribunalibus Imperii &c.

§. I.

De Consilio Imperiali Aulico.

Q. I. *Quid est Consilium Imp. Aulicum?*

℞. 1. *Consilium Intimum* geheime Kayserliche Rath decernit de negotiis politicis, quæ ad rationem Status attinent. 2. *Consilium Imp. Aulicum* Reichs-Hof-Rath caussis & litigiis Statuum componendum præest. Ac licet Consilium Intimum potioris sit dignitatis, attamen Imperatores promittunt, se non admissuros, ut Consilium Aulicum corrigatur per Consilium Intimum.

Q. II. *Quis est hujus Consilii autor?*

℞. Est antiquissimum & semper ab Imperatoribus sua in Curia habitum. Attamen ordinem illi modumque certum præfixit Ferdinandus I. an. 1549. Inde

Maximil. II. an. 1596. Mathias an. 1614. Ferdinandus III. an. 1654.

Q. III. *E quibus Personis componitur?*

℞. 1. *Præses* est aliquis e Principibus vel Comitibus.

2. Cancellarius quidem est ipse Elector Moguntinus, qui semper hic suum habet Vice-Cancellarium.

3. *Vice-Præses.*

4. Consiliariorum seu Assessorum duo sunt Ordines. 1. Die Grafen- oder Herren-Banck, constat e Comitibus, aut Baronibus. 2. Die Ritter- oder Gelehrten-Banck, constat Liberis, ut vocant, id est Freyherren aliisque nobilibus & Doctoribus.

Numero sunt 18. quorum sex, per infelicitatem temporum, & Westphalica pacta, debent essent Acatholici.

5. Aliæ personæ sunt *Secretarii, Agentes, Registratores &c.*

Q. IV. *Quis istos omnes constituit?*

℞. Præsidem, Vice-Præsidem & omnes Consiliarios constituit solus Imperator, a quo & Salaria accipiunt; eidemque fidem jurant, promisso tamen una, se Imperii utilitatem & jura attenturos.

2. Vicecancellarius, Secretarii &c. ab Archicancellario Electore Moguntino constituuntur, ad nutum tamen Imperatoris, a quo salaria accipiunt, eique jusjurandum nuncupant.

Q. V. *Quæ caussæ ad hoc tribunal spectant?*

℞. 1. Omnes controversiæ inter Status, nisi Cæsari specialiter sint reservatæ ut Investituræ &c.

2. Inter hoc tribunal & Cameram Imperialem viget *Jus præventionis*, ita ut caussa ad alterum horum tribunalium semel delata non possit revocari ad alterum.

Q. VI.

Q. VI. *Quis judicandi modus?*

℞. 1. Si inter Catholicum & Acatholicum lis trahatur, ad eam decernendam deputatur Consiliarius unus Catholicus, alter Acatholicus.

2. Res sine legum ambagibus quam fieri potest brevissime expeditur, &, ut ajunt, *Summarissime.*

Q. VII. *Nullum est hoc superius tribunal?*

℞. 1. Nullum, nec appellari etiam ad Cæsarem potest; quia res a Consilio Aulico judicata judicata censetur ab ipso Imperatore.

2. Attamen licet adhuc Cæsari supplicare, qui dein gratia sua, potestateque summa rebus prospicit. Hicque modus appellandi dicitur *Via supplicationis.*

§. II.

De Judicio Cameræ Imperialis.

Q. I. *Quid est Camera Imperialis?*

℞. Est Consessus multorum Nobilium & Doctorum ad lites privatas Statuum componendas.

Q. II. *Quis illam instituit?*

℞. Maximilianus I. anno 1495. in Comitiis Wormatiensibus, postquam sustulisset Diffidationes, ut jam diximus in *Historia profana.* Deinceps quidem sæpissime per Visitationes remedium ei adhiberi debuit. An. 1704. ob lites inter ipsos Assessores natas suspensum est hoc tribunal. Sed an. 1711. restitutum per Principem Abbatem Campodunensem Cæsaris Commissarium.

Q. III. *Ubi locorum erectum est?*

℞. Primo Francofurti, dein an. 1500. Norimbergæ, paulo post Wormatiæ. Denique anno 1530.

 Spiræ

Spiræ stabilitum. Verum ob Gallorum incursiones in tutiora & *Wezlariam* translatum est anno 1693.

Q. IV. *Quibus Personis constat?*

℞. 1. *Judex* est semper aliquis e Principibus aut Comitibus Ecclesiasticis vel Secularibus Catholicis.

2. *Præsides* bini, licet in Instrum. Pacis Westphal. constituantur bini Catholici, binique Acatholici:

3. *Assessores* vi Pacis Westphalicæ deberent esse 50. Sed ut parcatur sumtibus, hodie sunt tantum 20. aliquando fuere longe pauciores. Item debent esse pari numero Catholici & Acatholici.

4. Præterea Procurator Fiscalis, & Advocatus fisci, Notarii & Advocati reliqui.

Q. V. *Quis constituit istos?*

℞. 1. Judex & Præsides constituuntur a Cæsare.

2. *Assessores* a Statibus præsentantur. Singulisque Electoribus Jus est duos nominare, idem licet singulis Circulis.

3. Ministri Cancellariæ constituuntur ab Electore Moguntino Catholici, etsi Acatholici prætenderint etiam hic paritatem religionis.

Q. VI. *Unde Salaria capiunt?*

℞. Ab universo Imperio. Singuli enim Status inde ab an. 1521. taxam pecuniariam in Matricula Camerali descriptam pendere tenentur, quas taxas vocant **die Cammer-Zieler.**

Q. VII. *Quæ causæ hic agitantur?*

℞. 1. Eædem quæ in Judicio Aulico.

2. Quin vacante throno hoc judicium non quiescit, quemadmodum Aulicum; quod ipsum solum Cæsarem præsentat. At tum temporis Judex Cameræ utitur Sigillo Vicarii Imperii.

Q. VIII.

Q. VIII. *Quæ methodus decernendi?*

℞. Exacta admodum, ac propterea valde lenta.

Q. IX. *Poteſtne a Camera appellari?*

℞. 1. Nec ad Judicium Aulicum, nec ad Imperatorem ipſum provocare fas eſt.

2. Si tamen quis ſe læſum putet in cauſa, quæ ſaltem 2000. Imperialium æſtimaretur, datur *Reviſionis* remedium. Reviſores autem ſuunt iidem, qui Viſitatores Cameræ, qui demum litigio ſummam manum imponunt authoritate Cæſaris.

§. III.

De Judicio Comitis Palatini.

1. Longe repetito uſu, ac Aurea etiam Bulla cavetur, ut Imperator conveniri & ipſe judicio poſſit, quemadmodum ab orbe condito quivis Principes, orta ſe inter & ſubditum controverſia paſſi ſunt, rem a ſuis conſiliariis cognoſci.

2. A ſententia Imperatoris ad Comitem Palatinum appellari non poteſt.

3. Nec coram Palatino convenitur Imperator de Statu & Adminiſtratione Imperii, nec in criminalibus, ſed de privatis querelis, pactis &c.

4. Judicium exercere debet Palatinus in ipſa Curia Imperatoris.

5. Nec poteſt Imperatorem evocare, ſeu citare, multo minus minari, aut terminum præfigere; ſed tantum invitare.

§. IV.

De Regimento Imperii.

1. Maximilianus I. Camera jam inſtituta etiam *Regimentum* inſtituit, quod rebus controverſis modum

 dum

dum poneret, dum ipſe alibi terrarum ageret. An. 1500.

2. Hac occaſione Imperium in ſex Circulos ſeu Provincias diviſit, quorum cuivis integrum erat certos ad hoc conſilium ablegare Aſſeſſores numero fere 20.

3. Huic præerat Vicarius Imperatoris, ſeu Locumtenens.

4. Hic cauſſæ potiſſimum publicæ diſcutiebantur, cum in Camera Imperii tantum privatæ agerentur.

5. Sed Ferdinando I. creato Imperatore, Regimentum antiquatum eſt tanquam non neceſſarium; cum Ferdinandus corona Hiſpanica non impeditus ubique in Imperio potuerit eſſe præſens.

§. V.
De Judicio Rothwilano.

1. Inſtitutum eſſe dicitur a Conrado III. Reg. Germ. ſub an. 1147.

2. Prætor Judicii eſt Comes de Sulz: nunc ejus heres Princeps Svvarzenbergicus. Aſſeſſores duodecim ex Equeſtri ordine.

3. Ceterum ſolus Imperator huic Judicio ſupremam poteſtatem adhibet. Nec cuiquam Ordinum fas eſt ſeſe ingerere.

4. Licet in Congreſſu Weſtphalico deliberatum fuerit de eo abolendo: Cæſar tamen in Comitiis an. 1653. illud denuo confirmavit.

5. Poteſtas ejus eſt valde exigua.

§. VI.
De Auſtregis.

1. *Auſtregæ* dictæ ſunt a voce Germana Austragen, quod idem eſt ac componere, dirimere, tranſigere litem.

2. Ori-

2. Originem habent a Maximil. I. in Comitiis Wormat. an. 1495.

3. Cum unus Status adverſus alium habet, quod litiget, poſſunt ii alicui, vel aliquibus aliis Statibus tanquam arbitris committere litis diremtionem.

4. Attamen illi Judices non habent Executionem, ſed ea fit vel a Cæſare, aut ejus Commiſſione, vel a Camera Imperiali.

5. Jus Auſtregarum habent omnes Status Imp. e civitatibus Imp. tantum aliquæ eodem gaudent.

§. VII.

De Cancellaria Imperii.

1. Quidquid Imperii nomine expediendum eſt ſeu in Comitiis ſeu in Camera ſeu in Judicio Aulico &c. id omne dependet ab Electore Moguntino tanquam Archi-Cancellario.

2. In Conſilio tamen Aulico duplex eſt expeditio 1. Germanica; quæ fit per Moguntinum. 2. Italica, quæ fit a ſolo Imperatore idiomate plerumque Latino.

3. Habet ſuam Cancellariam etiam Imperatrix, cujus Archi-Cancellarius ſemper eſt Princeps Fuldenſis.

§. VIII.

De Archivo Imperii.

1. Archivum eſt locus, ubi conſervantur tabulæ & inſtrumenta ſeu Diplomata publica &c.

2. Illud ſub cura eſt Moguntini veluti Archi-Cancellarii.

3. Eſt tamen aliud archivum etiam penes Conſilium Aulicum; Etenim de omnibus ſemper bina conficiuntur

tur instrumenta, quorum alterum Archivo Imperii Moguntiæ, alterum Archivo Imperii Viennæ imponitur.

CAPUT IV.
De Legibus Imperii.

§. I.
De Aurea Bulla.

1. Princeps Imperii moderni lex est Aurea Bulla condita a Carolo IV. Cæs. in favorem præcipue Electorum, Norimbergæ an. 1356.

2. *Aurea Bulla* dicitur, quod appensam sibi habeat capsulam seu Bullam auream, quæ Sigillum Imperatorium exhibet. Hodieque asservatur Francofurti in Curia.

3. In ea condenda Carolo præcipuæ curæ fuerunt Electores, quibus multa concedit de Imperatoria etiam potestate, quæ per auream Bullam multum labis passa est.

4. Hujus Bullæ observationem urgent præcipue Electores in omnibus Capitulationibus.

§. II.
De Pace Publica.

1. Maximilian. I. Imp. Diffidationibus sublatis legem condidit, quam *Pacem Publicam* den Land-Frieden appellavit an. 1495. Cujus *Declarationem*, Erklärung des Land-Friedens edidit an. 1498. Utramque innovavit Carolus V. Imp. an. 1521. sub nomine weiterer Erklärung des Land-Friedens.

2. Hæc

2. Hæc Lex Diffidationes interdicit Statibus dicta multa 2000. Marcarum auri, & aliis gravioribus.

§. III.
De Capitulatione Cæſarea.

De hac dictum eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica, cum de Incrementis Hæreſis Lutheranæ ſermo fuit. L. 2. c. 7. §. 5.

§. IV.
De Pace Weſtphalica.

Satis ubertim de illa egimus in Hiſtoria Eccleſiæ, eodem loco.

§. V.
De Pace Religioſa.

1. Prima Capitulatio cuſa eſt in Electione Caroli V. an. 1519. Cum enim Carolus præter ditiones Auſtriacas etiam Regnum Hiſpanicum, Belgium, Italiam, recensque detectam Americam teneret, metus erat, ne potentia ſua ad circumcidendam Statuum libertatem uteretur. Quamvis condendæ Capitulationis cauſſa potior fuerint Acatholici, & jam tum Lutherani Principes, qui ſibi metuebant, ne tam potens Imperator Bona direpta Eccleſiis reſtitutum iret.

2. Itaque eligendo Carolo propoſitæ ſunt multæ conditiones, quas jurejurando firmare debebat, ſi tamen Diademate potiri cuperet. Eæ conditiones appellatæ ſunt *CAPITULATIO*, qua Cæſaris poteſtas reſtringitur in iis potiſſimum, quæ ſupra hoc Lib. 2. c. 1. §. 1. Qu. 6. diximus, Cæſarem non poſſe ſuo lubitu agere. Idque genus Capitulandi hactenus in morem abiit.

3. Cetera inter hoc etiam deplorandum eſt, quod in Capitulationibus condendis non raro audiri ſoleant

legati Exteri: quos tamen Germaniæ integritati ac saluti consulturos quis speret?

4. Capitulatio non est *Lex:* non enim a Superiore fertur in inferiorem: Nec Electores in ea loquuntur suo nomine: e. g. *Nos volumus fœdera nulla a Cæsare fieri &c.* Sed Cæsar ipse ait: Wir wollen, und sollen ohne ihr der Churfürsten wissen ꝛc. Denique in ipsa Capitulatione Electores (tanta potestate præditi principes regibusque ipsis haud minores) Cæsarem suum supremum Judicem, ac Dominum gratiosissimum profitentur & agnoscunt. Nemo autem subditus in Dominum suum leges fert: ergo Capitulatio non est Lex. Refertur autem inter Leges fundamentales tanquam *Pactum Præcipuum*, a quo petenda est regendi norma.

5. Olim soli Electores Capitulationem pangebant. Post etiam Collegium Principum manum admovere desideravit in Electione Rudolphi II. Sane Pace Westphalo-Monasteriensi articulo 8. cautum est, ut in proximis Comitiis conciperetur *Capitulatio perpetua* ex sententia *omnium Collegiorum*. Concepta est ab Electoribus an. 1664. triginta articulis. Verum licet an. 1671. & 1711. multa ad componendum dissidium tentata sint, nihil tamen effectum est.

§. VI.

De Pace Ryswicensi, & aliis.

1. Pacem Rysvvicensem diximus in Histor. Eccles. L. 2. c. 7. §. 5.

2. Legibus Imperii accensentur Reformatio Friderici IV. Handhabung des Friedens. Ordinationes Cameræ. Ordo Executionis Pacis Westphalicæ.

3. Acatholici tamen nec Pacem Rysvvicensem propter notum Articulum illum IVtum; nec Capitulatio-

lationem ipſam, quatenus in ea Cæſar promittit defenſionem Eccleſiæ Romanæ, pro legibus fundamentalibus agnoſcunt. Sed obſecro. ſi Hæreticis fas eſt hæc vel illa modo pro lege agnoſcere, modo damnare, ſuo omnia lubitu: cur tantopere ſemper inclamant *Leges fundamentales*, *Leges fundamentales*, *Leges fundamentales*: Quas tamen nemo frequentius, quam ipſi, eludit. Deinde ſi Pacem Rysvvicenſem ipſis liceat rejicere & non agnoſcere, quod *aliquæ Eccleſiæ rurales* per eam ad Romana Sacra ex hæreſi fuerint traductæ: Cur non liceret (ſi vellent) Catholicis, pacem Weſtphalicam rejicere, eo quod *plurimi Epiſcopatus* ac ditiones Eccleſiaſticæ per eandem pacem ſubjectæ fuerint hæreſi? Præterea hoc audent hæretici, cum ſint recentes, & ſciant, ſuam ſectam in Imperio tantum eſſe *toleratam*: quid quæſo, ſi æquo jure res decernendæ eſſent, quid non poſſent exigere Catholici, quorum religio & eſt in antiquiſſima poſſeſſione, & eſt Dominans in Germanico Imperio?



LI-



LIBER III.
Ratio Status Imperii Germanici.

CAPUT I.
De Potentia ac Defectibus Imperii.

§. I.
De Finibus & Amplitudine Imp.

1. Includitur Imperium Germanicum modernæ tempestatis *ab Oriente* finibus Polonicis & Hungaricis, Croaticisque. *A Meridie* parte maris Adriatici, ditione Veneta, alpibusque Rhæticis. *Ab occasu* Burgundia, Lotharingia & Belgio. *A Septentrione* Mari Germanico, Dania, Marique Baltico. Quæ omnia accuratius videre licet in Mappis Geographicis.

2. Provinciarum Germanicarum delineationem adornabimus Libro sequenti.

§. II. De Commerciis.

1. Abundat Germania omnis generis metallo, Gemmis etiam, sale, croco, vino, feris tam altilibus quam Sylvestribus: Exteraque merce vix ulla indiget, nisi ad luxum & pompam.

2. Mer-

2. Mercatus tamen in interioribus partibus languet. Quæ mari propiores sunt, mercaturam quidem exercent, sed quæ ad magnam potentiam non multum momenti afferat.

3. Defectus præcipuus hinc originem habet, quod Germani lucri non admodum studiosi sint. Et licet præ aliis gentibus magno labori sufficere possunt, malunt tamen industriam suam collocare aut in rebus propriis custodiendis, aut in belli negociis, aut in studiis innocentibus.

§. III. De Redditibus.

1. Totius Imperii amplissimi sunt proventus: Sunt enim non pauci, quorum quilibet quatuor, sex, decem pluresve Milliones ærario suo quotannis inferat. Ut taceantur minorum gentium proceres.

2. At tanta pecuniæ vis inutilis fit Imperio, quod in multos divisa sit.

3. Imperator ex Imperio nullos aut sane quam paucissimos proventus capit. Ut adeo dignitati summæ gerendæ par esse non possit, nisi propriis ditionibus polleat. Urgente tamen necessitate satis amplum a statibus exigit vectigal: quod tamen & ipsum tarde & ægre ut plurimum penditur.

§. IV. De vi Armorum.

1. Ea facile tanta est; ut omni reliquæ Europæ jugum minari valeat, si mallet Germania, uno Capite uti, quam multis. Vel si saltem in multis capitibus sperari unitas concordiæ semper posset.

2. Solus Imperator, seu Domus Austriaca, ducentorum millium exercitum hodiedum alit, facile additurus centum alia millia. His reliqui Status adjungere possunt quadringenta aut quingenta armatorum millia, cum opus fuerit.

§. V.

§. V. Defectus Imperii.

1. Defectus est, quod plures, sibique adversantes religiones & Sectæ invaluerint.

2. Quod Imperatoris potestas sit ligata: Hinc si bellum gerendum est, si Pax concilianda, si alia gravis momenti negocia administranda, primum cogenda sunt Comitia: ad illa conveniunt, qui volunt: alii Legatos mittunt, quibus in mandatis dant nulli rei consentire, nisi principem suum de ea prius monuerint: in ipsis deliberationibus aut litibus de præcedentia, aut de jure suffragii tempus teritur. Interim occasio, quæ calva est, elabitur.

3. Mutua inter Imperatorem & Status diffidentia & Æmulatio. Hinc si forte Imperatori res ex voto succedunt, si provinciam sui juris fecit &c. adsunt quidam status, qui, ne Imperatoris augeatur potentia, malunt eam quocunque modo præcidi.

4. Ordinum magna potestas etsi jure ipsis adsit (quis enim dubitat?) attamen officit Germaniæ felicitati. Dum enim hi Ordines potentiam in centum capita distraxerunt, & quivis suo potius quam communi emolumento studet, necesse est communem etiam potentiam labem trahere: Vis enim unita fortior.

5. Magnus defectus est, quod Ordinibus liceat fœdera privata colere cum vicinis, illis etiam, qui frequenter & assidue Germanico Imperio inhiant. Ac licet cautum sit, ne fœdera pangantur adversus Imperium, quis tamen non videt, quam anceps hoc sit & aleæ plenum? Vidimus illud non semel superiore & hoc nostro ævo.

6. Ad hæc singuli Ordines possunt exteris copiam facere legendi militem ex sua Germanica provincia, arma equosque comparandi. Id quod non raro in dispendium Germaniæ cessit.

7. Ac-

7. Accedit, quod exteris sæpe locus detur, quo abutuntur ad serendam inter Status discordiam &c. Sic nullus fere est in Germania Conventus, nullum negocium, quo non admittantur Gallorum, aliorumve Legati. Quod certe Galli a Germanis nunquam patientur.

8. Maximum Imperio detrimentum afferunt Acatholici. Hi enim sicubi in Gratiam Imperatoris redire, aut alias fœdus jungere desiderant; id agunt, ut potestas de rebus Imperii, de Statuum juribus, de Cæsaris potestate, de pacis denique legibus constituendi decernendique vel. sit penes Gallum, vel Suecum, Batavos aut Anglos. Nemo autem est tam bardus, qui speret, istos vicinos Germanici Imperii potentiæ ex animo, & plus quam suæ consultum velle. Testis sit vel sola pax Westphalica, cujus tabulas qui oculis usurpaverit, obstupescet.

9. Ceteri denique defectus sunt, quod desit Cæsari ærarium; miles perpetuus ad custodiendum limitem alendus ab Imperio; denique quod nullæ sint maritimæ vires.

CAPUT II.

Prætensiones Imperii Germani.

1. Imperium juri suo denuo assertam vult *Italiam Longobardicam*, scilicet Mediolanum, Mantuam, Parmam, Florentiam, Genuam, Luccam &c. quippe hæ provinciæ sese jugo subduxere interregni magni tempore, & postea ætate Ludovici Bavari occasione motuum intestinorum Germaniæ, ac demum tempore Caroli IV. qui levissimo ære nonnullis libertatem vendidit. Ac licet quædam ex istis feudi titulo Cæsaribus obnoxia sint, sunt tamen exemta, multumque nocumenti afferunt ob assidua bella.

2. Regna

2. Regna *Neapolitanum* & *Siculum*, quæ Suevicis Principibus erepta ſunt a Carolo Andegavenſi. Hodie quidem Auſtriacæ genti aſſerta ſunt, cum Imperio tamen Germanico nihil habent commune. Imo ab Auſtriacis iterum ad Hiſpanos delapſa ſunt. an. 1735.

3. *Delphinatum* ac *Provinciæ* Gallicæ partem, quam Carolus IV. dono dedit Gallis, aut etiam pro lautiore obſonio eandem illis ſubjecit.

4. *Burgundiam*. De qua vid. Hiſtor. Profan.

5. *Helvetiam*. De qua conſule Geographiam.

6. *Lotharingiam*. De qua in Geographia.

7. *Belgium* & *ſeptem fœderatas* Provincias ſeu Hollandiam. Hæ enim a Carolo V. an. 1548. ſubjectæ fuerant Imperio Germanico, & Circulo Burgundico comprehenſa: ſed illæ ſeptem cum jugo Hiſpanico & Auſtriaco ſimul & Imperii jugum excuſſerunt an. 1579.

8. *Daniam* tributariam fecit Henricus I. Auceps, Rex Germaniæ. Et Fridericus I. Imp. regios eidem honores indulſit. Sed paulatim ſuo jure vivere cæperunt Dani.

9. *Polonia* & ipſa jus legesque ab Imperio accepit, ac regios etiam faſces ab Ottone III. Imp. an. 1000.

10. De *Boruſſia* & *Livonia* vide in Geographia.

11. Denique *Alſatiam* nuperis bellis Auſtriacæ Imperiique ditioni ereptam repetere fas eſt; Abſtrahendo a pactis fœderibus.



CA-

CAPUT III.
Maximæ, & Momenta Politica.

§. I.
Maximæ Imperatoris erga Status, & viciſſim.

1. Imperator imprimis attendit, ne Status aliquis evadat tam potens, ut ſe ſubducere obedientiæ poſſit. Dein ne exteris ſuſpecto fœdere jungantur. Denique ne infirmiores a potentioribus Statibus opprimantur. Ne quis uſurpet jura Majeſtatica & Reſervata Cæſarea.

2. Status contra cavent, ne Cæſar nimia potentia fretus eorum libertati frenum injiciat. Ne ipſos ſuis in juribus impediat. Ne contra Auream Bullam, Capitulationes, Inſtrumentum pacis &c. fœdera pangat, privilegia indulgeat &c.

§. II.
Maximæ mutuæ Imperii & Domus Auſtriacæ.

1. Imperium debet curare, ut potentia Domus Auſtriacæ maneat indiviſa; quia ejus ditiones inde Turcæ, hinc Gallo objectæ ſunt; quæ ditiones ſi in plures Dominos dividerentur, aut eriperentur Domui Auſtriacæ, non poſſent ſervari tutæ: atque his ſemel ablatis Imperium ex utroque latere ſummo in diſcrimine verſaretur.

2. Nec audiendi ſunt, qui dicunt: Iſtud vel illud Bellum ad Imperium nihil attinet, quia tantum pro ditio-

ditione Auſtriaca pugnatur. Sic quidem ante ducentos annos nonnulli Status voluere, cum pro Burgundia arma ferenda fuiſſet. Sed quam felici conſilio? Eventus docuit. Nam Burgundia abrepta eſt quidem Auſtriacis, ſed una etiam Imperio. Illaque abrepta mox etiam Alſatiæ & decem Civitatibus Imperii idem jugum impoſitum eſt. Alſatia ſubacta ordo tetigit Palatinatum, qui ægre demum Imperio eſt reſtitutus. Quid ſi belli alea etiam hunc Gallis reliquiſſet? Profecto tum Francones & Suevi, & poſt illos Boii, iniquo loco verſarentur. Ergo pernicioſe conſulunt Imperio, qui Auſtriæ auxilia negant.

3. Cum reliqui Status omnia vectigalia, territoria, proventus &c. ſibi ipſis vindicaverint, Cæſarique nihil reliquerint, impoſſibile eſt, ut Cæſaream dignitatem ſuſtinere quis poſſit, niſi qui ſuismet opibus valet. Cum ergo vix ullus ſit e reliquis Statibus huic oneri par ferendo, præter ſolam Domum Auſtriacam, neceſſe eſt, ut illa omnibus modis foveatur, & colatur. Interea tamen multi etiam Indigenarum Auſtriacis invident; quod quam e re Imperii ſit, norunt vel inimici, quibus nihil magis in votis eſt, quam ut Domus Auſtriaca invidiæ reliquorum Statuum ſit expoſita.

4. Id exigit ipſa gratitudinis debitæ lex. Millena enim auri millia e ſuo ærario impendit Auſtria in Judicium Aulicum, in Legationes, in Pompam Imperatoriam, in alia Imperii negocia, cum ad hæc omnia Imperium ne obulum quidem conferat.

5. Contra Domus Auſtriaca ſtudet imprimis ſuæ potentiæ conſervandæ: Cavet autem ſibi maxime ab iis Statibus, qui amici ſunt exteris Auſtriæ perpetuis inimicis aut æmulis. Contra ſunt, qui reponant.

1. Ne-

1. Necesse quidem videri, ut potentia aliqua talis conservetur; at eandem non necessario Domus Austriacæ esse, sed forte & alterius esse debere: maxime Domo Austriaca extincta. 2. Ajunt bella illa, quibus ditiones Imperio ereptæ sunt, non fuisse oritura, nisi occasionem dedisset inimicitia ab Austriis in Galliæ reges exercita. Hæc inimicitia cœpit ob hereditatem Burgundicam, quam Maximilianus I. sibi vindicare laborabat ab anno 1480. quamdiu Imperium Germanicum his se bellis non intulit nihil terrarum etiam Austriacarum Imperii Galliæ reges vel tetigerunt, tametsi Imperium & milite sæpissime & argento juverit Austriacos. At elapsis annis sexaginta quatuor anno 1544. cum Imperator Carolus V. obtinuisset, ut Imperii nomine & auspiciis exercitus infunderetur in Galliam, atque adeo bellum in vicinum ab Imperio inciperetur, tum vero cœpit & ipse Gallus, invitatus præterea a Germanis, ditiones occupare Imperii, Metas, nimirum, Tullum, atque Verdunum: maxime secutus exemplum Imperatoris Caroli V, qui jam ante civitatem Cameracensem cum Principatu sui juris fecerat, quamquam ad Imperium spectaret. Vid. Mülleri Reichstags = Theatrum. Bellay Memoires. Ribier. Belgium autem Burgundici circuli nomine, ac Imperii tutela donatum denique est an. 1548. quo id obtinuit Domui suæ Imperator, ut bella Gallorum adversus Belgium, quæ adhuc solam petere Domum Austriam omnibus videbantur (quod Flandria Feudum esset Galliæ, Austriique Flandriæ Artesiæque nomine Gallorum Vasalli) deinceps etiam adversus Imperium geri crederentur, quod Flandria novum nomen circuli Burgundici hac Caroli V. pactione accepisset.

Ergo videbantur his, qui ista spectabant perniciose consuluisse Imperio ii, qui Austriæ non auxilia modo addixissent, sed & ejus lites suas fecissent.

3. Rurſus videntur aliis alii quoque Principes eſſe Germani ſuſtinendæ Auguſtæ Majeſtati omnino pares. Satis accrevit majorum Principum poteſtas, ut eorum quivis eſſe Cæſar poſſit, ſi quietus pacatusque eſſe velit, nec bellis exteris implicare ſecum rem publicam.
4. Magnificentia aularum aliarum nihil cedit, ſic aliis videtur, aulæ Viennenſi. Legationes & ipſæ alunt; alereque plures, & ſuſtinere alia poſſent, ſi tantum pecuniæ ex omni Imperio in alias regias inferretur, quantum a tot annis Viennam defluxit. Dein computant illi ſumptus ingentes, ſanguinemque & animas quas profudere Germani ad Auſtriacos tutandos, eorumque bella ſuo periculo impenſaque decertanda in Italia, in Hungaria, in Belgio, in Hiſpania.

6. Sed harum rationum multæ alia jam facie apparent, ex quo Domus Habſpurgica Hiſpaniæ poſſeſſione, Italiæ majore ac Belgii parte excidit & jam in utroque orbe extincta in alios lares opes infert ſuas.

§. III.

Maximæ Imperii erga Exteros.

1. Facile eſt ominari, quid Imperio cavendum ſit in illis vicinis, in quos prætenſionem format, nempe in Helvetis, Batavis &c.

2. In Gallo, ſi quis conſideret, potius cavenda ſunt fœdera quam arma. Etenim nunquam tam infelici marte pugnavit Gallia, ut non multum ſpolii reportaverit, cum ad fœdus & pacem ventum eſt.
Cauſſa

Caussa est potissima, quod Imperii fœderatos pellicere soleat, ut relictis Imperii partibus particulare fœdus pangant cum Gallo. Sic proditum Imperium aut nudatum plerumque ad iniquas conditiones accipiendas cogitur.

3. *Sueco* quam sit caute invigilandum, ingentia prioris seculi mala nos docent. Quamvis hodie accisis suis rebus sat habeat, quod suæ saluti consulat.

4. Nec a *Venetis* quidem omnia tuta sunt, seu in Dalmatia, seu in Longobardia. Nunc tamen Peloponneso exutis melior sors optanda.

5. *Helveti* Germanorum amicitiam suspectam habent, ne ulla possit esse occasio eos ad obsequium revocandi. Unde hoc potissimum in iis attenditur, ne nimis Gallo amici sint.


6. *Anglos* & *Hispanos* amicos habere expedit Germaniæ: Sic enim minus periculi est a Gallis.

§. IV.

Maximæ Statuum inter se.

1. Catholici ad hoc intenti sunt, ne hæretici seu propriis viribus, seu Ecclesiarum spoliis, seu maxime externis fœderibus fiant præpotentes. Id ipsum in Catholicis cavent hæretici, & ne Ecclesias Catholicæ Ecclesiæ abreptas recuperent.

2. Status potentiores insidiantur infirmioribus, eosque suis in ditionibus sitos, aut iis vicinos eximere quærunt atque juri suo subdere. Id ne fiat, solliciti sunt vicissim Status infirmiores, implorataque Cæsaris Autoritate, aut mutuis inter se fœderibus suam spartam observant.





GEOGRAPHIÆ POLITICÆ.

LIBER I.

Iſagoge ſeu Principia Geographica.

CAPUT I.

Quid & quotuplex ſit Geographia?

Q. I. *Quid eſt Geographia?*

℞. Hæc Scientiarum humanarum facile ſpectatiſſima illa eſt, quæ terrarum orbis, locorumque per eas ſparſorum ſitum metitur.

Q. II. *Eſtne unius tantum modi ſcientia?*

℞. Variæ eſt indolis, ſi rem, qua de agere amat, conſideres. Ad principia vero ſeu regulas quod attinet, quibus illa nititur, eædem ſunt ſemper ac ſibi conſtant.

1. *Coſmographia* audit, quando non nudam telluris aream ſuas in regiones diſtinguit, ſed una Elementorum temperiem, temporum quoque & lucis ac noctium vices explicat.

 2. *Chro-*

2. *Chronographiam* dixere, cum Regni, aut peramplæ alicujus regionis typum adumbrat.

3. *Topographiæ* nomen est, si Urbis forte aut angustioris cujuscunque terrarum limitis etiam agros, nemuscula, rivos, ac minuta demum quæque ob oculos ponit.

Q. III. *Sed amabo, num omnium ætatum eadem fuerit Geographia, paucis me doctum eas.*

℞. Erras ab Italia, si id somnias. Ut enim omnia terrena aut cum hominibus, aut ab ipsis etiam varias subeunt vices, ita Geographia quoque variam induit faciem. Sepiuscule enim Urbes, maximi apud mortalium antiquissimos nominis, seu bellis, seu incendiis, seu undarum litus dedignantium mole, aut terræ concussu sunt haustæ, seu vetustate ipsa ruinas egerunt, aut nomen denique varium a vario hominum per ætates genio, a varia quoque lingua tulerunt.

Quæ res negocium nobis facessit Geographiam aliam dicendi *Veterem*, *Mediam* aliam, aliamque *Recentem*.

Vetus loca locorumque nomina narrat ad illud usque ævi usitata, quo Monarchia Romana exordium sumsit.

Media ab eo tempore ad Caroli Magni ætatem, & eo amplius pertinet, qua vel Barbarorum populorum irruptionibus susque deque iverunt cum regnis urbes, cum urbibus cives, cum civibus mores, & gentium non paucarum idiomata: Vel etiam Romanorum, Græcorumque Imperatorum, suo arbitrio rebus omnibus modum ponentium, libertate passim omnia mutata sunt.

Recens denique Geographia hac, qua vivimus nos, tempestate obtinet.

CA-

CAPUT II.

De Geographiæ Regulis Generalibus.

Ut Orbis ſitum, ceteraque quæ inde naſcuntur, explorata tibi facias, plurimum momenti afferent ea, quæ mox dicturus ſum.

I. Tota moles cælorum ſimul ac terræ dici ſolet uno vocabulo *Mundus*. Tellus vero iſta, quam habitamus, *Terra* vocatur, aut *Globus terraqueus*.

II. Tam globus iſte Terræ, quam totus omnino mundus figura ſunt ſphærica ſeu rotunda.

III. Terra medium mundi locum tenet; & centrum terræ eſt ipſiſſimum centrum totius mundi, omniumque cælorum. Atque hinc ne dubites, quin terra iſta ab omni parte ambiatur circumfuſo aëre, Cæloque quaquaverſum cingatur.

IV. Terra per omnem ſuum ambitum aut habitatur, aut habitari ſaltem poſſet, niſi aquæ impedimento eſſent. Et omnes ejus incolæ, quocunque demum terræ loco morantes caput ad ſidera erectum habent.

Q. *Oportet, ut hæc planius explices: me enim quod attinet, riſi, cum hæc narraſti. Nam ſi terra rotunda eſt, & ex parte adverſa, ſubtus nos nempe, homo quiſpiam ſtare cuperet, vereor, ne ille decidat?*

R. Omni hoc metu te abſolutum volo. Nam ecce uti nobis, cum erecto ad ſidera vultu ſtamus, nihil periculi eſt, ne in cælum & ad ſidera cadamus: ita plane fit iis, qui in averſa terræ parte degunt, etſi pedes ſuos noſtris pedibus obverſos habeant. Niſi forte exiſtimes eos cervicem telluri admotam tenere, pedesque contra in aëra ſurrectos,

Quin, utut etiam hoc facerent, cadere tamen non possent sursum ad cælum. Nunquamne vidisti histriones manibus ambulantes, pedibus interim in aëre fluitantibus? Nunquid propterea illi versus cælum cadunt?

Q. *Teneo quod dicis: sed causam tamen volo, cur cadere versus cælum Antipodes nostri nequeant?*

℞. Ea est, quod centrum sit in terræ medio: nam quidquid est grave, quando cadit, ad centrum properat. Uti ergo lapis sua sponte nunquam altra petit, quia gravis est, ita nec hominis quidem corpus.

Hinc nullo negocio manus dabis, si a te contendam, quod is, qui scrobi per medium orbem ductæ incideret, non esset casurus, nisi ad medium usque, seu centrum terræ, utut scrobs illa pateret ulterius ad oppositam terræ regionem. Nam ulterius tendenti non jam deorsum cadendum, sed sursum esset enitendum & scandendum: quidquid enim a centro recedit sursum est. Sed ego reliquis te documentis instruam.

V. Cælum omne circa orbem terrarum volvitur rotunde.

VI. Quidquid rotunde gyratur, duo habet extrema puncta, in quibus velut cardinibus vertitur. Videre id est in globo ligneo, quem tornator torno in sphæram cogit. Nec te fugiat, duo illa puncta *Polos* dici.

VII. A polo altero ad alterum per centrum animo & cogitatione ducenda est linea, velut si quis globum ligneum veru aliquo, seu filo ferreo trajiceret. Linea hæc *Axis* est, circum quem totus globus versatur, quemadmodum rota circum axem.

VIII. Orbis quidem terræ non agitur in gyrum, sed stat immotus, circa eum tamen ejusque polos & axem ac centrum agitur Cælum. Sive Cælum & motus ejusdem polos, axem ac centrum idem cum terra habet.

IX. Hæc

IX. Hæc quidem ita ſe habent. Nunc vero probe in animum tuum demittas, quod proferam: Non uno motu gaudet Cœlum, ſed duplici fere, eoque diverſo. Etenim (1) Extremum ſeu ſupremum, quod movetur, cœlum *Motu Primo* agitur ab Oriente in Occidentem. Atque hoc impetu etiam ſecum rapit ac circumducit omnes, qui inferius ſunt Cælos, ſideraque omnia. Abſolvitur is motus intervallo viginti quatuor horarum ſeu diei plane unius. Eamque ob cauſſam Primus hic motus dicitur etiam *Motus Diurnus*.

(2) Infra illud extimum cælum (quod Primum mobile dixere) eſt *ſphæra octava*, ſeu illa cæli pars & fornix, quæ continet ambitu ſuo ſtellas Fixas. Atque hæc motu agitur primo motui prorſum adverſo. Nam cum primus motus ſit ab Oriente in Occidentem, ſphæra illa octava *motu contrario* ex Occidente proficiſcitur in Orientem. Atque hæc ſphæra denuo ſecum circumfert omne illud cælum quod ipſa inferius eſt, nempe Planetas omnes.

X. Hinc facile erit intelligere, quod omnes ſtellæ & planetæ, utpote ſphæra illa octava inferiores ſimul duplici motu ferantur. Nempe per motum extimi cæli, ſeu per *primum motum* ab Oriente in Occidentem tendunt intervallo 24. horarum: per motum ſphæræ octavæ, ſeu per *motum contrarium* ab Occidente in Orientem vergunt.

XI. Vario autem temporis intervallo hæc aſtra ſuum orbem perficiunt: hac tamen lege omnes, ut, quæ propius a terra abſunt, citiſſime in orbem reducantur; quia minus viæ, ſeu minor gyrus eſt ipſis decurrendus. Hinc luna viginti octo fere diebus redit ad priſtinum locum.

Contra qui ſuperiores ſunt Planetæ tardius ad metam ſui motus contrarii pertingunt; quia ingens viæ ſpa-

ſpacium debent conficere, tanquam a centro terræ valde remoti Inde Saturnus ceteris ſuperior 30. tantum annis curſum hunc peragit. Ipſa vero ſphæra octava cum ſtellis ſuis fixis triginta & amplius annorum millia abſumit, donec Orientem verſus redeat ad idem punctum, unde cæperat moveri: quia nempe illa ſphæra eſt plane remotiſſima a centro. Sed miſſis ceteris Sol unus maxime Geographo eſt attendendus: qui ceterorum Planetarum eſt medius, ut hic vides.

♄. Saturnus.
♃. Jupiter.
♂. Mars.
☉. Sol.
♀. Venus.
☿. Mercurius.
☾. Luna.

XII. Sol itaque orbem ſuum, ſeu motum contrarium ab Occidente in Orientem conficit trecentis ſexaginta quinque diebus, horis inſuper quinque, & quadraginta novem minutis.

Q. *Quid mihi proderit hæc noſſe?*

℞. Hac tu notitia carere neutiquam poteris, ſi Zodiaci indolem intelligere voles, de quo poſtea ſermo redibit.

XIII. Globum terraqueum variis lineis diſtinguunt Mathematici; non quod illæ lineæ reapſe inſcriptæ ſint telluri, ſed ut earum ope animus diſcentis omnia certa lege comprehendere poſſit.

XIV. Circulorum illorum alii vocantur *Maximi*, alii minores.

Maximus Circulus eſt omnis ille, qui idem cum Globo centrum habens totum Globum, quantum ullibi patet, ac totam ejus peripheriam (*ambitum*) circumplecti-

plectitur, eumque in duas partes *æquales* dividit. Tales in Globo sunt 1. Omnes Meridiani. 2. Horizon. 3. Æquator. 4. Zodiacus.

Minores Circuli sunt omnes reliqui, qui non totam ambiunt sphæram; quales in globo sunt Tropici, circuli polares, omnes paralleli.

XV. Quivis Circulus a Mathematicis secari solet in 360. *Gradus.* Quivis gradus in 60. *Minuta.* Quodvis minutum in 60. *Secunda.* Quodlibet secundum in 60. *Tertia* &c. In eorum libris has divisiones his notis scriptas leges, e. g.

°	′	″	‴	⁗	
15.	45.	36.	54.	28.	&c.

Quas notas sic leges: 15 *Gradus.* 45 *Minuta.* 36 *Secunda.* 54 *Tertia.* 28 *Quarta &c.*

XVI. In Globo terrestri, seu Mappa quadam Geographica quilibet Gradus, si modo sit ex circulo aliquo NB. *Maximo*, comprehendit 15. milliaria Germanica. Id est, Si ego seu terra seu mari recta via proficiscar 15. milliaria Germanica, possum dicere, me unum gradum confecisse eundo.

Hinc faciles inibis rationes, quantum milliarium contineat totius terræ ambitus. Nempe, cum Gradus per gyrum sint 360. & quivis gradus sit 15. milliarium, necesse est totum ambitum contineri milliaribus Germanicis 5400.

Id vero de Circulis, ut dixi, maximis est intelligendum, nam minores, qui circum polos sunt ducti nempe paralleli, Tropici &c. pauciora etiam continent milliaria. Visum est igitur hoc loco tabulam struere, e qua seu in globo, seu in quavis mappa Geographica facile scire poterit studiosus, quot milliaribus locus distet a loco, ab Oriente in Occidentem, vel vicissim metiendo. Nam si ab æquatore ad polum aliquem metiaris, dubitare non licet, quin singuli

gra-

gradus dent 15. milliaria; quia sic metiendo secundum circulum maximum, Meridianum nempe, progrederis.

Si hac tabula usurus es, vide in Charta vel globo sub quoto gradu *Latitudinis* sit locus uterque, quem investigas e. g. sub 51. Quære itaque in hac tabula gradum 51. & videbis e latere scriptum numerum milliarium 9. & $\frac{1}{2}$ quæ continentur uno gradu longitudinis ab Oriente in Occidentem vel vicissim. Deinde videsis in margine supremo vel in infimo Mappæ, quot gradibus longitudinis locus unus ab altero distet. Si itaque distent v. g. 10. gradibus, & quilibet gradus habeat $9\frac{1}{2}$ milliaria, facile erit colligere, ambo illa loca distare milliaribus fere 95.


Graduisto Latitudinis. Gr.	Unus Gradus Longitud. habet milliaria.	Gradus	Milliar.	Grad.	Milliar.		
1	15 --	28	13 - $\frac{1}{4}$	43	11 - -	62	6
10	14 $\frac{3}{4}$	30	13 - -	44	10 - $\frac{3}{4}$	66	5
15	14 $\frac{1}{2}$	32	12 - $\frac{3}{4}$	46	10 - $\frac{1}{2}$	71	4
18	14 $\frac{1}{4}$	34	12 - $\frac{1}{2}$	47	10 - $\frac{1}{4}$	75	3
21	14 - -	35	12 - $\frac{1}{4}$	48	10 - -	78	2
23	13 $\frac{3}{4}$	37	12 - -	49	9 - $\frac{3}{4}$	82	1
26	13 $\frac{1}{2}$	38	11 - $\frac{3}{4}$	51	9 - $\frac{1}{2}$	90	0
		40	11 - $\frac{1}{2}$	52	9 - $\frac{1}{4}$		
		41	11 - $\frac{1}{4}$	53	9 - -		
				54	8 - $\frac{3}{4}$		
				55	8 - $\frac{1}{2}$		
				58	7 - -		

XVII.

XVII. Ante quam ad Globi delineationem gradum faciam, de quatuor mundi plagis nota. Illæ ſunt *Oriens*, *Occidens*, *Meridies*, *Septentrio*. Si ſtes verſus ſeptentrionem converſo vultu, habebis a dextra Orientem, a ſiniſtra Occidentem, pone te vero Meridiem ſeu Auſtrum. Nunc ad Globum.

CAPUT III.

Explicatio Globi & Circulorum.



A. *Polus Arcticus*, seu Septentrionalis, vel Borealis.
B. *Polus Antarcticus* seu Meridionalis, aut Australis.

A B. *Axis mundi.*

C-D. HORIZON. 1. Est Circulus maximus, qui transiens terræ centrum & Meridianum recto angulo (Winckelrecht) secans, globum in duo hemisphæria seu semiglobos æquales dividit. Ejus axis est linea ducta a puncto verticis humani P. per centrum mundi ad punctum e regione oppositum Q. Quæ duo puncta mathematicis sonant, punctum *Zenith* seu verticale, alterum *Nadir.*

2. Varium sortiuntur Horizontem terræ incolæ. Nam facile vides, illum, qui habitaret in puncto (r alium habiturum esse horizontem; quia ab illius Zenit) r ad Nadir S. si duceretur linea R. S. & si duceretur etiam altera illi recto angulo transversa per centrum mundi ex t in u, illa linea t-u foret hujus hominis horizon.

Q. *Non satis te capio hæc philosophantem.*

℞. Et quidem facile crediderim. Sed rem ipsam, scriptis quidem verbis, planius dicere nequeo. Fac autem Globum ipsum mathematicum aliquando inspicias & verses, tunc enim levi negocio rem pulcherrimam disces, si sit, qui vel paululum te erudiat.

Q. *Sed tamen nihil est præterea de horizonte, quod scire fas sit?*

℞. Est enimvero. Nam cum primum sol revolutione diurna post mediam noctem super illam horizontalem lineam ascendit, dies est illi loco, qui eundem horizontem habet. Tamdiu etiam tenet illa dies, quamdiu sol super horizontem extiterit. Mox vero ubi ex adversa parte cæperit infra horizontem mergi, vesper ingruit & nox.

* A.

*
* *

A-F-B-E Totus ille circulus extimus est MERIDIANUS. 1. Est circulus maximus per utrumque polum ductus. Hoc nominis sortitus est ob id, quod sol diurno motu ab oriente in occasum vergens meridiem efficiat tum, quando talem circulum attingit.

2. Omnia loca *eidem alicui* meridiano circulo in terris subjacentia simul meridiem habent, simul noctem concubiam.

3. Omnes porro circuli a polo altero ad alterum recta ducti sunt Meridiani.

4. Id tamen discriminis intercedit, quod unus talis circulus præ reliquis dicatur *Meridianus Primus*, Primarius, vel Principalis. Hic in Globo, aut Mappis Geographicis grandiore calami ductu, vel duplici scribitur.

5. Non convenit autem Geographis de loco certo, ubi eum scribant. Multi tamen ducunt inter Africam & caput viride per insulas Canarias seu Fortunatas, unamque illarum Teneriffa dictam.

6. Hic circulus secat Æquatorem & Zodiacum ab Occidentali parte in primo gradu *Libræ*, ab Orientali vero in primo gradu *Arietis*.

7. Meridianus est circulus maximus divisus in 360. Gradus; atque hi gradus ab æquatore ad polum numerati indicant *Latitudinem regionis*.

*
* *

G-H. ZODIACUS, seu *Linea Ecliptica* est ipsissima linea seu via, per quam Sol motum suum contrarium ab Occidente in Orientem absolvit.

2. Est Circulus Maximus.

3. Per hanc viam seu lineam disposita sunt 12. signa cælestia hoc ordine ac versiculo hoc comprehensa.

♈ ♉ ♊
Sunt Aries, Taurus, Gemini,
♋ ♌ ♍
Cancer, Leo, Virgo,
♎ ♏ ♐
Libraque, Scorpius, Arcitenens,
♑
(*Seu Sagittarius*) Caper,
♒ ♓
Amphora (*Seu aquarius*) Pifces.

4. Ceterum figna ifta non funt nifi conftellationes, feu ftellæ complures in totidem animalium figuras diftinctæ a Mathematicis.

5. Sitæ funt hæ ftellæ in fphæra octava, de qua mox initio dictum eft. Atque fubtus hunc ftellarum tractum & ordinem tranfit fol Orientem verfus.

6. Cum Zodiacus dividatur in 360. gradus, & fint per eum difpofita duodecim figna, cuilibet figno tribuuntur Gradus triginta.

7. Ex his gradibus fol quotidie progreditur uno non omnino integro gradu, ita ut intra terminum trecentorum & fexaginta ac paulo plurium dierum totum ambitum, omniaque 12. figna peragret, & ad idem punctum revertatur, unde ante annum digreffus eft.

8. Zodiacus vero etfi idem cum terra centrum habeat, non habet tamen eosdem polos, fed oblique gyratur: nam poli ejus L & M. a polis mundi viginti tribus, unoque dimidio gradibus funt remoti: & axis Zodiaci eft linea L--M.

9. Hæc obliquitas cauffa eft, cur dies noctibus fint inæquales, cur modo hyems fit, modo æftas &c. Quæ omnia vix eft, ut clare explicentur absque globo.

10. Interim tibi fufficiat noffe fequentia; Cum fol *Arie-*

Arietis signum subit, dies noctibus sunt æquales, & est initium veris. Cum *Cancrum* subit, longissimi sunt dies, solstitium æstivum & initium æstatis. Cum attingit *Libram*, æquinoctium iterum est, autumnique principium. Cum denique *Capricornum* ingreditur, Brevissimi dies, solstitium Brumale, & Hyemis est initium.

*
* *

E. F. ÆQUATOR. 1. Est circulus maximus, ita dictus, quod dies noctibus æquentur tunc, quando sol illam lineam attingit.

2. Zodiacus duobus in punctis hunc circulum intersecat, semel in parte occidentali ad initium Arietis: deinde in altera parte ad initium Libræ.

3. Divisus est in gradus 360. & in hoc circulo ab occidente orientem versus numerandi sunt gradus *longitudinis* locorum, incipiendo a Meridiano primo.

*
* *

I--H *Tropicus Cancri.*
G--K *Tropicus Capricorni.*

Non sunt Circuli maximi. Tropici autem dicuntur a *Vertendo*: quod sol aliquem istorum attingens denuo versus æquatorem se vertat. Tropicum Cancri attingit æstate, cum ingreditur Cancrum. Alterum hyeme, cum Caprum subit.

*
* *

L--O *Circulus polaris* Arcticus seu Borealis.
N--M *Circulus polaris* Antarcticus, seu Australis.

Sunt minimi circuli, quos describunt poli obliqui Zodiaci, quando circa polos mundi rotantur.

De Zonis.

Zona eſt certum intervallum Latitudinis a polo ad polum. Sunt autem *quinque* tales.

1. *Zona Torrida* eſt una tantum, & eſt ille terrarum tractus, qui inter utrumque Tropicum continetur.

Caloris eſt ſummi illa regio, quia ſol incolarum cervicibus recta imminet, & eſt ipſis perpetuo valde vicinus.

Intra hanc Zonam illi, qui ſub ipſo æquatore habitant, bis in annos ſingulos æſtatem ſentiunt: Æſtas enim eſt, cum ſol alicui regioni eſt proximus: his autem, qui æquatorem incolunt, bis quotannis eſt proximus, ſemel æquinoctio Vernali, quando ſol e bruma ſeu Capricorno reverſus ſupra illorum cervices pergit ad cancrum. Altera vice, æquinoctio autumnali, quando ab æſtate, ſeu Cancro reverſus iterum ſupra illorum cervices tranſit ad Capricornum. Tam qui æquatorem habitant, quam qui reliquam Zonam torridam, bis quotannis, cum æſtas ipſis fervet, meridianum ſolem verticibus ſuis ita imminentem excipiunt, ut nullas plane umbras ſpargant.

2. *Temperata* Zona una *Auſtralis*, inter circulum polarem Antarcticum & Tropicum Capricorni.


3. *Temperata* altera eſt *borealis* inter circulum polarem Arcticum, & Tropicum Cancri.


Temperatæ ſunt, quia iisdem terræ plagis nec vicinus nimis, nec ab iisdem nimis remotus eſt Sol.

4. *Frigida* Zona *Auſtralis* inter polum Antarcticum & circulum polarem auſtralem.

5. *Frigida Borealis* inter polum Arcticum & circulum polarem Borealem.

Frigidæ ſunt, quia ſol ab iisdem ſemper plurimum diſtat, utut longiſſimi hiſce incolis dies ſint.





Clima.	Parallelus.	Latitudinis. Grad.	Min.	Diei longissimæ. Horæ	Min.
1	1	4	15	12	15
	2	8	25	12	30
2	3	12	43	12	45
	4	16	25	13	- -
3	5	20	15	13	15
	6	23	50	13	30
4	7	27	40	13	45
	8	30	20	14	- -
5	9	33	40	14	15
	10	36	28	14	30
6	11	39	2	14	45
	12	41	22	15	- -
7	13	43	22	15	15
	14	45	29	15	30
8	15	47	20	15	45
	16	49	1	16	- -
9	17	50	33	16	15
	18	51	58	16	30
10	19	53	17	16	45
	20	54	27	17	- -
11	21	55	34	17	15
	22	56	37	17	30
12	23	57	32	17	45
	24	58	29	18	- -
13	25	59	14	18	15
	26	59	58	18	30
14	27	60	40	18	45
	28	61	18	19	- -
15	29	61	55	19	15
	30	62	65	19	30
16	31	62	54	19	45
	32	63	22	20	- -
17	33	63	40	20	15
	34	64	6	20	30
18	35	64	30	20	45
	36	64	49	21	- -
19	37	65	6	21	15
	38	65	21	21	30
20	39	65	35	21	45
	40	65	47	22	- -
21	41	65	57	22	15
	42	66	6	22	30
22	43	66	14	22	45
	44	66	20	23	- -
23	45	66	25	23	15
	46	66	28	23	30
24	47	66	30	23	45
	48	66	31	24	- -

Hic crescit diebus, post etiam

mensibus integris augetur dies.	Grad.	Min.	
	76	30	mens. 1.
	69	30	mens. 2.
	73	20	mens. 3.
	78	20	mens. 4.
	84	0	mens. 5.
	90	0	men. 6.

...ei longis- ...ſimæ. ...ræ *Min.*	
19	15
19	30
19	45
20	- -
20	15
20	30
20	45
21	- -
21	15
21	30
21	45
22	- -
22	15
22	30
22	45
23	- -
23	15
23	30
23	45
24	- -
...oſt etiam menſ. 1.	
menſ. 2.	
menſ. 3.	
menſ. 4.	
menſ. 5.	
men . 6.	

De Climatibus, & Parallelis.

1. *Clima* eſt tractus quidam per ambitum terrarum ab æquatore verſus polum.

2. Eodem modo Parallelus.

3. Sub æquatore quidem dies longiſſimi non poſſunt eſſe, niſi 12. horarum. Sed quovis deinde climate accreſcit diei dimidia hora. Parallelus autem eſt Climatis dimidium, & quovis adeo parallelo dies longiſſima nonniſi uno horæ quadrante creſcit.

4. Quodlibet Clima, & quivis parallelus continet certos gradus ab æquatore polum verſus numerandos, numerandi autem ſunt in Circulo Meridiano, ubi inveniuntur delineati.

5. Regiones omnes per totum terræ ambitum, quæ eodem uno climate continentur, ſimul etiam ejusdem longitudinis dies habent.

6. Eædem etiam una Ver, una Æſtatem, aliasque anni vices ſentiunt.

* *Ut nullo labore ſcias, quot horis in quovis climate dies longiſſima luceat, & quousque ſe quodvis clima extendat, tabulam iterum adſcribendam duxi.* Uſus ejus hic eſt.

I. Vis ſcire, quoto ſub climate tu vel gens quæpiam habitet? *Inquire ergo vel in globo, vel in charta, ſub quoto gradu latitudinis ſis conſtitutus tu ſeu tua patria: e. g. invenies gradum 49. hoc reperto inſpice in iſta tabula illud laterculum, cui inſcripti ſunt gradus latitudinis, & quære in eo gradum 49. Hoc ſimiliter reperto, perge ad laterculum illud, in quo climata ſunt deſignata, & videbis, quotum ſit clima tuum;* nempe 8. Parallelus autem 16. tus.

II. Vis autem ſcire, quot horis duret tibi longiſſima dies? *Quære primo clima tuum, ac parallelum, huic invento videbis in tabella e latere adſcriptum eſſe numerum horarum, v. g. Climati 8.vo ſeu gradui Latitudinis 49. no horas diei, cum longiſſimus eſt, ſexdecim.*

Hi ſane, qui ſub ipſo polo Arctico colunt, ab æquinoctio Verno, ſeu cum ſol Arietem ſubit, usque ad alterum æquinoctium Libræ, per ſex omnino menſes perpetuo die fruuntur; quia ſol infra eorum horizontem nunquam demittitur. Poſt illud vero tempus per ſex alios menſes perpetuis tenebris ſunt ſepulti; quia ſol eorum horizontem nunquam ſuperat. Idem accidit incolis poli Antarctici, niſi quod hi ab autumno ad vernum tempus luce gaudeant, reliquo anno nocte horreant.

De Latitudine Regionum.

1. Sphæra quidem per ſeſe nec eſt longa, nec lata; ut tamen expeditius eſſet negocium, placuit Mathematicis Latitudinem ſphæræ illam dicere, qua ab æquatore ad polum porrigitur.

2. Locus ergo, qui magis ad polum accedit, dicitur habere majorem latitudinem.

3. Metimur latitudinem per gradus, ita ut eos deſumamus & numeremus ex Circulo Meridiano, incipiendo ab æquatore verſus polum.

4. In mappis numeramus eos in latere dextro vel ſiniſtro, quæ vicem meridiani ſubeunt.

De Longitudine.

1. Longitudo porrigitur ab Occidente in Orientem.

2. Numeramus ejus gradus in æquatore incipiendo a meridiano primo.

3. In mappis numeramus eos in latere ſupremo aut infimo, quæ æquatoris agunt vices.

CA-

CAPUT IV.

De Mappis Geographicis.

1. Iidem, qui Globo inſcribi ſolent circuli, ſolent & mappis, hinc qui globum non ignorat, nec mappas neſcire poteſt.

2. In ſupremo tabulæ latere reperire eſt Septentrionem, infimo meridiem, ſiniſtro Occaſum, dextro Ortum.

3. Quodvis horum laterum animadverte eſſe diſtinctum in gradus, & nonnunquam in minuta. Supremum & infimum ſunt vice - æquatores, & in illis deſcripti gradus indicant Longitudinem. Siniſtrum vero ac dextrum ſunt Vice - meridiani, & deſignati per ea latera gradus Latitudinem notant.

CAPUT V.

De Uſu Globi & Cartharum.

Q. I. *Quomodo ſtatuere debeo globum?*

℟. Ita debes eum ſtatuere, ut ſitum eundem præſentet, quem tu ipſe in tua patria habes. Vel ſi de locis exteris quæris, eorum ſitum debes globo conciliare hoc modo.

1. Diſpice in globo locum, quo tu habitas, & eundem duc ſub circulum Globi æreum (*Meridianum immobilem* vocant) Inde vide ſub quonam gradum illius circuli cadat is locus, e. g. gradum 49. tum ex parte altera in eodem circulo æreo poſt polum antarcticum numera illos 49. gradus, & ita globum conſtitue, ut ille 49.nus gradus tangat horizontem ligneum globi.

2. Polum globi tui antarcticum obverte plagæ cæli ſeptentrionali; & habes globum præparatum.

Q. II.

Q. II. *Possumne ex globo discere, quota hora sit apud alias gentes, quanto nobis est v.g. duodecima ?*

℞. Potes enimvero. Adverte in globo circa polum structam esse rotulam horariam. Itaque tuam patriam duc sub meridianum, & indicem rotulæ horariæ, apice ad meridiem conversa pone super horam 12. dein verte globum, usque dum locus alter, de quo curiosus es, incidat sub meridianum æreum. Consulto dein indice rotulæ, ille tibi indicabit, quota sit illius loci hora. Id tamen notes: si globum vertis dextram versus, seu ad orientem, index loquitur de horis antemeridianis. Si ad occidentem vertis, index dicit horas pomeridianas.

Q. III. *Idne etiam in Mappis videre licet?*

℞. Etiam. Nam singuli 15. gradus *Longitudinis* efficiunt unam horam. Si ergo locus a tuo distet versus *Orientem* 15. gradibus, scies, illo loco horam pomeridianam primam agi, quando tibi est meridies: si distat gradibus 30. agit jam horam secundam pomeridianam. Contra si locus alter versus *Occidentem* magis situs sit, tunc quivis 15. gradus dabunt horas antemeridianas.

Q. IV. *Quid mihi prodest ligneus ille horizon Globum ambiens ?*

℞. In illo descriptos leges 1. Ventos in illis plagis, unde surgunt. 2. Signa Zodiaci. 3. Calendarium. Cuivis fere diei Calendarii respondet aliquis gradus descripti ibidem Zodiaci. Unde nosse potes, in quonam signo Zodiaci, & quoto ejus signi gradu sol ambulet pro quovis petito die.

Q. V. *Si vellem e globo discere, quot horis dies nobis duret hodie nempe 21. Aprilis?*

℞. Potes

℞. Potes id ſane. Etenim ex horizonte ligneo diſces, ſolem illo die verſari in ſecundo gradu Tauri. Accipe dein ceræ quandam portiunculam, illamque impone gradui ſecundo Tauri in illo Zodiaco, qui ipſi globo eſt inſcriptus. Tum obverte globum orienti, ac nota gradum horizontis, quem attingit cera illa (quæ ſolis tunc orientis vicem agit). A notato illo gradu ad meridianum æreum usque, numera ſuper horizontem ligneum, quot gradus ſint? eorum ſemper 15. dabunt tibi unam horam antemeridianam. Antemeridianis adde totidem pomeridianas, & habes ſane totam diei illius longitudinem.

Vel cum ceram ad horizontem convertiſti, indiculum horarium pone ſuper horam 12. tunc converte integrum globum ad occidentem, donec cera horizontem ibi tangat; Indiculus enim numerum horarum indicat.

Sic etiam pro quovis die reperies, quota hora ſol oriatur. Nam ceram impone illi gradui zodiaci, in quo ſol tali die moratur. Dein ceram duc ſub meridianum æreum, indiculum vero impone horæ 12. Poſt ceram ab horizontem orientalem verte: Indiculus notabit horam petitam. Horam vero occaſus diſces, ſi ceram ad occidentem devolveris.

Q. VI. *Qui potero in globo invenire, quot milliaribus diſtent duo loca inter ſe?*

℞. Id nullius eſt artis. 1. Si ſita ſint ambo loca in circulo aliquo *maximo*, numera tantum, quot gradus ſint inter utrumque? quivis illorum graduum prodit 15. milliaria communia.

2. Si ſint in circulo minore, quilibet gradus minus 15. milliaribus dabit, id quod haurire poteris e tabella, quam paulo ante ad calcem Cap. 1. depinxi.

3. Vel

3. Vel, accepto circino metire distantiam utriusque & circinum pone super meridianum vel alium circulum maximum: quot gradus abscindit utrumque circini crus, toties quindecim milliaria numera, quibus distare dic loca quæsita.

Q. VII. *Quo pacto id in Mappis fiet?*

℞. 1. Sæpe in illis designatam reperies scalam milliarium; illam itaque applica.

2. Si nulla sit descripta scala, eodem modo indagabis, quo in globo fecisti.

CAPUT VI.
De Mensuris Geographicis.

Uncia, seu granum est quarta pars digiti.
Digitus habet 4. uncias, seu grana.
Pes habet 12. digitos.
Passus Geometricus habet 5. pedes.
Stadium passus 125.
Leuca 1500. passus.
Milliare Germanicum seu Geometricum 4000. passus, id est iter unius ac dimidiæ horæ, & paulo plus.
Milliare Italicum 1000. pass. Itaque quatuor Italica unum constituunt Germanicum.

CAPUT VII.
De nonnullis vocibus seu Phrasibus, quæ Geographiæ solemnes sunt, olim æque ac nunc.

1. *Hominum situs* in terra inter se varius est. *Antipodes* sunt ii populi, qui in aversa terræ parte e diametro oppo-

oppositi habitant: Ut fere sunt regnum Tripolitanum in Africa, & Paraquaria in America. *Antoeci*, quorum alteri in eodem hemisphærio degunt, sed versus Borealem polum; alteri transæquatorem versus polum Australem: Ut Peloponnesus, seu Morea, & circiter Caput Bonæ spei. *Perioeci* demum, qui in eadem quidem zona sunt, sed e regione adversa, alteri nempe cis polum, alteri trans eundem polum: Ut Sinus Persicus, & insula Californiæ.

2. *Terrarum* varius est situs aut forma, seu partes, quæ sic explicantur. 1. *Continens* (das veste Land) est terra ampla, alteri terræ ita adnexa, ut nullo mari dividatur: e. g. Italia continens est Galliæ seu Rhætiæ &c. 2. *Insula* (ein Eyland) terra est undique mari cincta, ut Anglia, Cyprus. 3. *Peninsula* (ein halb-Insul) græce *Chersonesus*, est terra æquore ita cincta, ut tamen aliqua ex parte continenti jungatur: e. g. Peloponnesus, Dania, Italia. 4. *Isthmus* (ein Erd-Zunge) est angustus terræ limes, qui peninsulam aliquam cum continente, vel alia peninsula committit, ut Isthmus Corinthiacus, qui Peloponnesum reliquæ Græciæ adnectit. 5. Küste, Ora maritima, Gallis fere *Cote*. 6. *Promontorium* (*Capo*, sive *Cabo*) est mons in mare prominens. 7. *Juga* dicuntur perpetui montes, v. g. Taurus, Caucasus &c. 8. *Alpes* montes præalti, quales sunt Rhætici, Tridentini &c. 9. *Pylæ*, seu *Portæ*, sunt montium angusti accessus ex una regione clausa in aliam.

3. *Aquarum* quoque varius modus est ac nomen. 1. *Oceanus* est mare magnum orbem circumfluens, non inclusum angustiis terrarum aut insularum: ab adsitis regionibus varia nomina sortitur, e. g. Gallicus, Britannicus, Æthiopicus &c. Quæ aliaque nomina disce e mappis Geographicis. 2. *Archipelagus* est mare multis insulis consitum, quorum quatuor sunt: Ægeum habet Cycladas Insulas; S. Lazari

cum

cum insulis Latronum in India Orient. Maldivense in Mari Indico; Mexicanum in America cum insulis Antillis &c. 3. *Sinus* est maris pars in terram altius recedens : e. g. Sinus Arabicus &c. Hodierni sinum oblongum, vel alias angusto aditu præditum dicunt *Golfo*; latum autem, & ampli accessus vocant *Bayam*, die Baye, oder Meer-Busen. 4. *Portus* angustior est maris recessus, angustum habens aditum, quo applicantur navigia, ut & a piratis hostibusque, & a procellis sint tuta, nostris est ein Meer-Hafen. 5. Rheede, vel Rhade locus est amplior, quam portus; clausus partim peninsula aliqua aut terræ tractu in mare procurrente. e. g. die Dantziger Rheede. Ubi locorum navium statio esse potest, donec venti posuerint. 6. *Fretum*, hodie *Canal* (ein Meer-Enge) angustum est mare inter duas terras vel insulas. e. g. Fretum Danicum der Sund.



LI-



LIBER II.
Deſcriptio Germaniæ.

* *Germania in decem Circulos diſtributa eſt: quæ quidem diſtributio licet ordinem naturalem & Geographicum non ſequatur, eſt tamen ſcitu magis neceſſaria his, qui PRUDENTEM & POLITICAM Germaniæ notitiam quærunt.*

CAPUT I.
Circulus Auſtriacus, cum Ditione univerſa Auſtriaca.

§. I. Auſtria.

1. Vini, Cereris, Croci nobiliſſimi; Metallorumque ac Salis apud *Gmundam* ferax eſt regio: ab interluente Danubio ad mercaturæ quæſtum inſtructa.

2. Mores elegantes multæque comitatis.

5. Religio Catholica.

4. Inſignia ſcutum purpureum cum transverſa ſemita argentea.

5. Metropolis eſt *Vienna* totius Germaniæ facile frequentiſſima ac ſplendidiſſima: Imperatorum Auſtriacorum regia. Loci Antiſtes Archiepiſcopali nuper mitra auctus eſt an. 1721.

§. II. Styria.

1. Pascuis, Vino præcipue Luttenbergico, feris silvestribus, sale, ac præsertim invicto chalybe copiosa.

2. Mores vulgi ab humana consuetudine nonnihil abhorrent.

3. Religio Catholica, Deiparæ devota.

4. Insignia scutum viride, animal argenteum semileo semi-Bubalus, e faucibus, naribus auribusque ignem vomens.

5. Metropolis superioris Styriæ est *Græcium*, Grätz, inferioris *Judenburgum*. Munimenta adversus Turcam sunt Rackelspurg, Tzakenthurn, Cilley. Omni encomio superior est *Cella Mariana*, Maria-Zell, Icone D. Virginis ornata, Benedictinis S. Lamberti credita.

* Ceterum *Styriam* emit Leopoldus VI. Austriæ Dux an. 1193.

§. III. Carinthia, Kärndten.

1. Vino caret, ceteris quantum satis, & piscium abundat tamen pascuis, & feris sylvestribus.

2. Mores Styriis non absimiles, Lingua utuntur etiam Sclavonica seu Vindica.

3. Religio Catholica.

4. Insignia tres nigri leones in scuto rubro.

5. Princeps urbs *Clagenfurtum*.

* *Carinthia* nec sola hodierna, sed quidquid plagæ Styria etiam atque Carnia obtinet, Boici juris facta est seculo septimo. Atque anno 788. Ingevo a Carolo M. Archidux constitutus est. Denique Mainhardus Comes Tyrolis ob Conjugem suam Ulrici postremi Carinth. Ducis filiam feudum illud accepit. an. 1282. Henrici vero V. filia Margaretha Maultaschia Tyrolim attulit Austriæ an. 1363. Cum Austriaci jam an. 1333. feudum Carinthiæ a Ludovico Bavaro Imp. obtinuissent.

§. IV.

§. IV. Carniola, Crain.

1. Frumento, pisce copioso, vinoque & mercurio instructa. 2. Mores fortes, & linga Sclavonica. 3. Religio Catholica. 4. Insignia scutum argenteum, aquila cærulea, quæ corona rubra ornatur, gestatque in pectore lunam argenteam cum rubris tessellis. 5. Metropolis *Labacum*.

Complectitur Carniola etiam Marchiam Vinidorum, Windischmarck, cum civitate *Metlinga*, & Istriæ partem cum portu *Tergeste*, Triest; & *Fano S. Viti Flomoniensis*, vulgo Fiume; item Comitatum Goriziensem.

§. V. Tyrolis Comitatus.

1. Vini, Salis, metallique dives, sed aliarum rerum fere inops. 2. Incolæ laborum patientes, œconomi, libertatis amantes. 3. Religio Catholica. 4. Insignia scutum argenteum, aquila rubra cum corona & pedibus rubris: per utramque alam semicirculus aureus extenditur, desinens in trifolium aureum. 5. Metropolis est *Oenipontum*, Ynsprugg. Alias *Bolzanum*, Botzen, nobile est emporium. Munimenta sunt versus Sueviam *Ehrenberga*; Bavariam versus *Kuffsteina*; Italiam *Clausula* Kossel: regionem Athesinam das Etschland tuetur Finstermüntz.

* Sunt hic duo Principatus & Episcopatus *Tridentinus* & *Brixinensis*. Cujus Præsules sunt Imperii Principes, ita ut secundum pacta cum Austriacis sub an. 1500. inita Sessione ac voto in Comitiis Imperii potiantur, reliquum jus ad Austrios spectet, cum onere tamen præstandi contingentias &c.

* *Sexto seculo* Boiis *Tyrolis parebat seculo* 10. *Comites* Andecenses *&* *Duces* Meranii *obtinuere. Seculo* 13. *Comites* Gorizienses. *Denique Margaretha Maultaschia* Austrios *heredes fecit an.* 1363. Vide postea §. 22. N. 11.

§. VI. Anterior Auſtria.
Vorder Oeſterreichiſche Lande.

* *Ita dicuntur, quæ in & circa Sueviam Auſtriacæ ditionis ſunt.*

1. Marchionatus *Burgavienſis*, 2. Comitatus *Montfortius*, 3. *Nellenburgicus*, 4. *Veldkirchenſis*, 5. *Brigantinus*, 6. *Hohenbergenſis* in ſilva Hercinia. 7. *Præfectura provincialis* Suevica, Land-Vogtey per amplam Sueviæ partem effuſa plures urbes, oppida, ac Dynaſtias complexa. 8. *Brisgoviæ* ampla provincia, cum duobus præcipuis adverſus Gallos munimentis *Briſaco* & *Friburgo*. 9. *Urbes Silvaticæ* quatuor, die Vier Wald-Stådte *Rhenofelda*, *Seckinga*, *Lauffenburgum*, & *Waldshuta*. 10. Urbs *Conſtantia* olim libertate privata a Carolo V. ob inobedientiam.

Olim & Alſatia hujus juris erat, ſed pace Weſtphalica Gallo data præter decem in ea civitates Imp. Gallus etiam illas abripuit an. 1683. & pace Rysvvicenſi eidem permiſſæ ſunt an. 1697.

* *Jam reliqua, quæ Auſtriaci juris ſunt perſequamur, etſi nec ad circulum Auſtriacum, neque ad Germaniam pertineant.*

VII. Hungaria regnum.

1. Terra plana & opima nullo fertilitatis genere deſtituta eſt.

2. Mores gentis gloriæ avidi, & ad ſubitos motus facti: improbi laboris impatientes. Lingua iis propria; ſed multis locis Sclavonicam loquuntur, ſeu Slavaticam.

3. Religio Catholica. Frequentibus tamen motibus facile aditus patuit Luthero, Calvino, Anabaptiſtis &c.

4. Inſignia ſcutum rubre candideque virgatum cum Cruce Patriarchali, tribus viridibus colliculis impoſita: Cruci imminet corona aurea.

5. Superioris Hungariæ caput eſt *Poſonium*, Preßburg: reliquæ ſunt *Tyrnavia*, *Cremnizium*, *Caſſovia*, *Eperiæ*, *Tockayum*, *Varedinum*, Groß-Waradein *Temesvaria*.

In-

Inferiori præeſt *Buda*, Offen; inde *Strigonium* Gran ſedes Archiepiſcopi Primatis; *Jaurinum*, Raab; *Comora*; *Sigethum*; Pons Eſſeckii in multa paſſuum millia paluſtribus locis impoſitus.

* Res Hungariæ antiquas diximus in Hiſtoria profana L. 2. c. 3. §. 2. fol. 342. &c. Albertus demum Auſtriacus a. 1438. duxit Eliſabetham Sigismundi Imp. & Hungarorum regis filiam, quæ ipſi Alberto & Auſtriaco Stemmati Hungaricas ditiones hereditatis jure attulit, quod paullo poſt iterum amiſſum iterum recuperavit Ferdinandus I Caroli V Cæſaris frater ducta in conjugium Anna ſorore regis Ludovici II. ex Jagellonicis ultimi in Hungaria, occiſi in prælio Turcico a. 1526. Proceresque regni ab an. 1687. & nuperrime ſucceſſionem familiæ Auſtriacæ ſe conſervaturos polliciti ſunt: quamvis profecto non omnia ſint tuta in populo ad motus ita prono. At enim cum Germani, ac præcipue Auſtriaci regnum Hungaricum ab indigenis ſæpe aut deſertum, aut proditum ſuo ære ſanguineque redemerint e Turcarum captivitate, merito id ſuum feciſſe putandi ſunt: nec ſine injuria Hungari Germanici ſanguinis reges reſpuere potuerunt. Et an. 1687. agnoverunt hereditarium eſſe.

§. VIII. Tranſylvania, Siebenbürgen, Principatus.

1. Montibus impedita regio. 2. Incolæ ex advenis mixti varios præ ſe ferunt mores. 3. Religio mixta. 4. Inſigne ſcutum cæruleum cum tribus dentibus Elephantinis. 5. Prima civitatum *Cibinum* Hermanſtadt; inde *Neoforum*, *Alba Julia* Weiſſenburg. Danubium verſus montium fauces ſunt *Porta ferrea* dictæ.

* Principibus olim ſuis paruit, qui Hungariæ regibus fuere vectigales, aut clientes. Poſtremus Apaffi nomine metu Turcarum ſuis ipſe viribus diffiſus Cæſareo Auſtriaco juri totam ſubmiſit an. 1690. Defunctus Viennæ an. 1713.

§. IX. Servia regnum.

Telluri non desunt nisi cultores, quos abunde jam submittit Monarchia Carolus VI. qui eam provinciam nupero bello Turcico suæ ditioni adjunxit an. 1718. Metropolis est *Alba Græca* Belgrad ab Eugenio capta 1717. 19. Aug. *Senderovia*, munitissimumque præsidium *Orsova*: *Passarovicum* ad Moravam amnem, quo loco induciæ 25. annorum junctæ sunt 1718. At jam quidquid est Serviæ cum ipsa Alba Græca in potestatem rediit Turcarum bello adversus hos a Carolo infeliciter cœpto an. 1737. atque infelicius finito an. 1739.

§. X. Sclavonia regnum.

1. Solum pingue. 2. Gens bellicosa. 3. Religio potissimum Græca. 4. Insignia scutum aureum; brachium rubro vestitum cum acinace. 5. Præcipuæ urbes *Copranicia*, *Esseckium*, *Petrovaradinum*, *Carlovicum &c.*

* *Austriaco juri accessit an.* 1687. *anno vero* 1718. *utraque Savi fluminis ripa adjecta est.*

§. XI. Croatia regnum.

Barbaris & regionibus & moribus partim vicina gens, Lingua gaudet Sclavonica. Insigne scutum rubro & argento tessellatum.

Pars Austriis tanquam Hungariæ regibus subest, cujus caput *Carolopolis* Carlstadt. Pars Turcis. Pars (*Morlachiæ* nomen est) Venetorum tutelam amplectitur.

§. XII. Bosnia regnum.

Ejus pars Savo proxima Austriaco Imperio nuper cum Servia vindicata est. Cetera Ottomannidas venerantur.

§. XIII.

§. XIII. Dalmatia regnum.

Et hujus pars, cui *Senia*, Zeng, caput est, Austriacis subest.

Insignia scutum cæruleum, tria capita Leopardorum coronata.

* *Nunc de Italia Austriaca sermo erit.*

§. XIV. Neapolis regnum.

1. Regio ad delicias facta: attamen Vesuvii incendia & crebri terræ motus sæpe exitio sunt. 2. Mores inquieti. 3. Religio orthodoxa. 4. Insigne scutum cæruleum liliis aureis consitum. 5. Caput regni *Neapolis*, nobilitate frequens. Post *Capua*, *Aquinum* D. Thomæ patria: Mons *Casinus* Benedictini Ordinis princeps cœnobium.

* *Quo pacto Hispanico atque adeo Austriaco juri cesserit, diximus in* Hist. profan. lib.2. cap.4. §.2. fol.360. *Utque rursus in Hispanorum redierit potestatem a.*1735. *retulimus in continuatione Historiæ profanæ.*

§. XV. Sicilia regnum.

1. Horreum Italiæ, sed Ætneis incendiis & terræ motibus obnoxia. 2. Moribus vivunt Italicis, eademque utuntur lingua. 3. Religio Catholica. 4. Insigne Crux decussata vulgo Andreas - Creutz. In inferiore ac superiore angulo aureo quatuor visuntur rubri pali: in utroque latere argenteo aquila nigra cum rostro pedibusque rubris. 5. Princeps urbium *Messina* proregis sedes: *Catana* Ætnæ subjecta, quem *Mongibello* indigenæ vocitant. Ex adverso litore *Palermo* seu Panormus regni olim caput.

* *Eadem, qua Neapolis, sorte ad Austrios delapsa est Sicilia. Et eadem quoque sorte ad Hispanos rediit an.* 1735.

§. XVI. Mantua Ducatus.

1. Ludovicus Gonzaga primus a Carolo IV. Imp. Præfecturam & Vicariatum Imperii Mantuanum emto obtinuit an. 1348.

2. Sigismundus Imp. adjecit titulum Marchionis a. 1433.

3. Carolus V. Imp. Ducalem honorem decrevit. an. 1530. addiditque Marchionatum Montferratensem. 1536. quem Marchionatum Ducali honore ornavit Maximilian. II. Imp. 1573.

4. Nupero bello de Successione Hispanica gesto Carolus IV. Gonzaga Gallis Ducatum prodidit 1701. Proscriptus inde a Cæsare tanquam Imperii vasallus, in exilio obiit 1708. Montferratum Sabaudo datum; Mantuam Cæsar tenet: ejus tamen recuperandæ spes facta est Duci *Guastalla*, qui Gonzagis sanguine jungitur.

5. Insignia sunt Crux rubra, & in quovis ejus angulo aquila nigra rubro cum rostro. Mediam crucem aliud scutum occupat varie pictum.

§. XVII. Mediolanum Ducatus.

1. Mediolano præerant Imperatorio nomine Galeatii Vicecomites, *Visconti*.

2. Ducalem iis titulum emto dedit Wenceslaus Imp. 1396.

3. Inde Sfortiarum gens Ducatum occupavit 1450. Sed varia fortuna, Gallis suo lubitu pleraque agentibus.

4. Maximiliano Sfortia expulso a Gallis, Carolus V. Imp. hoc Imperii feudum vindicavit a. 1521. & Franciscum I. Gall. regem arma opponentem acie captum abduxit an. 1525. Ducatumque concessit Francisco Sfortiæ, fratri Maximiliani 1529.

5. Mortuo Francisco 1535. Galli denuo vim tentarunt,

runt, sed pace Cameracensi denique Mediolano renunciarunt. 1549. Huncque in modum Hispano-Austriacis regibus tandem cessit Ducatus, quem utut jam occupassent Galli nupero bello, mox tamen deserere sunt coacti. *Vid. Histor. profan. L. 2. c. 5. §. 1. in Leopoldo & Josepho Impp.*

6. Insigne anguis cæruleus ter tortuose inflexus, rubrum pusionem faucium hiatu complectens.

7. Urbes *Mediolanum; Comum;* Ticinum seu *Pavia; Laus Pompeja* seu *Lodi; Cremona; Valentia &c.*

8. *Bertona* & *Novaria* an. 1736. Sabaudo cedi debuerunt cum agris suis.

* *Nunc de ditionibus Austriacis in Circulo Burgundico sitis agamus.*

§. XVIII. Belgium Hispanicum, seu Austriacum.

1. Regio placidissimo tractu extenta.

2. Incolæ commendatæ formæ & industriæ. Libertatis tenaces. Muliebri potius imperio capiuntur, ut solent multæ gentes alias vehementiores. Gaudent amari atque in honore esse. Lucri præcipue cupidine aguntur.

3. Religio mixta in Universo Belgio, sed in Austriaco & Gallico Catholica.

4. Insigne omnium Provinciarum est Leo.

Quæst. *Quæ fuit prima facies Belgii, & quibus viis ad Austriacos pertinuit?*

℞. 1. Ludovici Pii duo nepotes Carolus & Lotharius ditionem paternam ita divisere, ut Lothario cederet regnum Austrasiæ, seu Lotharingia, Alsatia atque Belgium, ut in Historia profana narravimus.

2. Deinceps varii comites nobiles illas plagas inter se diviserunt, donec tandem Carolus audax

Burgundiæ Dux potentissimus omnes una sui juris fecerit.

3. Ejus Unigenita Maria Maximiliano I. Imperatori Austrio nupta a. 1477. Austriacam ditionem omnibus illis provinciis auxit.

4. Mox tamen Galli huic prædæ inhiantes partem non spernendam avulserunt nempe Picardiam, Artesiam &c. & an. 1568. Septem provinciæ conspirantes Hispanico - Austriaca Imperia dedignati sunt.

5. Quid proximo Bello Hispanico gestum sit, quæras licet in *Historia profana* L. 2. c. 5. §. 1. in Leopoldo, Josepho & Carolo Impp.

5. Decem ergo Provinciæ in tres Dominos, Austriacos, Gallos, & Fœderatos seu Hollandos divisæ sunt. Quid earum ad unumquemque spectet, videamus.

I. Luxemburgicus Ducatus. Cæsaris sunt *Luxemburgum* metropolis &c. Gallorum sunt *Monsmedius*, Monmedy &c.

II. Limburgum Ducatus. Pars Cæsari paret, pars Gallo, nonnihil Hollandis.

III. Geldria Ducatus. Cæsaris sunt *Ruremunda &c.* Borussiæ regis *Geldria &c.* Hollandorum est provinciæ inferior pars.

IV. Namurcum Comitatus. Cæsaris sunt *Namurcum*; *Caroloregium*, Charleroy &c. Gallorum *Carolomontium &c.*

V. Hannonia, Hennegau Comitatus, Ad Austrios spectant *Montes*, *Stenkerken &c.* Ad Gallos *Valentianæ* Valenciennes, *Cameracum*, *Bochanium*, *Landrecium &c.*

VI. Artesia, *Artois*, tota Gallorum est. Urbes *Atrebatum*, Arras, *Audomaropolis*, S. Omar. &c.

VII. Brabantia Ducatus. Potissima Cæsar tenet: Urbes *Bruxellæ*, Brüssel; *Lovanium*; *Antverpia*; *Mechlinium &c.* Batavi tenent *Bredam*; *Silvam*

Silvam Ducis, Hertzogenbusch; *Trajectum ad Mosam.* Mastricht.

VIII. IX. Antverpiensis Marchionatus, & Dynastia Mechlinensis antehac seorsim provinciæ jure gaudebant. Nunc Brabantiæ junguntur.

X. Flandriæ Comitatus. Cæsari parent *Gandavum* Gent amplissima urbium; *Bruga*, *Tornacum*, Dornick; *Aldenarda*; *Teneramunda*, Dendermond; *Ostenda*, Maritimis in Indiam Orientalem itineribus an. 1719. Cæsaris autoritate adornatis, & in regnum Coromandelæ tendentibus famosissima. Gallis subditæ sunt *Insulæ* Rüssel; *Duacum*; *Dunkerka*: *Gravelinga &c.* Batavis parent *Clausulæ*, Schluiß; *Hulstum &c.*

* *Denique Bohemicas ditiones, quæ Austriæ Sceptro colla submittunt, numerandi locus est.*

§. XIX. Bohemia Regnum.

1. Vina, ceres, feræ, metalla, gemmæ, herbæ, fontesque salubres & quidquid in votis cuipiam esse possit, hic abundant.

2. Civium genius ad scientias artesque factus est. Lingua passim duplex Teutonica ac Sclavonica.

3. Religio Catholica; etsi Hussitarum reliquiæ supersint.

4. Insigne Scutum rubrum, Leo argenteus cum cauda duplicata, & corona aurea.

5. Metropolis *Praga.* Inde *Ægra*, Wallensteinii nece, acidularum non procul dissita scaturigine, antidoto Mithridatico a sacris D. Francisci Virginibus ibidem confecto, ac demum Iconum e membranis tenuissimo ductu sculptarum artificio passim laudatissima. Haud longe absunt *Thermæ Carolinæ*, Carls-Bad calidi laticis salubritate quibusvis aliis celebriores.

§. XX.

§. XX. Moravia Marchionatus.

1. Ubertas. 2. Populi ingenium. 3. Religio Bohemicis similes. 4. Insigne scutum cæruleum, aquila argenteis rubeisque tesseliis distincta. 5. Metropoles duæ sunt *Olmucium*, & *Brüna* cum arce *Spielberg*.

§. XXI. Silesia Ducatus.

1. Soli ingenium. 2. Gentis mores. 3. Religio eadem fere quæ Boëmis. 4. Insigne aquila nigra coronata, cum argentea in pectore luna, in scuto aureo. 5. Metropoles sunt in superiore Silesia *Troppavia*, in inferiore *Wratislavia*, Breßlau, urbs Episcopalis. Nuper an. 1742. Inferior regionis pars ad Neissam usque flumen cum Comitatu Bohemiæ Glacensi data est Borussiæ regi supremo jure.

Q. I. *Quomodo Bohemicæ ditiones Austriacis Principibus sunt subjectæ?*

℞. 1. Olim Boëmiam incoluere Suevi, post Marcomanni, demum Sclavi, quorum unus *Zechus* e Sclavonia exul in sylvestribus hisce locis asylum constituisse, Principatusque Boëmici fundamenta posuisse fertur sub an. C. 640.

2. A Carolo magno hæc exulum manus facta est tributaria sub an. 780.

3. Inde Fidem Romanam amplexi paulatim Ducum honorem usurparunt. Is Ducatus Zvventibaldo Moraviæ regi fiduciario jure concessus est ab Arnulpho Imp. 890.

4. Paulo post vertente alea Otto M. Imp. Moraviam dono dedit Wenceslao Sancto Bohemiæ Duci, eique Regios honores decrevit. an. 936.

5. Sed cum Boleslaus Wenceslao fratri id honoris invidens eum impia nece sustulisset, regia purpura iterum exuta est Bohemia an. 937.

6. Eam tamen Wratislao II. restituit Fridericus Barbarossa Imp. an. 1140.

7. Ru-

7. Rudolphus Imp. I. Wenceslao IV. addidit officium archipincernæ Imp. an. 1286.

8. Denique an. 1526. Ferdinandus I. postea Imperator electus a Bohemis rex, Austracis posteris nobiles has ditiones constanter possidendas reliquit, quas ipse adeptus fuerat tam electione Procerum, quam nuptiis *Annæ* filiæ ultimi Boëmiæ & Hungariæ regis Ladislai, qui a Turcis est interemtus.

Q. II. *Estne Bohemiæ regnum Electivum an Successivum?*

℞. Mathia Cæsare ac rege defuncto Boëmi spreto Ferdinando II. Austriaco eligere tentarunt Fridericum Palatinum. Ac licet Ferdinandus editis scriptis jus suum hereditarium assertum iverit, Bohemi tamen maluere ferro experiri. Sed commissa in Albo monte decretoria pugna fusi manus dedere 1620. *Vid. Hist. Eccles. L.* 2. *c.* 7. §. 5. *f.* 185.

Q. III. *Quæ sunt in Imperio munera Regis Bohemorum?*

℞. 1. Is est *quartus* Electorum, & post Ecclesiasticos primus.

2. *Archipincernæ* munere fungitur in Curia Imperatoris; eidemque poculum offert.

3. Ipsi liberum est in comitiis comparere sive non. Nec ejus ditiones in aliquo Circulo Imperii, aut in matricula continentur. Nec quidquam exactionis præstat. Sed cum an. 1708. denuo cæpit frequentare comitia, promisit deinceps tantum ærario Imperii pendere, quantum alius Elector, einen Churfürsten Anschlag.

§. XXII. De Origine Domus Austriacæ.

1. Carolus Magnus redacta in potestatem Pannonia (ea est moderna Austria) Hunnisque inde ejectis suos huic regioni Satrapas præfecit sub an. 799.

2. Ve-

2. Verum Henricus I. Auceps limitem istum Impe[rii] seu Marchiam amplius munivit, Marchiamque Austri[am] vocavit, & Marchiones præfecit Comites *Babenberg[en]ses* seu Bambergenses a. 928. Quamquam id sit a[m]biguum, & alias ab Arnulpho Malo Bojorum Duce eor[um] genus derivetur.

3. Leopoldus *Largus* exautorato Henrico super[bo] Bojorum Duce Bavariam accepit a Conrado III. Ger[m.] Rege an. 1138. At succedens ei frater Henricu[s] *Iasamergott* dictus, cum Bavaro Leone litem co[n]traxit, quæ a Friderico I. Barbarossa in comitiis R[a]tisponæ 1156. ita diremta est. ut Leo quidem B[a]variam reciperet, sed *Austriam Superiorem* ab Oe[no] flumine ad Anasum usque (das Land ob der En[ß]) Marchionibus Austriis dimitteret. Ac ne Austrii B[a]variæ *Ducatu* omnino cedere aut exui viderentur, i[i] deinceps non Marchiones sed *Duces* vocari jussi sunt [ab] eodem Cæsare.

4. Leopoldus *Virtuosus* Stiriam emit. a. 1193.

5. Fridericus II. Bellicosus a Carnis in Marchion[em] adoptatus est. a. 1233. Hinc *Carniola* cum anne[xa] Liburnia, quam hodie *Marcum Vinidorum*, Windi[sche] Marck, dicunt, accessit Austriæ, eæque provin[ciæ] Ducatus titulo donatæ sunt a Friderico II. Cæsare. F[uit] hic ultimus Babenbergensium.

6. Friderico defuncto Hermannus Marchio Bade[nsis] Austriam occupat, qui sibi desponderat *Gertrudem* [Au]striacam. Ejus filius *Fridericus* cum Conradino Sue[vo] Neapoli capite plexus est a. 1269.

7. Itaque Rudolphus I. Habspurgicus feuda A[u]striaca filio suo Alberto concedit 1280. qui matrim[o]nio sibi jungit Elisabetham quam nonnulli putarunt e[sse] filiam Agnetis. At certum est, Elisabetham illam [fi]liam fuisse alterius Elisabethæ Boicæ, Sororis Lud[o]vici Severi Bojorum Ducis, quæ senior Elisabetha p[ri]mis nuptiis juncta erat Conrado Sueviæ Duci regi[i] Romanorum, unde mater extitit Conradini decolla[ti]

alte[...]

alteris autem nuptiis in thalamum conceſſit Mainhardi Comitis Tyrolenſis. Agnes vero illa Auſtriaca ab Ottocaro rege denupta eſt Gregorio cuidam nobili in *depreſſionem generis*, ut quidam eorum temporum auctor loquitur. Sueviæ vero Ducatus ceſſit Rudolpho alteri Cæſaris filio.

8. Fuere autem Habſpurgici Comites a Regibus Francis Præfecti Brisgoviæ provinciæ ſub annum C.600. qui paulatim ſui juris fecerunt non ſolum Brisgoviam, ſed Suntgaviam, Alſatiam, Argoviam, Glattgoviam, Badenæ Comitatum, Kyburgum, Lenzenburgum, Egishemium, Dachsburgum, Zoringam & Helvetiam pleramque ac Sueviam &c. &c.

9. An. 1308. defecere ab Auſtriacis Helveti, uti narramus in Geograph. Helvet.

10. A. 1333. Carinthia Auſtriaco juri acceſſit, Duce ejus poſtremo Henrico V. defuncto, ab ipſomet Ludovico Bavaro Imp. donata. Margarethæ vero Maultaſchiæ Henrici Carinthiaci filiæ ſola Tirolis relicta.

11. Maultaſchia nupta eſt Ludovico Romano e Bavaris Principibus Marchioni Brandenburgico. Cum illo filium nacta eſt Mainhardum, Margarethæ Auſtriacæ deſponſum a. 1363. verum cum is eodem anno e vivis exceſſiſſet, etiam Tirolis Auſtriacis tradita eſt, quam traditionem ratam habuit Carolus IV. Imp. 1364. Ac licet Bavari Principes de injuria quererentur, conſenſere tamen an. 1369.

12. An. 1370. Emti ſunt Comitatus Montfortius, Pludentianus, Heiligenbergenſis, & Feldkirchenſis, ac demum a. 1379. Præfectura Suevica, die Land-Vogtey.

13. Sed cum *Fridericus cum vacua pera* vulgo dictus mit der lären Taſchen, Joannem antipapam Concilio Conſtantienſi ſubduxiſſet an. 1415. a Concilio diris devotus, a Sigismundo vero Imp. proſcriptus eſt. Hac occaſione gentis Auſtriacæ hoſtes, maxime Helveti, quidquid poterant Auſtriacarum ditionum ſibi ſubjecerunt. Receptus demum in gratiam e perditis ditionibus quidem

dem nihil recuperavit; sed Albertus ejus frater ducta Elisabetha Sigismundi Imp. filia *Moraviam* atque *Silesiam* obtinuit. An. 1421.

14. An. 1475. Maria unica Caroli Audacis Burgundiæ Ducis heres nuptui traditur Maximiliano I. Austriaco, quæ patre defuncto Burgundiam cum universo Belgio attulit sponso dotem a. 1477. quamvis Galli Ducatum Burgund. Artesiam, Picardiam, aliaque mox abripuerint.

15. Maximilianus filiam suam Margaretham desponderat Carolo Gal. Regi. Ipse vero cum *Anna* Francisci ultimi minoris Britanniæ Ducis filia sponsale fœdus celebravit. Sed, Duce emortuo Gallus repudiata Margaretha, Annam Britannicam non procatur solum, sed eam cum toto Ducatu vi rapit. an. 1492. Hic quoque præter alios fons est & occasio natorum deinceps Gallos inter & Austriacos odiorum.

16. An. 1498. Etiam Grisones relicta Austriæ tutela Helvetico fœderi accesserunt.

17. An. 1504. Isabella Hispaniæ regina fatis concedens heredem scripsit Philippum Burgundo-Austriacum Maximiliani Imp. filium, qui Joannam Arragoniam jam ante duxerat. Sed is ipse diem suum obiit an. 1506. Itaque cum demum an. 1516. Ferdinandus Arragonius vitam posuisset, Carolus Philippi Burgundi filius postea Imperator regnis Hispanicis omnibus potitus est, una cum Neapoli, Sicilia &c.

* *Hæc hactenus fuit Austriacæ Augustæ gentis fortuna. Cetera, quæ huc pertinent, suis locis diximus in Historia sacra & profana: in Geographiæ etiam præsenti capite de Hungaria, Bohemia &c.*

§. XXIII. Prærogativæ Austriæ.

1. Soli Austriaci Principes *Archiducis* titulo vocantur.

2. Per totum Imperium Archidux jus habet, ut ei præferatur ensis nudatus & Vexillum. *Concessit Henricus IV.* a. 1058.

3. Feuda

3. Feuda Imperialia non recipit nisi in suomet territorio existens, & quidem vectus equo, sceptrum manu rotans, pileo Ducali tectus. *Concessit Fridericus I.* a. 1156.

4. Liber est ab omnibus exactionibus Imperii. *Idem.* Nec tenetur, si nolit, adesse Comitiis. *Idem.*

5. Feuda Imperialia etiam in feminas prorogare potest, aut omnino eorum heredes extraneos scribere, si proles deficiat. *Idem.*

6. Pileolo Archiducali utitur, cui corona & arcus aureus decussatus cum Cruce incumbit. in modum coronæ regiæ. *Concessit Fridericus II.* 1245.

7. Ipsi fas est Comites aliosque Nobiles creare, qui per totum Imperium tanquam Comites S. R. I. agnosci debent.

8. In Comitiis inter Principes seculares supremum locum obtinet, & Collegium Principum in deliberando &c. *Dirigit alternatim* cum Archiepiscopo Salisburgensi, non alternis sessionibus, sed alternis propositionibus materiarum deliberandarum.

§. XXIV. Prætensiones Austriæ.

1. Jure sibi exigit *Hispaniam* cum omnibus Hispaniæ subjectis regnis ac Provinciis, ob Philippum Caroli V. Parentem legitimum Hispaniæ heredem.

2. *Burgundiam* & *universum Belgium* ob Mariam Burgundicam Maximiliani I. Conjugem.

3. *Helvetiam* antiquæ possessionis titulo itidemque Grisones seu Rhætiam.

4. A Venetis multa exigit, quæ illi Austriis & Carinthiæ subtracta Forojulio junxerunt. Ac propter Carniolam multa exigit circa Istriam, & jus nominandi Patriarcham Aquileiensem. Nec minus ab iisdem multa repetit ad Comitatum Meraniæ spectantia.

5. Propter Hungariam reposcit Austria a Venetis Dalmatiam & Croatiam; a Turcis Croatiæ,

Dalmatiæque partem, Boſniam, & Jus Clientelare in principes Moldaviæ & Valachiæ.

6. Propter Boëmiam Jus habet deficiente ſtirpe moderna Saxonica ſibi denuo vindicandi Luſatiam, quæ bello Suecico cedi debuit Saxoni.

7. Propter Moraviam, repetit Ruſſiam & Poloniam olim Moraviæ regibus ſubjectas.

8. Denique a Gallis repetit Alſatiam priore ſeculo raptam. Item Hiſpaniam, Burgundiam, Belgii partem &c.

§. XXV. Maximæ Auſtriæ.

1. Curam adhibet, ut Imperatoriam Majeſtatem ſua in ſtirpe retineat, ne ab alio Imperatore male habeatur Auſtriaca familia.

2. Ut Turcis opponere aciem potens ſit, & hoc fine reliquæ Germaniæ opem ſibi conciliet, & amicitiam cum Venetis atque Polonis Turcarum vicinis colat.

3. Ut Gallorum & arma & conſilia fruſtretur, atque ad ſui defenſionem etiam Imperii Status adſciſcat: eumque in finem debet etiam Anglorum, Batavorum, Hiſpanorumque amicitiam colere.

4. Ut Italicis Principibus & Rebus publicis, alias Germanica Imperia exoſis, gravis non ſit. Præcipue Sabaudum in ſua ſententia atque ſœdere continere debet, ne Gallo tranſitum permittat in Italiam Longobardicam.

CAPUT II.

Circulus Burgundicus.

1. Huc pertinent Burgundia cum omni Belgio, ſed ita, ut ab Exactionibus hæ provinciæ liberæ ſint, niſi

cum

cum in Turcam movendum eſt. Sed jam ne has quidem præſtabunt, niſi volent.

2. Burgundiam jam olim Imperio Germanico ſubditam fuiſſe nemo in dubium revocat. *Vid. Hiſtor. Profana L. 2. c. 3.* Idem de Belgio ſentiet, qui noverit regnum Auſtraſiæ &c. Ludovici Pii Imperatoris nepotibus paruiſſe. Attamen Maximilianus Imperator cum eas provincias nuptiis Mariæ Burgundicæ de novo adeptus fuiſſet, Imperii Germanici tutelæ easdem commiſit, atque inter Circulos redegit, interque illos deſcriptæ ſunt in Matricula illa primaria Wormatienſi anni 1521. aliisque omnibus. Quæ Maximiliani ſollicitudo cum eventum non habuiſſet, Carolus V. anno 1548. pactis Auguſtanis Circulum hunc Burgundicum Imperio obtulit, quamvis ne ſic quidem Imperio quidquam præſtiterit.

3. Nihilominus hodie Galli, cum Belgium ad Auſtriacos reverſum ab Imperio defendendum eſſe videtur, objiciunt, hunc Circulum Burgundicum nunquam in effectum veniſſe. Nuper tamen quando aliquos Principes ab Imperio alienos efficere tentarunt a. 1762. & Germanici Imperii ditiones ac munimenta Gallico ſuo milite compleverunt, hac ratione ſe excuſarunt: quod hi milites non niſi Circuli Burgundici copiæ auxiliares fuerint, quas recipere utique licet cuivis Imperii Statui? At enim ſi lubet Gallis nomine Circuli Burgundici occupare Imp. Provincias, cur nunc prætexunt Circulum Burgundicum effectu caruiſſe ſemper, ac carere debere? Reſpondebunt illi, ſe Auſtriacorum imitari exemplum. Cum enim Auſtriaci Hiſpanos e Belgio emiſiſſent ad Palatinum ditione exuendum proſcribendumque, cauſſati erga Imperium ſunt, non exterorum ſe opera ad flagellandos Imperii Principes uti, ſed Hiſpanos hos eſſe Circuli Burgundici copias, id evenit an. 1620. & deinde ſæpius.

4. Instrumentum Pacis Osnabrugensis 1684. hæc habet: *Circulus quidem Burgundicus sit, maneatque membrum Imperii &c. Bellis tamen in eo jam vertentibus nec ullus Imperii Status se immisceat. In futurum vero si inter ea regna controversiæ oriantur* (Hispaniam & Galliam putat) *firma semper maneat inter universum Imperium & Reges regnumque Gall. de mutuis hostibus non juvandis obligationis necessitas: singulis tamen Statibus liberum sit huic illive regno extra Imperii limites suppetias ferre, non tamen aliter, quam secundum Imperii constitutiones.*

CAPUT III.

Circulus Rhenanus Inferior.

§. I.
Electoratus Moguntinus.

Q. I. *Quæ est Potestas Moguntini?*

R. 1. Elector & Archiepiscopus Moguntinus omnium Electorum primus est.

2. Is ceteros ad Electionem convocat.

3. In Collegio Electorali directorium habet.

4. Cæsarem Corona redimit, si in sua provincia seu Diœcesi existit, alias cum Coloniensi alternat: quamvis uterque hac de re contendat.

5. Archicancellarius est Imperii per Germaniam, & hinc Vice-Cancellarii, aliique Cancellariæ ministri ab ipso

ipſo conſtituuntur in Judicio Aulico, Camera Imperiali &c. Archivum etiam, Sigilla Imperatoria &c. cuſtodit. Et quidquid in Comitiis tractandum legendumque eſt, prius Moguntino exhibetur.

6. Poſtarum Imperii ſummus poſt Cæſarem Judex eſt.

7. Circuli hujus Rhenani Director eſt & Convocator ceterorum Circuli Statuum, ausſchreibender Fürſt.

8. Denique hujus Principis autoritas inter Imperii Status ſumma eſt.

Q. II. *Quæ ſunt ejus ditiones?*

℞. Non ſunt quidem paucæ ſed nimis ſparſæ. Metropolis eſt *Moguntia* vetus ac probe munita civitas. Altera eſt *Erforda* in Thuringia.

* Inſigne Archiepiſcopatus eſt rota argentea in ſcuto rubro.

§. II.
Electoratus Trevirenſis.

Q. I. *Quæ dignitas Trevirenſis?*

℞. 1. Eſt inter Electores ſecundus.

2. Archicancellarius per Galliam & Regnum Arelatenſe, ſeu Burgundicum. Sed cum nullæ ſint expeditiones, nullum etiam habet Archivum.

Q. II. *Quantæ ditiones?*

℞. Haud amplæ, & Gallicis inſuper incurſionibus objectiſſimæ. Metropolis eſt *Auguſta Trevirorum* ad Moſellam ſita. Inde *Confluentia*, *Ehrenbreitſtena* munitiſſimum præſidium.

* Insigne Archiepiscopatus est in scuto argenteo crux rubra.

§. III.

Electoratus Coloniensis.

Q. I. *Quæ illius dignitas?*

℞. 1. Est Electorum tertius.
2. Archicancellarius per Italiam.
3. Cæsarem coronat, si id fiat Aquisgrani.

Q. II. *Quæ illius ditiones?*

℞. Satis amplæ. Princeps Urbs *Colonia* Agrippina vel Ubiorum, Imperialis civitas cum Archiepiscopo adhuc de libertate certat: cui in ea noctem transigere non licet, ne libertati videatur imminere. Sed fabella est popularis. Deinde *Bonna* Electoris regia.

* Insigne Crux nigra in scuto argenteo.

§. IV.

Electoratus Palatinus.

Q. I. *Quæ hujus sunt Prærogativa?*

℞. 1. Est inter Electores Octavus.
2. Archithesaurarius Imperii; quamvis de hoc contendat Hannoveranus. *Vid. Polit.* L. 2. c. 1. §. 8.
3. Est Comes Palatinus Rheni. *Vid. Polit.* L. 2. c. 1. §. 8.
4. De Vicariatu Imperii cum Bavaro contendit. *Vid. Polit.* L. 2. c. 1. §. 8.
5. Est *Dux* Circuli, Kreiß-Obrister.

Q. II. *Quantæ ejus ditiones.*

℞. Peramplæ sed Calviniana hæresi infectæ, & Gallorum irruptionibus obnoxiæ.

1. *Palatinatus* Rhenanus, seu Inferior. Cujus Metro-

Metropolis *Heidelberga* : *Manhemium* ad confluentes Nicri & Rheni, Electoris nunc regia. *Bacharacum* vino nobile.

2. Ducatus *Neoburgicus* in Circulo Bavarico. *Vid. de ejus origine infra c. 8. §. 3.*

3. Ducatus *Juliacensis* Gülch in Circulo Westphalico. Caput *Juliacum*. *Aquisgranum* civitas Imperii.

4. Ducatus *Montanus* Bergen, in circulo Westphalico. Metropolis *Düsseldorffium*. De Ducatu *Cliviæ* cum Brandenburgico contendit.

* Insigne est Leo aureus coronatus in scuto nigro. Ceterum e multis Palatinorum familiis *Neoburgica* nuper est extincta in Carolo Philippo an. 1743. Cui in Novemviratu successit *Solisbacensis* itidem Carolus Philippus. Deinde superest *Bipontina*.

§. V.
Reliqui Status Circuli.

1. Dux *Arembergicus*.

2. Comites *Nassovii Beilsteinenses*; *Isenburgici superiores a Carolo VII. Imp. Principum titulo aucti. an.* 1744. *Reineccenses, &c.*

CAPUT IV.
Circulus Rhenanus Superior.
§. I.
Episcopatus hujus Circuli.

1. *Wormatiensis* Wormbs, non valde potens. Est tamen Director Circuli cum Palatino Simmerensi. Cujus insigne scutum nigrum aureis cruculis consitum, medio præferens clavem argenteam.

2. *Spirensis* paulo opimior. Insigne crux argentea in scuto nigro.

3. *Argentoratensis* a Gallis direptus. Insigne tænia argentea in scuto rubro. Attamen Episcopus Sac. Rom. Imperii est Princeps, locumque ac suffragium in Comitiis obtinet.

4. *Basileensis*. Basilea urbs hæreticorum factionibus sui juris esse cæpit. Episcopi sedes *Brundruti* est, Capitulum *Arleshemii* moratur. Insigne in scuto argenteo Pedum nigrum peregrinatorium, Pilgrams-Stab.

5. *Metensis*, *Tullensis* & *Verdunensis* Episcopatus a Gallis occupati, an. 1552. cum Mauritius Saxo in Carolum V. Imp. eos excitasset.

§. II. Abbatiæ.

1. *Fulda* Benedictinorum Abbatia & Principatus. Insigne crux nigra in scuto argenteo.

2. *Hirsfelda* Abbatia Benedictinorum, ab Hasso perdita, eique Principatus nomine relicta pace Westphalica.

3. *Brumiensis* Benedictinorum Abbatia, quam 1576. Elector Trevirensis suam fecit cum titulo Principis.

4. *Murbacensis* in Alsatia Princeps Abbatia Benedict. cui unita est Abbatia *Luderensis*. Nunc Galliæ ditionis.

5. *Monasterium in valle Gregoriana* Alsatiæ, Benedict. hodie Gallis cessit.

6. *Weissenburgensis* olim Abbatia Bened. post Præpositura Canonicorum. Nunc unita Episcopatui Spiræ, uti & Præpositura *Odenheim*.

7. *Kauffungensis* olim Abbatia monialium Benedict. nunc a Principe Cassellano domus nobilium puellarum Lutheranarum facta.

8. His accedunt bona Equitum Johannitarum seu Melitensium, quæ licet per reliquum Imperium sparsim sita sint, huic tamen Circulo sunt adscripta. Magistrum habent in Germania cum Sessione & Voto, cujus sedes est *Heidershemii* in Brisgovia.

§. III.

§. III. Duces ac Principes.

1. Ducatus *Bipontinus*.

2. *Hassiæ* Landgraviatus. Hujus quatuor sunt stemmata. 1. *Hasso-Casselanum Calvinianum* possidet *Casselam*. Principis hujus filius primogenitus Fridericus, ducta *Eleonora* Caroli XII. Suecorum regis sorore, regnum illud adeptus est an. 1720. postquam a Calvini ad Lutheri dogma transiisset. 2. *Hasso-Rheinfelsicum* Catholicum, possidet comitatum *Catimelenbogensem* inferiorem. 3. *Darmstadianum* Lutheranum, possidet Catimelenbogensem superiorem comitatum. 4. *Homburgense* Calvinianum.

* Insignia scutum cæruleum Leo candide, rubreque virgatus.

3. Nassoviæ Principatus minutim hodie discerptus in sex familias. 1. *Usingenses* seu Sarbrukenses Acatholici. 2. *Idensteinenses* nuper extincti sunt an. 1721. 3. *Siegenses* partim Catholici partim Calviniani. 4. *Dillenburgenses* Calviniani. 5. *Dietenses* Calviniani, e quibus posthumus Wilhelmus Carolus Henricus *a Frisia & Ultrajectina Batavorum Provincia designatus Gubernator*. 6. *Hademarenses* Catholici extincti. Sunt alii Nassovii tantum Comites, nempe *Sarbrukenses*, *Weilburgenses*, & *Ottvveilerani*.

4 *Salmensis* Comes Catholicus; Princeps creatus 1623.

5. *Waldeccensis* Princeps an. 1711.

* *Sabaudiæ* Ducatus huic circulo adscriptus est cum suffragio: de cujus descriptione videatur Italia.

§. IV. Comites.

1. *Sponheimensis* Comitatus inter Palatinos divisus.

2. *Hanoviæ* Comitatus Acatholicus præpotens. Extincta Comitum familia ditioni Hasso-Casselanæ adjunctus anno 1741.

3. Comitatus dictus Wild- und Rhein-Grafschaft.
4. Comitatus *Falckensteinius* ad Principem Valdemontium spectat.
5. Aliique demum comites complures.

§. V. Civitates Imperiales.

1. *Vormatia.* 2. *Spira.* 3. *Francofurdum* ad Mœnum. 4. *Friedberga.* 5. *Wezlaria* Cameræ Imperialis sedes.

* *Argentoratum; Hagenoa; Colmaria; Selusium, seu* Cron-Weissenburg; *Schlettstadium; Ehenhemium; Keyserspergа; Monasterium in valle Gregor.; Roshemium; Turkhemium* Civitates Imperiales Alsatiæ, Gallis cesserunt pace Monasteriensi, & Rysvvicensi. Quibus accessit Landavium in Palatinatu sita sed Alsatiæ accensa.

* Denique *Sabaudia* ad hunc Circulum pertinet: Item *Lotharingia*; sed sunt exemptæ.

CAPUT V.
Circulus Westphalicus.

§. I. Episcopatus.

1. *Paderbornensis.* Insigne Crux aurea in scuto rubro.
2. *Leodicensis*, Lüttich valde potens, complectitur Ducatum Mosellanum, modo Bullionium, item Hasbaniæ. Insigne columna aurea in scuto rubro.
3. *Monasteriensis* longe amplissimus. Est Director Circuli cum Duce Juliacensi. Insigne trames argenteus in scuto rubro.
4. *Osnabrugensis*, cui alternis vicibus nunc Catholicus Episcopus præest, nunc Lutheranus Episcopi vocabulo. Insigne rubra in plano argenteo.
5. *Verdensis* Episcopatus pace Westphalica profanatus,

natus, datusque Sueco; nunc Hannoverano paret, ab an. 1719. titulo Principatus.

6. *Mindensis* Episcopatus profanatus Brandenburgensi cessit a. 1648.

7. *Cameracensis* jam Gallorum est. Quem antea Carolus V. ex ditione Imperii suum fecerat, ne eum, uti ipse ferebat, Galli subigerent.

§. II. Abbatiæ.

1. *Corvejensis* Bened. 2. *Verdensis* Bened. 3. *Stabulensis* Ben. 4. *Corneliensis* Corneli-Münster Bened. 5. *Hervördiensis*, nunc seminarium Calvinistarum. 6. *Essensis* ante monialium Benedictinarum omnium amplissimum cænobium. Nunc domus puellarum secularium, sed Catholica.

§. III. Duces & Principes.

1. *Juliacensis* est Circuli Con-Director; paret Palatino. Item *Montanus*.

2. *Cliviensis* Ducatus Electoris Brandenburgici est, sed jure hactenus cum Palatinis ancipiti.

3. *Frisia Orientalis*, Ost-Frießland Principatus. Metropolis est *Embda* Civitas Imperialis: *Auriacum* Sedes Principis. Insigne Scutum nigrum cum aquila aurea, & capite Virginis, stellisque aliquot. Extincta Principum familia an. 1743. Elector Brandenburgicus Borussiæ rex Principatum milite suo obtinuit, Sacramentumque ordinum recepit, & præsidium Batavorum Embdæ hactenus insidens migrare domos fecit. Quippe pactum utramque inter familiam de successione fuerat, si alterutra cessaret. His tamen scripto edito commentario intercessit Elector Hanoveranus Angliæ modo rex.

§. IV. Comites.

1. *Sayn.* 2. *Bentheim.* 3. *Stenford.* 4. *Beilstein.* 5. *Man-*

5. *Manderſcheid &c.* alii Comitatus partim a Luneburgicis, Holſatis, Haſſisque ſubacti ſunt.

§. V. Civitates Imp.

1. *Colonia.* 2. *Aquisgranum.* 3. *Cameracum*, nunc Francis paret. 4. *Dortmunda* ſeu Tremonia. 5. *Verda* Hannoverano ſubjecta. 6. *Herverda* Brandenburgico.

CAPUT V.

Circulus Saxoniæ Inferioris.

§. I.

Elector Brunſuico-Hanoveranus.

Is pro Jacobo expulſo rex ab Anglis ſalutatus eſt. Sed propriæ ejus ditiones hæ ſunt

1. Ducatus *Luneburgicus.*
2. Ducatus Lavenburgicus.
3. Pars Ducatus Brunſuicenſis, *Hanovera* dicta. Urbs *Hanovera, Hamelia &c.*
4. Ducatus *Bremenſis* & *Verdenſis*, qui pace Weſtphalica ceſſere Suecis, 1648. Nupero bello Danus eos Suecis abreptos vendidit Hanoverano 1712. idque ratum eſſe juſſit Sueciæ regina a. 1719.
5. Principatus *Gruebenhagenſis*; urbs Eimbecca.
6. Comitatus *Hojæ* & *Diepholtii.*

§. II. Epiſcopatus & Abbatiæ.

Hildeſienſis Hildesheim, ditione Brunſuicenſi cinctus eſt. Inſigne ſcutum a dextra argenteum, a ſiniſtra rubrum.

2. Ceteri hujus Circuli Epiſcopatus profanati Lutheranis ceſſerunt pace Weſtphalica. *Magdeburgenſis; Bremenſis; Halberſtadianus; Schvverinenſis; Slesvicenſis; & Razeburgenſis.*

3. Abbatia *Rittershuſiana* idem fatum ſubiit, Brunſuicenſi ſubjecta.

§. III.

§. III.
Duces & Principes.

Duces *Brunsuicenses* duplici hodie stirpe continentur, postquam *Luneburgica Cellensis* an. 1705. extincta est.

1. *Wolffenbütteliana*, seu Guelpherbytana, quæ subditas habet civitates *Wolffenbüttelam*; *Helmstadium*; *Goslariam*, quæ partim etiam Imperialis est civitas. Ex his *Elisabetha Christina* ad Catholica Sacra traducta, desponsa est Carolo Hispaniæ Regi, post Imperatori. Ejusque soror Carolina Christina *Sophia* mater fuit Petri II. an. 1727. Moschorum Imperium adepti.

Huic juncti sunt *Blankenburgenses* ordini Principum Imperii nuper adscripti an. 1708. Item *Beverenses*.

2. Altera *Hanoverana*, de qua §. 1. dictum.

* Omnes sunt Acatholicæ & pro Insignibus habent in scuto rubro duos Leopardos aureos.

3. Ducatus *Megalopolitanus*, Mecklenburg, Lutheranus: duæ sunt Principum familiæ. 1. *Strelıziana*, cui subest *Razeburgicus* profanatus Episcopatus, & Dominium *Stargardicum*. 2. *Suerinensis*, quæ reliquo Ducatui imperat, ac *Vandaliæ* Principatui, & denique *Suerinensi* olim Episcopatui. Urbs Princeps & perampla est *Rhodopolis* Rostock. Insigne scutum aureum cum capite Bubali nigro, cujus cornua argentea, corona rubra, annulusque per nares transmissus.

4. Ducatus *Holsaticus* Holstein, Stirps Ducum gemina est 1. Regia, seu *Glükstadiana*, quæ Danis reges dedit, & hodie facile in decem minorum gentium ramos abit. 2. *Gottorffiana*. Provincia & amplissima est & copiosissima; sed inter ambos minutim ac captim divisa. Danus enim habet *Rensburgum*; *Plœnam*; *Ranzoviam*; *Glükstadium* &c. Gotrorpiensis *Kielam*; *Oldenburgam*; *Haydam* &c.

In-

Insigne est in Scuto rubro aliud scutellum partim rubrum partim argenteum, item trifidum urticæ folium cum tribus clavis.

* *Nupero bello Septentrionali Gottorffienses provinciis suis exuti sunt a Dano, qui etiam Schlesvicum olim Episcopatum, nunc Ducatum eripuit Gottorffiis: isque illi confirmatus est pace Nystadiana seu Suecica an.* 1720.

5. *Lubeccensis* Episcopatus, profanatus est ita, ut non quidem hereditate transmitti in posteros valeat, sed tamen ab illius loci præconibus Lutheranis, quos Canonicos dicunt, eligi velut in Episcopum debeat unus e Serenissimis Ducibus Holsaticis. Insigne crux aurea cum mitra in scuto cæruleo.

§. IV. Civitates Imperiales.

1. *Lubecca.* 2. *Brema.* Hæc anno 1666. Sueco promisit voto ac Sessione in comitiis abstinere usque ad annum 1700. Sed hoc etiam elapso nondum juri suo est reddita. 3. *Hamburgum* ad Albim in Holsatia. Hanc a suffragio arcent Duces Holsatici. 4. *Goslaria.* 5. *Muhlhusium* in Thuringia. 6. Et *Nordhusium* ibidem.

CAPUT VII.

Circulus Saxoniæ Superioris.

§. I. Electoratus Saxoniæ.

Q. I. *Quæ sunt Electoris præcipua decora?*

℞. 1. Est in Electorum numero *Sextus.* 2. Imperii est Archimareschallus & Ensifer Imperatoris. Subofficiarios habet Comites Pappenheimios. 3. Est Comes Palatinus, & Interregni tempore Imperii Vicarius per

eas

eas provincias, in quibus *Jus Saxonicum* obtinet. 4. Est Director Circuli, & Dux. 5. Ille etiam est Summus post Cæsarem Judex omnium in toto Imperio Tubicinum. 6. Denique rei Venatoriæ Imperialis præfectus.

Q. II. *De Origine, & familia Ducum Saxonum quid narras?*

℞. 1. Olim Saxones Carolo M. plurimum negocii facessivere, nec sub jugum mitti potuere, nisi triginta annorum assiduis armis, donec tandem *Vitekindus* Carolo sacramentum dixerit, atque una cum Catholico dogmate Ducatum Saxoniæ, Angariæ & Westphaliæ ab eodem acceperit. an. 785. Hæc gens aliquos Germaniæ Imperatores, & Bavariæ Duces dedit.

2. An. 960. Otto Magnus Ducatum concessit *Hermanno Billing* de Stubekshorn, filii sui præceptori.

3. An. 1106. a Billingianis ad Comitem *Supplenburgensem* Lotharium translatus est Ducatus per Cæsarem Henricum V. Lotharius post Imperator salutatus est.

4. Henricus Superbus Bojorum Dux nuptiis Gertrudis Lotharii filiæ Saxoniam obtinuit a. 1136.

5. Exautorato Henrico Leone Bojo Ducatus Saxoniæ cum Electorali dignitate collatus est in *Bernardum* Comitem Ascanium *Alberti Ursi* Brandenburgici filium an. 1181. a Friderico Barbarossa.

6. Hac stirpe extincta Lavenburgenses, quibus jus succedendi erat, feudi investituram a Cæsare Sigismundo rogare neglexerunt. Is ergo eam impertit Friderico *Misniæ* Marchioni an. 1423.

7. Friderici duo nepotes *Albertus* & *Ernestus* divisere familiam, ita ut *Ernestina* Electoralis esset, *Albertina* nonnisi Ducalis an. 1464.

8. At Joanni Friderico I. ob fœdus Schmalkaldicum exautorato abdicatus est Electoratus, & in Mauritium & *Albertinam* Lineam est translatus a Carolo V. Imp. an. 1548.

9. Hæc

9. Hæc Albertina linea Electoratu hodieque potitur. Utraque vero in plurimos ramos dividitur, Ernestina in *Vinmariensem*, *Isenacensem*, *Gothaicam*; *Meinungensem*, *Hilpershusianum*, *&* *Salfeldensem*: Albertina in *Dresdensem Electoralem*, *Weissenfelsiam*, *Merseburgensem* *&* *Zitiensem*, Zeiz.

Q. III. *Quæ Religionis facies?*

℞. Omnia Luthero subscribunt. Serenissius tamen Elector Fridericus Augustus Catholicæ Veritati manus dedit, & a Polonis rex salutatus est an. 1697. Eamque ipsam amplexus est etiam Primogenitus Fridericus Augustus an. 1712. eique an. 1719. Maria Josepha Princeps Austriaca desponsa est. Omnesque eorum liberi numero decem Catholicis Sacris initiati.

Q. IV. *Quæ Insignia?*

℞. Scutum octo tramitibus aureis, nigrisque distinctum, ambiente corona e Rutis (Rauten) Elector addit binos enses decussatos, insigne Archimareschallatus Imperii.

Q. V. *Quæ ditionis Electoris?*

℞. 1. *Saxoniæ* Ducatus. Princeps civitas *Leucorea* seu Witeberga.

2. *Misniæ* Marchionatus. Vini aliorumque omnium ferax tellus. Metropolis *Misnium* olim Episcopatus. *Dresda* Electorum regia. *Lipsia*, *Lucena*, Suecica victoria famosa. *Wurza* olim Episcopatus.

3. *Thuringia* Landgraviatus : cujus tamen plurima pars Ducibus e linea Ernestina cedit. *Erforda* urbs præcipua Electori Moguntino subjicitur.

4. *Lusatia* superior Marchionatus. Metropolis *Budissa*.

§. II. Electoratus Brandenburgicus.

Q. I. *Quæ Brandenburgici Potestas?*

℞. 1.

℟. Est Electorum septimus.

2. Imperii Archi-Camerarius: quo in munere sub-officiarium habet comitem Hohenzolleranum.

3. Circuli Director cum Elect. Saxone.

Q. II. *Narra Originem ac stirpem Brandenburgicorum Marchionum.*

℟. 1. Genus ducunt a Witekindo Saxonum Duce, e quo orti sunt demum comites Ringelheimenses.

2. A. 928. Cum Henricus auceps limitis custodiendi ergo aliquot Marchias, interque has Brandenburgensem constituisset, hanc provinciam commisit Sigefrido comiti Ringelheimensi, uxoris suæ fratri, isque adeo primus fuit Marchio.

3. An. 1040. Henricus IV. Cæs. Marchionatu illo auxit Comites Stadenses.

4. An. 1152. Albertus Ursus e Principibus Ascaniis seu Anhaltinis, a Friderico I. Barbaros. obtinuit provinciam cum Electoriis honoribus; cum Saxoniam, quæ Henrico Leoni ademta ipsique erat concessa, contra Leonem tenere non posset.

5. An. 1322. Joanne e Stadensibus Comitibus postremo sine prole mortuo, Ludovicus Bavarus Cæsar Electoratu donavit filium suum Ludovicum, etsi Ascanii principes limis oculis id aspicerant. Ludovicus iste provinciam concessit fratri suo Ludovico dicto Romano, Romanus alteri fratri Ottoni.

6. An. 1373. Ab Ottone illo Bavaro sine prole defuncto Electoratus devolvitur ad Lucelburgicos, seu Wenceslaum Caroli IV. Imp. filium postea Imperatorem.

7. An. 1417. Fridericus e Comitibus Zolleranis Burggravius Norimbergensis Provinciam Brandenburgensem emto accepit a Sigismundo Imp. Wenceslai fratre. Atque hactenus obtinet Stirps Zollerana.

 8. Hacte-

ↄ. Hactenus Brandenburgensium Electorum filii ditiones quasdam in Franconia tenuere, quas nunc Marchionatus Anspacensis & Barutani seu Culmbacensis nomine dicimus. Itaque Joannes *Cicero Germaniæ* dictus, Elector Brandenb. an. 1499. Fratrem earum provinciarum rectorem habuit Fridericum: huic filius erat *Albertus* ille, qui posito Magistratu Equitum Teutonicorum, ejurataque vera religione hæresi Lutheranæ subscripsit. Sed præter hunc duos alios filios seniores numeravit Fridericus, qui provinciam Franconicam inter se diviserunt, *Casimirus* Baruthanam, *Georgius* Anspacensem cepit. an. 1520.

* *Qua via Borussia ad Brandenburgenses delapsa sit, post dicam.*

Q. III. *Quæ Religio Brandenburgo imperat?*

℞. Lutherana, & Calviniana.

Q. IV. *Quæ sunt Insignia?*

℞. Aquila rubra in scuto albo. Elector adjungit aliud scutum cæruleum cum sceptro aureo, Insigne Archicamerarii Imp.

Q. V. *Quas provincias sua sub ditione numerat?*

℞. *Brandenburgicæ Marchiæ*, quæ in Veterem, Mediam, Novam, & Uckeranam dividitur, metropolis est *Berolinum* ad Spreham fl. Electoris regia.

2. *Havelberga* Episcopatus profanatus.
3. *Brandenburgum* Episc. profan.
4. *Lebusium* Episc. profan.
5. *Caminium* Episc. profan.
6. *Halberstadium* Episc. profan. Circuli Saxon. Infer.
7. *Mindensis* Episc. profan.
8. *Pomeraniæ* Ducatus ulterior, Hinter-Pommern, cum

cum Ducatibus in eo sitis *Cassubiæ* nempe & *Vinidorum.* Urbes *Stargarda*, *Caminium &c.*

9. *Cliviensis* Ducatus Circ. Westphal.

10. *Marchia*, Westphalicus Comitatus, anno 1666. acquisita.

11. Item Comitatus *Ravenspurg.*

12. *Lippiensis* denique Comitatus Circul. Westphal.

13. *Borussia* olim jam Imperio Germanico subdita fuismet postea Ducibus est relicta: quorum Wratislaus sub an. 1260. Ordini Equitum Teutonicorum nomen dedit, unaque Pomeraniam, & Borussiam. Poloni deinde armis id egerunt, ut Equites dimidia Borussia Polonorum potestati permissa alteram etiam dimidiam iisdem vectigalem facerent, Imperiique Germanici Clientelæ renuntiarent, frustra vetante Friderico III. Cæs. an. 1466.

Denique Albertus, quem dixi Brandenburgicus, Ordinis supremus Magister, misso Ecclesiæ nuncio, hæresin amplexus suam fecit provinciam, nomenque *Ducis* a Polonis obtinuit. an. 1525. Quam ob caussam a Carolo V. Imp. in Comitiis Augustæ proscriptus est. an. 1530.

Anno dein 1657. Velaviensibus pactis supremum jus atque independens concessum est a Polonis Friderico Wilhelmo Elect. Brandenburgico.

At demum an. 1701. Fridericus III. Elector diadema regium sibi imposuit, multis licet Europæ Principibus ægre ferentibus indulgente tamen Cæsare Leopoldo.

Metropolis Borussiæ regiæ est *Regiomontium.*

14. *Neocomensis* sive *Neoburgensis* Comitatus, seu *Neufchastel* Helvetis fœderatus olim Longavillæis Galliæ satrapis paruit. His anno 1694. deficientibus Nemosienses Duces (*Nemours*) eodem gavisi sunt.

Ab anno vero 1707. Borussiæ regi sese subjecit. Calviniana hæresi totus comitatus occupatur.

15. *Magdeburgicus* Ducatus, erat Archiepiscopatus pace Westphalica profanatus.

16. *Grossensis* Ducatus in Silesia.

17. *Arausionensis* Principatus in Provincia Gallica, olim Nassovicæ ditionis. Extincto vero Wilhelmo III. Nassovio Angliæ rege, eum ambivit Borussus. Hactenus tamen Gallorum imperata facit.

18. Quædam denique etiam in Africa occupavit rex Borussiæ, in regno Guineæ, super ripam auream, vulgo Gold-Küste.

19. Nuper his latifundiis accessere *Silesiæ* major pars an. 1742. Principatus *Frisiæ* Orientalis totus an. 1743.

§. III. Episcopatus Circuli Sax. Sup. & Abbat.

1. Episcopatus omnes sunt profanati, nempe Brandenburgi; Misniæ; Merseburgi; Naumburgæ; Lebusii; Caminii.

2. Abbatiis eadem sors obtigit. *Saalfelda* in Thuringia Benedictinorum olim Princeps Abbatia nunc Ducum Saxo-Saalfeldensium ditio atque sedes. *Walkenriedam* Benedictinorum olim cænobium occupant nonnulli præcones Lutherani in Thuringia. *Quedlinburgum* puellarum Lutheranarum domus. *Gerenroda* ejusdem farinæ.

§. IV. Reliqui Duces ac Principes.

1. Saxonicæ stirpis Duces Vinmarienses, Gothaicos &c. supra memoravimus.

2. *Pomeraniæ* Ducatus pars Sueco paret.

3. *Ascanius* seu Anhaltinus Principatus in plures familias divisus, nempe *Dessavicam*; *Bernburgicam*; *Coëthensem seu Plozgovicam*; *&* *Zerbstensem*.

4. *Schvvarzburgicus* Principatus metropolim habet *Königseam*.

5. *Mans-*

5. *Mansfeldicus* Principatus nobilissimus æris alieni ergo a Saxone & Brandenburgico Electoribus jure sequestri occupatus, præter nonnulla Princpibus Mansfeldicis, qui hodie Catholici sunt, relicta.

CAPUT VIII.

Circulus Bavaricus.

§. I.

Electoratus Boicus.

Q. I. *Quæ est dignitas Electoris Bavari?*

℞. 1. Est inter Electores quintus. 2. Imperii Archidapifer. 3. Comes Palatinus. 4. Vicarius Imperii in circulis superioribus. 5. Director Circuli Bav. cum Archiepiscopo Salisburg.

Q. II. *Quæ Boiis Religio?*

℞. Invicte ac simpliciter Catholica.

Q. III. *Quæ Insignia Ducis?*

℞. Scutum tessellis argenteis cæruleisque decussatim virgatum. Leo aureus rubro coronatus ob Palatinatum. Pomum denique aureum cum cruce tanquam Archidapiferatus Imperii insigne.

Q. IV. *Quæ ditiones Electoris?*

℞. 1. *Bavariæ* Ducatus quatuor Parlamentis sive ita dictis Regiminibus gubernatur e quatuor præcipuis Urbibus *Monachio* Electorum regia, *Landishuto*, *Straubinga* & *Burghusio*. His accedit præsidium munitissimum *Ingolstadium*.

2. *Palatinatus superior* cum Metropoli *Amberga*.

3. *Leuchtenbergicus* Landgraviatus. Civitas princeps est *Pfreimda*. Olim suos habuit Comites, usque ad an. 1646.

4. *Hagensis* Comitatus Leonardo Comitum ultimo extincto Bavaris concessus est a Maximiliano I. Imp.

5. *Chamb* Comitatus a Friderico II. Imp. Bojis concessus an. 1210. & iterum iisdem vindicatus pulso Friderico Palatino an. 1620.

6. *Mindelheimensem* Dynastiam Boiis cessit Comes Maxelrainius, cum eam tueri adversus Fuggeros non valeret an. 1618.

7. *Werda Danubica* Imperialis quondam urbs ob Sacra Catholica indigne a Lutheranis civibus habita a Cæsare proscripta est an. 1607. & hactenus Boicos fasces reveretur.

8. Nuperrime mortuo Tillio Comite accessit Boico juri non spernenda ditio, an. 1725.

9. Rursus Comitatus Imperialis Hohenvvaldeck Maxelrainiorum (utpote gente illa extincta) ex pacto successorio Electoratui adjunctus. Item a. 1740. Comitum Imperii Wolffsteinensium in Palatinatu Superiore ditio, eadem occasione.

§. II.
Episcopatus Circ. Bavarici.

1. *Salisburgensis* Archiepiscopatus a S. Ruperto Bojorum Apostolo institutus post annum Christi 702. amplissimas terras & optima ditionum suarum regalia largiter donante Bojorum Duce. Urbs *Juvavia* Romano ævo, hodierno *Salisburgum* dicitur, Academia celebris est. Cæterum Archiepiscopus in Comitiis Imperii primus est in Ordine Principum Ecclesiasticorum, & Directorium habet in Collegio Principum alternatim cum Austria. Est etiam Director Circuli Bavarici. Dein *Chiemseenses*, *Seckavienses*, & *Lavantinos* Episcopos ipse suo jure nominat, instituit, confirmat. *Gurcenses* vero semper binos Dux Carinthiæ, tertium nominat Archiepiscopus.

2. *Frisingensis* Episcopatus fundatus a S. Corbiniano an. 724. ex bonis & latifundiis Ducis Boiariæ tam in ipsa Bojaria, quam in moderna Tiroli donatis.

3. *Ratisbonensis* Ep. cujus primus *Ordinarius* Episcopus S. Wicterpus obiit an. 756. hæc quoque Bojarica prædia fuere.

4. *Bat-*

4. *Battaviensis*, seu *Passaviensis* Laureaco (vulgo hodie Ennß) translatus an. 738. omnia rursus ex Bojorum Principum fortunis.

5. *Berchtolsgadiensis* Præpositura Canonicorum Regul. Principis honore gaudet.

6. Abbatia Imperialis S. Emmerami Ord. S. Bened. in Civit. Ratispon. fundata an. 697. in qua Principales honores olim gestos Cæsaris auctoritate instauravit Reverendissimus ac Celsiss. DD. Abbas Anselmus a. 1732.

7. *Monasterium superius & Monasterium inferius* in civitate Ratisponensi. Domus sunt Canonissarum secularium, quarum Præpositæ Principes sunt Imperii.

8. Olim & Abbatia Waldsassensis Cisterciensium, aliæque, Imperii Status fuere, sed a Boiis Ducibus sunt exemtæ.

§. III.

Duces & Principes.

1. Ducatus *Neoburgicus* cum *Neo-Palatinatu*, qui pars est Palatinatus superioris, hoc eventu institutus est. Convenerat inter Bojariæ Principes, ne ditiones deinceps dividerentur in filios, sed uni tantum Primogenito subjicerentur. Nihilominus Georgius Dives Dux Landeshutanus Ruperto Palatino Philippi Electoris filio suam filiam despondit, dotemque constituit suas in Bavaria ditiones. Id non ferens Albertus IV. sapiens, Dux Monacensis Cæsarem Maximilianum implorat, Ducemque Wirtenbergicum, & Norimbergenses trecentorum millium auri stipendio conducit.

Itaque Georgio fatis sublato an. 1503. ventum ad arma. Dumque bellum trahitur, Rupertus Palatinus diem extremum obit, filiolis relictis duobus *Ottone Henrico* & *Philippo* postea *Bellicoso*.

Belli fessa pars utraque pacem tandem in has leges componit an. 1505. autoritate Cæsaris Maximil. I. *Ut Boicæ ditiones manerent deinceps indivisæ. Ne tamen duobus Ruperti filiis deesset sua dos; in eorum gratiam*

 Novus

NOVUS PALATINATUS institueretur partim e ditionibus Paternis, partim e bonis Georgii divitis.

Hac occasione Cæsar in belli impensas e Georgii Divitis bonis tulit *Kuffsteinam* cum aliis, quæ jam olim Tyrolicæ ditionis erant; sed pacto ad Bavaros devenerunt. Advocatiam in Episcopatu Salisburg. & Pataviensi. Immunitatem vectigalium per omnia Oeni littora, æris præsentis 100000. Veniam æris alieni, quo obstrictus fuerat Georgio Diviti, & 50000. florenorum pretio frumenta.

Norimbergens. cessit *Hersspruck, Lauff, Altorff, &c.*

2. Ducatus *Solisbacensis.* Jam anno 1569. Wolffgangus Comes & Dux *Palatino-Bipontinus* inter filios divisit ditionum suarum partem, e quibus *appanagii* loco obtigit *Solisbacum* Ottoni Henrico.

Hic quidem defunctus est improlis. At ejus frater Philippus Ludovicus Neoburgicus filium reliquit *Augustum* Solisbaco appanagii jure imperantem. Ex eo natus est *Christianus Augustus*, qui paternam ditionem an. 1632. adeptus Catholica sacra amplexus est a. 1655. & a Palatinis Neoburgensibus Jus Superioritatis (die Souveraineté) obtinuit, ut suo deinceps jure regnarent Duces Solisbacenses.

Situs est Ducatus in Palatinatu superiore. Nunc Neoburgicis. an. 1743. extinctis hujus Solisbacensis stirpis surculus unicus Electoratu potitus est.

§. IV.

Comites Immediati Status Imp.

1. *Ortenburgici* Lutherani.

2. *Wolffsteinenses* in Palatinatu Lutherani. an. 1740. extincti.

3. *Sulzberg* ad Wolffsteinenses pertinet. Quorum ultimo fatis sub annum 1740. functo Sulzbürga Boico Palatinatui adnexa est.

4. *Braiteneck* comitatus in Palatinatu. Spectat ad Comites de Tilly. Ultimo horum Ferdinando A. 1725. extincto transiit ditio ad sororem, viduam Antonii Comitis olim Montfortii.

5. *Stern-*

5. *Sternstain* in Palatinatu sup. Lobkovviziis Principibus concessus comitatus. Civitas *Neostadium*.

6. *Hohenvvaldeck* Comitum *Maxelrainensium* in Bavaria. Hi quoque fato decedentes ex pacto successorio hæredes nuper habuerunt Boicæ Duces.

Comitatus *Ehrenfelsicus*, vulgo Regenstauff; & *Heideggensis* à Palatinis Neoburgicis eximuntur.

§. V. Civitates Imp.

1. *Ratisbona* Comitiis continuis ab an. 1662. eo coactis nota.

2. *Werda Danubica* sub Ducum Bavorum ditione est ab an. 1607.

CAPUT IX.

Circulus Suevicus.

* *Suevi olim à Danubii ripis ad mare Balthicum usque sedes fixerunt. Nec suis contenti ditionibus, exteras etiam occuparunt, Alemanniam primum (hodiernam Sueviam) mox ipsam extremam Hispaniam.* Vid. Histor. Profanam L. 2. c. 3. §. 2.

Conradus I. Imp. Burchardo Comiti Buchornio Ducales honores decrevit an. 916.

Inde ad Marchiones Austriacos, ad Comites (ut volunt nonnulli) *Wittelspachios, Svveinfurtenses, Rheinfeldenses, & Stauffenses Sueviæ Ducatus devolvitur, è quibus postremus* Conradinus *Neapoli capite plexus est an.* 1268.

Post hujus fata Rudolphus I. Habsspurgicus Imp. Ducatu Sueviæ auxit filium suum Rudolphum an. 1282. *Sed ex eo tempore Suevi in multas ditiones se diviserunt.*

§. I.
Episcopatus & Abbatiæ.

1. *Constantiensis* Episcopus Director est Circuli Suevici cum Duce Wirtenbergico. Ipsa civitas

Constantiensis Imperiali libertate multata est a Carolo V. Imp. quod Libro *Interim* subscribere detrectarit.

2. *Augustanus* Episcopatus. *Augusta Vindelicorum* civitas Imperii est.

3. *Curiensis* apud Grisones olim nobilissimus Episcopatus multum accisus est Grisonibus Helvetorum fœdus amplectentibus. Episcopus adhuc Imperii Princeps est, jureque suffragii gaudet.

4. *Campidona* Princeps Abbatia Benedictinorum. *Campidona* vera Civitas, quæ originem debet cœnobio, tumultu hæreticorum eius ditioni subducta est, hodieque civitas est Imperialis.

5. *Elvacensis* olim Abbatia Benedictina, nunc Canonicorum sæcularium Princeps Præpositura est.

6. Abbatiæ præterea Imperiales sed non Principes sunt ex Ordine S. Benedicti: *Augia Dives* Episcopo Constantiensi nunc subdita: S. *Uldarici* Augustæ. S. *Blasii*, quæ suffragio in Comitiis gaudet ob Comitatum Bondorffensem: *Elchinga*: *Gengenbachium*; *Ochsenhusium*: *Ursinia*, *seu* Irrse: *Isnia*: *Petershusium*: *Zvvifaldum*: *Vineæ*, seu Weingarten: ac demum præ aliis exemtione gaudens *Ottobura*.

7. Cisterciensium sunt *Cæsarea*: *Salomonis villa*, Salmansweiler.

8. Canonicorum Regularium est *Wettenhusium*.

9. Præmonstratensium *Augia minor*, Weissenau: *Monachorum Rota*, seu Münch-Rott: *Marchthalium*: *Roggenburgum*: *Schüssenrieda*: *Ursperga*.

10. His adde Abbatissas *Buechaviensem* Canonissarum secularium: Item *Lindaviensem*. *Cisterciensium Hegbach*: *Guttencella*: *Rottenmünster*, *Baindt*.

Abbatiam *Maulbrunensem* & *Königsbrunensem* cum aliis subjugavit Dux Wirtenbergicus.

§. II.

§. II.
Duces ac Principes.

1. *Wirtembergici* olim Comites, in Ducum ordinem adscripti sunt a Maximiliano I. Imp. anno 1495. Nunc Directores sunt, Ducesque Circuli, & Sac. Rom. Imperii Summi Vexilliferi. Insignibus utuntur, scuto aureo, cum tribus nigris cervi cornibus: his additur vexillum cum Aquila Imperiali. Ceterum favent Luthero. A Carolo V. ob fœdus Schmalkaldicum exaustorati, a Rudolpho II. in numerum Statuum Immediatorum iterum recepti sunt: ita tamen, ut masculis deficientibus omnis ditio ad Austriacos rediret. Caput urbium est *Stugarda*; inde *Tubinga*.

Huic etiam patet Comitatus *Montisbelicardi* Burgundiæ finitimus.

2. *Badensium* Marchionum duplex stemma est: alterum *Badensium*, Baden-Baden Catholicum, urbes habet *Badenam*; *Stollhofium*; *Kehlam*; *Rastadium* cum parte potissima Comitatus Sponheimensis. Ex horum gente fuit *Ludovicus*, vulgo Prinz Louis, Turcicis, Gallicisque bellis clarissimus.

Alterum stemma est *Durlacensium* Lutheranum.

3. *Hohenzollerani* comites Principibus adnumerati sunt a Ferdin. II. Imp. an. 1623.

4. *Fürstenbergii* quondam comites, nunc Principes duabus lineis dividuntur, *Möskirchana*, seu Blumbergica; & *Stülingana*, postquam Heiligenbergensis extincta est.

5. *Svvarzenbergici* alias comites hodie ab anno 1671. Principes, comitatum Sulzensem cum aliis in Suevia possident.

6. *Ottingani* partim comites sunt, partim etiam Principes ab an. 1674.

§. III.

§. III. Comites.

1. *Montfortii* quorum tamen potissima ditio Austriæ paret.
2. *Truchsessii*, quorum Stemma *in Waldpurgenses, Wolfeggenses, & Zeilenses* distinguitur.
3. *Königseggenses. HohenEmsenses. Pappenheimenses*, Barones *Rechenbergenses* &c.

§. IV. Civitates Imperiales.

1. *Augusta* Vindelicorum partim Catholica partim Lutherana. 2. *Ulmæ* Acatholica. 3. *Eslinga* Luther. 4. *Reutlinga* Luther. 5. *Nordlinga* Luther. 6. *Halla Suevica* Luther. 7. *Rothvila* Catholica. 8. *Uberlinga* Cathol. 9. *Heilbruna* Luther. 10. *Gmunda Suevica* Cathol. 11. *Meminga* Luther. 12. *Lindavia* Luther. 13. *Dünckelspihla* partim Cathol. partim Luther. 14. *Biberacum*, Catholic. Luther. 15. *Ravenspurgum* Catholico-Lutheran. 16. *Campidona* Luther. 17. *Kauffbeura* Catholico-Luther. 18. *Weila* seu *Wiela* Cathol. 19. *Wangia* Cathol. 20. *Isnia* Luther. 21. *Pfulndorffium* Cathol. 22. *Offenburgum* Cathol. 23. *Leutkirchium* Catholico-Luther. 24. *Wimpfa* Luther. 25. *Giengo* Luther. 26. *Gengenbacum* Cathol. 27. *Zella* Cathol. 28. *Buchorna*. 29. *Aala* Luther. 30. *Buchavium* Cathol. 31. *Bopfinga* Luther.

Constantia a Carolo V. proscripta est & exemta. *Werda Danubica* Boiis paret.

CAPUT X.

Circulus Franconicus.

§. I. Episcopatus & Prælaturæ.

1. *Bamberga*. Reliquæ civitates sunt, *Forchhemium*, *Furthum* &c. Episcopus est Circuli Director cum Baru-

Baruthano Marchione. Fundatus est amplissimus episcopatus ex opibus Bojaricis, an. 1007. ab Henrico V.

2. *Herbipolis.* 3. *Eichstadium.* Comitatus Hirspergensis annutu Bojariæ Principum in hunc Episcopatum conversus est. 4. Equitum *Teutonicorum* bona tota quidem Imperio sparsa sunt. Attamen huic præcipue Circulo adscribuntur, ubi sita est *Mariæ Domus*, seu Mergentheim supremi Magistri (vulgo Teutsch-Meister) sedes.

§. II.

Duces ac Principes.

1. *Baruthanus*, seu Culmbacensis Marchio Director est Circuli. Lutheri hæresin profitetur. 2. *Onoldinus* seu Anspacensis, aut Onolzbachicus Marchionatus Lutheranus. 3. *Coburgensis* Ducatus nunc est Saxo-Gothaicorum Principum. 4. *Hennebergicus* Principatus inter Saxones, & Hasso-Cassellanos divisus. 5. *Svvarzenbergicus* Princeps huic Circulo adscriptus est: sed bona pleraque alibi sita. 6. Idem obtinet de Principe *Lövvensteinio*, cui subest Comitatus *Werthei-mius* vino nobilis.

§. III. Comites.

1. *Castellanus.* 2. *Hannovius* præpotens Comes. 3. *Holacheus* seu Hohenlohe. 4. *Erpacensis.*

5. *Limpurgenses* Liberi Domini, dicti *Semper*-Freye nunc extincti sunt. Ditionem sibi postulat Brandenburgicus. Subofficium Pincernæ Imperii a Carolo VI. Aug. concessum est Comitibus de Althan.

§. IV. Civitates Imperiales.

Norimberga omnium potentissima. 2. *Schvveinfurtum.* 3. *Rotenburgum* ad Tuberum fl. 4. *Weissenburgum.* 5. *Weinshemium.*

CA-

CAPUT XI.

Belgium Fœderatum, Respublica.

1. Regio abundans paſcuis: Silvarum inops: mercimoniis prædives.

2. Mores aſtuti: Pertinaces ſimul & inquieti.

3. Religio Catholica exulat: nulli tamen hæreſi oſtium negatur: cum interim Calviniana potiſſimas partes ibi agat.

4. Inſigne Leo tenens faſciculum ſeptem jaculorum, cum epigraphe: *Concordia res parvæ creſcunt.*

5. Provinciæ ſeptem ſunt. 1. *Hollandia* Comitatus, cum urbibus *Amſtelodamo*; *Lugduno Batavorum*; *Rotterodamo*; *Haga Comitum*. 2. *Seelandia* Comitatus: Urbs *Middelburgum*. 3. Ultrajectina provincia, Urbs *Ultrajectum*, ſeu Trajectum ad Rhenum. 4. *Geldriæ Inferioris* Ducatus: *Urbs Neomagum*. Junctus huic eſt Comitatus *Zutphanius*. 5. *Tranſiſalana* provincia, Ober-Yſſel. 6. *Groningana* provincia. 7. *Friſia Occidentalis*; Urbs *Franeckera &c.*

* Reliquas Batavorum ditiones, quas in Germania poſſident, videſis ſupra Cap. 1. §. 18.

Demum in aliis terræ plagis multa aut eripuere Luſitanis, Hiſpanisque, aut alias acquiſiverunt. In Aſia partem Malabariæ, Coromandelæ, & ultra Gangem Malaccam emporium. Partem Inſularum Moluccenſium, & Ceylanis: novam Hollandiam, & Zeelandiam. In Inſula Java *Bataviam* urbem, caput omnium Belgicarum in Aſia ditionum.

In *Africa* multa tenent præſidia ad Promontorium viride, & Bonæ ſpei. In regno Guineæ &c.

In

In *America* denique nonnullas insulas occuparunt.

Q. I. *Cuinam Principi obnoxiæ sunt tot nobiles provinciæ?*

℞. Nulli, sed jure suo vivunt. Olim quidem Burgundis Ducibus, deinde Austriacis Hispaniæ regibus parebant. Sed sub Philippo II. cum hæresi late serpenti opponeretur sacrum Inquisitionis tribunal, illud dedignati nobiles cum populo jugum excussere an. 1579.

Q. II. *Quis regiminis modus?*

℞. Singulæ harum provinciarum aliquos *Hagam Comitum* mittunt cum potestate de rerum summa deliberandi, decernendique. Huic Legatorum cœtui nomen est: General-Staaten. Toti Reipublicæ titulus adhibetur: Die Hochmögende Herren.

Q. III. *Quæ Maximæ Batavorum?*

℞. 1. In id præcipue intenti sunt, ut vel Gallum amicum habeant contra Anglos, vel Anglos contra Gallum.

2. Unice student suis mercimoniis conservandis, augendis.

3. Ut Gallo objicerent potentem aliquem vicinum, nupero fædere Ultrajectino 1713. haud ægre admiserunt, ut Belgium Austriacis redderetur. Ne tamen ab Austriacorum potentia metus esset, multa earum provinciarum Gallo, multa sibimet ipsis permiserunt, unaque tractatum *Repaguli* cum Austria pepigerunt. De quo alibi. Histor. Profan. L. 2. c. 5. f. 386.

4. Sustentatur interim hæc Respublica a vicinis Principibus, cum neuter eam aut pati nimium aut augeri ferat. Facile alias subvertenda.

CA-

CAPUT XII.

Lotharingiæ Ducatus.

Q. I. *Quinam olim & nunc Lotharingiæ Principatum tenuere?*

℞. 1. *Lotharingia* pars est regni olim Austrasiæ, Lothario Lotharii Cæsaris filio obtenti. Deinceps Arnolpho Cæsari erepta est a Carolo simplici Gall. R. sed ab Henrico Aucupe denuo vindicata a. 924. *Vid. Hist. Profan. L. 2. c. 4. fol. 350.*

2. Initio seculi 12mi Ducatu Lotharingiæ Inferioris seu Belgio potiti sunt Comites Brabantiæ; & seculo 1[illegible] Duces Burgundiæ, ac demum Archiduces Austriæ.

3. Lotharingia superior hodierna cessit anno 104[illegible] Gerhardo Comiti Alsatico, armis eam adempto: Ducumque modernorum protoparenti.

4. Ex his *Renatus*, qui Caroli Audacis Burgundiæ Ducis arma repressit, duos reliquit filios a. 1508. *Antonium* & *Claudum*, a quibus Stemma in duos divisum est ramos, *Lotharingicum seu Germanicum*, & *Gallicum.*

Q. II. *Quid amplius de Lotharingia memorandum ais?*

℞. 1. Insignia sunt scutum aureum, cui inducta est fascia rubra cum tribus argenteis avibus.

2. Metropolis est *Nancejum.*

3. Duces olim quidem Imperio subjecti fuerant, sed injuria temporum ei se subduxerunt. Adhuc tamen Principes Imperii dicuntur, gaudentque suffragio ob varios Comitatus, quos possident Imperio vectigales.

4. Gallum vicinum habent formidandum, qui etiam anno 1552. evocatus a Mauritio Saxone in Cæsarem arma sumente, eripuit tres nobilissimos Episco-

patu[illegible]

patus *Metensem*, *Tulensem*, & *Verdunensem*. Quin totam Lotharingiam subegit Ludov. R. Gall. an. 1670. quam tamen pace Rysvicensi reddere coactus fuit anno 1697. Verum anno 1735. cum Cæsar Carolus VI. impediisset Stanislaum Leszinskium a Sceptro Polonico servando, Galliarum rex ejus caussam tutatus armis conditionibusque obtinuit, ut Lotharingia traderetur Stanislao regi, quoad viveret fruenda, a cujus obitu ad regnum Galliæ pertineret, veterrimum ejus patrimonium.

CAPUT XIII.

Helvetorum Respublica.

1. Regio montibus aspera: frumento egens adeo, ut esuriendum sit, ni vel Suevia, vel Gallia subvehat annonam. Pascuis tamen opima.

2. Mores veterum Germanorum similes.

3. Religio mixta.

4. Insigne cuivis provinciarum proprium.

5. Provinciarum autem triplex ordo est. I. *Civium*. II. *Subditorum*. III. *Fœderatorum*, *seu Sociorum*.

I. *Cives* sunt tredecim Pagi; seu Provinciæ, quas Cantones dicere amant Galli.

Tigurum, ceteris potentior, Calvinianus.
Berna, amplissimus, Calvinianus.
Luceria, Catholicus.
Urania, Uri, Cathol.
Suitia, Cathol. Sacra Æde D. Virg. Einsidlensis inclytus, cujus Abbas Princeps Imp. est, sed suffragio carens.
Silvania, Unterwalden, Cathol.
Tugium, Zug, minimus Cathol.
Glarona, Glaris, Catholico-Calvin.
Basilea, Acatholicus.
Friburgum, Cathol.
Solodurum, Cathol.
Schaffhusium, Acathol.
Abbatis-Cella, Appenzell, mixtus.

II. Subditi ſunt partim in Germania Auſtriaco juri abrepta, ut *Vallis Rhenana*; *Turgovia*. Item urbes *Badena*; *Certiacum*, ſeu Forum Tiberii, id eſt Zurzach ꝛc.

Partim in Italia, ut *Vallis Telina*; *Lugano*; *Bellenza*; *Locarno &c.*

III. *Socii* ſunt quidem ſui juris, ſed mutuo fœdere, auxiliisque Helvetorum nituntur, ut

Rhæti ſeu *Griſones*. Princeps Abbatia *S. Galli*. *Valeſia*. *Genevenſis* Respubl. Urbes *Müllhuſium*: *Rottvila*: Sed hæc fœdus Helvetorum deſeruit. 1631.

Q. *Cuinam regi ſubjecti ſunt Helveti?*

℞. Nemini. Olim Imperii Germanici cives erant, & Habſpurgicorum plerique clientes, alii etiam ſubditi. Verum Præfectorum inſolentia eousque graſſante, ut etiam pileos adorare compelleretur plebs, tres viri e tribus pagis coiverunt, nempe Uri, Schwitz, & Unterwalden. Hi octo fœdere, factaque manu Præfectis demum peremtis libertati ſe reddiderunt. an. 1308. Auſtriacis etiam Sueviæ Ducibus non una clade deletis.

Dein Ludovicus Bavarus Imp. pro ſuo in Auſtriacos odio fœdus ruſticorum ratum habuit, libertatemque indulſit ampliorem.

Strenue mox id ipſum proſecuti ſunt Galli, cum primum ſimultates in Burgundum & Auſtriacos ſuſcepiſſent. Ludovicus enim XI. G. R. fœdus pepigit an. 1474. Quo hodieque Helvetos ſuos veluti ſtipendiarios habet; non a quibus accipiat, ſed quibus det ſtipendia, ut ſemper ad obſequium paratos habeat.

LI-

LIBER III.
Deſcriptio Italiæ.
CAPUT I.
Status Eccleſiæ Romanæ.

Q. *Quænam ſunt ditiones Pontificis Romani?*

℞. 1. *Ferraria* Ducatus cum civitate *Comaclo*. 2. Territorium *Bononienſe*. 3. Romania, cum urbe *Ravenna*. 4. *Urbinum* Ducatus. 5. Marchionatus *Anconitanus*. 6. Ducatus *Spoletanus*. 7. Territorium *Peruſinum*. 8. Ducatus *Caſtrenſis*. 9. *Patrimonium S. Petri*, ſeu terra Mathildis. 10. *Sabinenſis* ager. 11. *Campania Romana*, cum ipſa Urbe urbium *Roma*. 12. *Beneventanus* Ducatus in regno Neapolitano. 13. *Avenionenſis* Comitatus in Gallia. 14. Denique Pontifici clientelari ſeu feudi jure obnoxia ſunt regna *Neapolitanum Siculum* : Unde quotannis a rege Neapolitano Romam mittendus eſt Sonipes albus cum ſex aureorum millibus.

* Inſignia ſunt binæ claves decuſſatæ, aurea altera, altera argentea ; his imminet Tiara tribus redimita coronis in ſcuto cæruleo.

CAPUT II.

Magnus Ducatus Florentiæ.

Q. I. *Quinam & unde sunt Magni Duces Florentiæ?*

℞. 1. Florentia olim Hetruria, vel Tuscia medio ævo comites habuit Imperio Germanico vectigales.

2. Carolus V. Imp. Ducali mitra eosdem ornavit. an. 1531.

3. Pius V. PP. *Magnos Duces* vocavit. an. 1569.

4. Cosmus III. *Regiæ Celsitudinis* titulum, Königliche Hochheit, obtinuit Pontifice & Imperatore adsentientibus, an. 1700. obiit an. 1723. Quadruplici fœdere decretum erat uti Hetruria Feudi Imperialis nomine conferretur uni filiorum Reginæ Hispanicæ. Is erat Carolus. At is cum an. 1735. utriusque Siciliæ regnum obtineret jure suo in Hetruriam cessit Francisco Stephano Lotharingiæ Duci, qui contra Lotharingiam suam Gallis tradidit. Possessionem Stephanus adiit anno 1738. cum Joannes Guasto Cosmorum postremus diem obiisset.

Q. II. *Quænam Insignia?*

℞. Scutum aureum, in quo globi rubri quinque, supra hos sextus aureus tria aurea lilia pullulans.

Q. III. *Quæ illius ditiones?*

℞. 1. Ducatus *Florentinus*, vulgo Toscana, cum urbium pulcherrima *Florentia*. Sunt item *Pisæ*, *Libarnus* portus &c.

2. *Plumbinensis* Principatus Cæsareo juri vindicatus est an. 1708.

3. Status *Præsidii* cum Principatu *Plumbinensi*, *Portu Longo*, insulaque *Elva* eidem Carolo Hispano Siciliæ utriusque regi concessa sunt.

CA-

CAPUT III.

Respublicæ Italæ.

1. *Venetiarum* urbs medio mari, seu potius palustribus maritimis palisque imposita sua sub ditione numerat *Ducatum Venetum. Longobardiæ* partem cum urbibus Patavio; Verona; Brixia, id est Brescia &c. Marchionatum *Tervisanum. Forum Julii Istriæ* partem. *Dalmatiæ* litora ad Macedoniam usque. *Corcyram*, insulam: item *Cephaleniam* cum adsitis. Verum *Cyprus*, *Creta*, & nuper an. 1715. *Peloponnesus* tota Turcarum armis cessit. Insigne Leo aureus coronatus tenens librum, cui inscriptum: *Pax tibi Marce Evangelista.*

2. *Genuensis* etiam *Corsicæ* Insulæ imperat.

3. *Lucensis.* 4. *S. Marini* intra Statum Ecclesiæ sita.

CAPUT IV.

Ducatus & Principatus.

1. *Sabaudiæ* Ducatus, & *Pedemontii* Principatus. Illi metropolis est *Camberium*, huic augusta *Taurinorum*, Turin. Sabaudo etiam parent Ducatus *Montis ferrati* Imperii feudum eidem concessum an. 1708. Insula denique ac regnum *Sardiniæ* nuper an. 1720. a Cæsare eidem pro Neapoli relictum.

2. *Parma* Ducatus Farnesiorum Principum est. Feudi jura in contentionem vocant Pontifex & Imperium.

3. *Mutinensis* Ducatus *Atestinæ* genti (d'Este) subest. Quæ etiam Mirandulanum Principatum emto accepit ab Imperatore, feudi Imperialis titulo. an. 1710.

4. *Monœcium*, ſeu Portus Herculis Monœci, vulgo *Monaco* Principatus, Gallorum tutelam agnoſcit.

* *De Neapoli, Sicilia; Mediolano &c. egimus, cum Auſtriacas ditiones in numerum miſimus L. 2. c. 1.*

LIBER IV.

Deſcriptio Hiſpaniæ.

Q. I. *Quæ ſoli hujus indoles?*

℞. Delicata. Olim aurifodinis inclyta. Nunc hominum raritas Hiſpaniam affligit: tum ob itinera externa: tum ob tot Mauros, Judæosque pulſos.

Q. II. *Qui Genti ſunt mores?*

℞. Ad gravitatem compoſiti non raro ad faſtum declinant & ſegnitiem. Tardi ſunt, ſed eo altius in rem quamvis penetrant.

Q. III. *Quæ Religio?*

℞. Catholicam tenaciſſime cuſtodit *Sacræ Inquiſitionis* tribunal, quod nulli hetroclytæ doctrinæ aditum qualemcunque permittit. Hinc Rex Hiſpaniæ *Regis Catholici* nomen a ſummis Pontificibus obtinuit.

Q. IV. *Quæ Inſignia?*

℞. Inſigne varium eſt ob numeroſa regna & provincias; ut illud hic delineare longum eſſet. *Caſtellæ* regni inſigne eſt Caſtellum aureum. *Legionis* Leo ruber coronatus. *Aragoniæ* trabes quatuor rubræ in campo aureo.

Q. V. *Quænam ergo Hiſpanici Monarchæ ditiones ſunt?*

℞. 1. Hiſpaniæ ipſius decem ſunt regna. 1. *Caſtella nova.* Urbs totius Hiſpaniæ metropolis *Madritum.*

Inde

Inde *Toletum*; *Complutum &c.* 2. *Caſtella vetus*, Civitates *Valiſoletum*; *Abula &c.* 3. *Galæcia*; Civitas *Compoſtella*. 4. *Biſcaia*, olim Cantabria: Civitates *Fons rapidus*, ſeu Fuentarabia, *Toloſa*, *&c.* 5. *Cranata*; olim Bætica. Urbs *Malaca*. 6. *Murcia*. Urbs *Carthago nova*. *Carvaca &c.* 7. *Valentia*. Oppidum *Morvedrum* ſedem veteris Sagunti occupat. 8. *Andaluſia*. Urbs *Hiſpalis*, ſeu Sevilla. *Corduba*. *Gades*, ſeu portus Gaditanus, hodie *Cadix*. *Calpe* hodie Gibraltara in freto anguſto, quo Hiſpania ab Africa diſtinguitur, imminet: Proximo bello in poteſtatem Anglorum venit an. 1704. Fruſtra obſidione ab Hiſpanis tentata an. 1705. & 1710. & an. 1727. E regione oppoſita eſt in Africæ littore *Septa* ſive Zeuta Hiſpanici juris portus & civitas triginta & trium annorum perpetua obſidione impugnata a Mauris, & hoc demum anno 1727. valere juſſa. 9. *Arragonia*. Urbes *Cæſar auguſta*; *Oſca &c.* 10. *Legionis* regnum. Urbs *Salmantica* Athenæum nobiliſſimum.

2. Reliquæ ditiones in Europa ſunt. 1. *Navarræ* regnum, cujus dimidium trans alpes Pyrenæas Gallis obtemperat. 2. *Aſturiæ* Principatus, a quo nomen hauritur cuivis Hiſpaniarum regis Primogenito. Urbs *Ovetum*. 3. *Extremaduræ* Princip. Urbs *Emerita*; *Alcantara*. 4. *Cataloniæ* Princip. Urbs *Barcinona*, *&c.* 5. Inſulæ *Baleares*, ſeu *Majorca & Minorca*, quarum poſtrema cum *Portu Magonis* Anglorum jugum ſubiit an. 1708.

3. In Aſia Inſulæ *Philippinæ*, *Latronum*, *Salomonis*, aliæque quamplurimæ.

4. Inſulæ *Canariæ*, ſeu *Fortunatæ* medio fere inter Africam, Americam & Europam loco ſitæ.

5. In America. 1. *Peruvium* cum urbibus *Lima*; *Cuſco &c.* 2. *Terra Firma*, ſeu Nova Caſtilia. Urbs *Carthagena*; *Portus Pulcher*, ſeu Porto bello celeberrimum totius Americæ emporium. 3. *Nova Hiſpania* ſive Mexico. 4. *Nova Mexico*. 5. *Hiſpaniola*; ſeu San

Domingo. 6. *Cuba* Insula. 7. Terra *Magellanis*, quod Arcto vicina gelu rigeat, ab Hispanis iterum deserta. 8. *Paraguaria*. 9. *Florida*, quæ partim Gallis servit. 10. *California* omnium insularum vastissima.

* *Tantas orbis plagas cum possideant Reges Hispani, eorum nonnemo gloriatus est, veritate non invita:* Suo Imperio Solem nunquam occidere.

Q. VI. *Quæ fuit Hispanorum regum origo, quæque deinceps fata?*

℞. 1. Quomodo *Visigothicum* regnum inter Maurorum funesta arma surrexerit, ac denique ad Austriacos translatum sit, diximus in *Historia profana* L. 2. c. 3. §. 2. fol. 338.

2. Quo pacto his ereptum fuerit a Ducibus Andegavensibus an. 1701. in eadem *histor. prof. narratum est*. L. 2. c. 5. §. 1. *in Leopoldo Cæs.* &c. &c.

Q. VII. *Quæ sunt arcana Politica Hispanorum?*

℞. 1. Nunc quidem Reges e Gallico sanguine ad Hispaniæ sceptrum admoti attendunt, ne domus Austriaca nimiis viribus augeatur. Imo licet nuper an. 1725. arctum fœdus inter utrosque compositum fuerit, non est tamen difficile suspicari, data occasione Hispanos repetituros esse Neapolis, Siciliæque regna, Belgium, Mediolanum &c. Uti vicissim Austrii repetent totam Hispaniæ Monarchiam hereditario jure sibi debitam. Jamque voto suo potita Hispania utrumque in Italia regnum Carolo Principi comparavit anno 1735. At Austriacæ Domus extinctæ postulatis jam successit Lotharingica eidem nuptiis inserta: quæ haud dubie eadem assertum ibit, si qua fata sinant: quemadmodum Domus Austriaca Burgundicæ extinctæ succedens Burgundica postulata velut hereditate acceperat.

2. Cum Anglis perpetua intercedit simultas ob commercia, & expeditiones maritimas: cum Angli Maris dominium ambiant, id ipsum vero Hispani suum esse credant, Præsertim Minorica insula, & Gibraltara, Anglis

ar-

armorum necessitate permissæ, dolore haud levi afficiunt Hispanos.

3. Hollandis favere non possunt, qui non solum Hispanico nomini renunciarunt, sed adornatis maritimis itineribus Hispanicos mercatus pessumiverunt, multaque in exteris plagis eorum juri subduxerunt.

4. Olim Hispanorum Gallorumque perpetuæ fuerunt & velut nativæ discordiæ. Nunc etiam cum regem Gallum patiantur Hispani, Gallicos tamen mores nihilo segnius sunt exosi, nec facile firmam inter has gentes amicitiam sperasse licet.

5. Interest regni Hispanici summum Pontificem habere faventem, ob Italicas possessiones.



LIBER V.

Descriptio Lusitaniæ.

Q. I. *Dic originem Regni Lusitanorum.*

R. 1. An. 1112. *Alphonsus* primus regios Lusitaniæ honores sumsit, Hispanico se juri subtrahens.

2. Philippus II. Hispaniæ Rex Lusitaniam ditioni suæ denuo adjecit an. 1580. cæso ab Afris Sebastiano.

3. Mox iterum sub Philippo IV. Hisp. Rege Lusitani suummet sibi regem crearunt *Joannem Braganti-num* Ducem 1640. Cujus posteri, hodieque sceptrum rotant.

Q. II. *Ordine prome ditiones Lusitanicas?*


R. 1. In Europa Regnum *Lusitaniæ* seu Portugalliæ. Urbes *Ulyssipona*, *Bracara*; *Conimbrica &c.* Dein *Algarbiæ* regnum angulus est reliquæ Lusitaniæ.

2. In Asia multa Lusitanici juris sunt, etsi

multa rapuerint Batavi. Horum omnium caput est *Go* sedes Proregis.

3. *In Africa* non modica pars regnorum *Angola*, *Congi*, *Loangæ*, & *Zanguebariæ* Lusitanorum imperata facit.

4. *In America* vel prope illam 1. Insulæ *Salsæ* se Insulæ Promontorii viridis, vulgo *Cabo* verde. 2. Insul *Azores*. 3. Amœnissima Insularum *Madera*. 4. *Brasili* unde nomen imponitur Primogenitis regum Lusitania Metropolis est Urbs *Omnium Sanctorum*.



LIBER VI.

Descriptio Galliæ.

Q. I. *Quomodo affectum est Galliæ regnum*

℟. Auri, argentique fodinis pluribus destituta tell est; vino tamen cerereque satis felix. Populi aute felicissima.

Q. II. *Quibus gaudet moribus?*

℟. Ingenium felix ac promtum. Sed multis rebu una discendis plerumque non sufficiens, nec patiens tan tæ moræ, quanta opus foret. Ceterum animi mobile sunt, rebusque novis capiuntur. Suæ quoque gent admiratores.

Q. III. *Quæ Religio?*

℟. Olim a Calvino labem passa, feliciter restituta est Vid. *Histor. Ecclesiast. ubi de Calviniana hæresi mem nimus fol.* 212. &c.

Q. IV. *Quæ Insignia?*

℟. Scutum cæruleum, triaque lilia aurea. Olim to bufones erant.

Q. V

Q. V. *Recenſe Gallicas ditiones?*

℞. 1. In *Europa* Galliaque ipſa ſequentia ſunt. 1. *Nordmanniæ* Ducatus; de cujus origine vid. *Hiſt. prof.* L. 2. c. 1. §. 2. n. 1. Metropolis eſt *Rothomagus*, ſeu Rouën. 2. *Picardia.* Urbs *Ambianum*, ſeu Amiens. *Caletum* portus, vulgo *Calais.* 3. *Francia*, ſeu Isle de France. Metropolis *Lutetiæ* ſeu Pariſii; ceteræ ſunt *Bellovacum*; *Sueſſio &c.* 4. *Campania.* Urbs *Remi*; *Senones*; *Meldæ*, ſeu Meaux. 5. *Aurelianenſis* præfectura. Urbes *Aurelia*; *Nivernum*; *Biturix*; *Turones*; *Vindocinum*; *Andegavum*; *Pictavium*; *Rupella*; 6. *Lugdunenſis* Præfectura. Urbs *Lugdunum.* 7. *Delphinatus.* Urbs *Gratianopolis*: *Vienna &c.* 8. *Provincia.* Urbs *Aquæ Sextiæ*; *Arelatum*; *Maſſilia*; *Telo martius*, nunc Toulon. 9. *Occitania*, ſeu Languedoc. Urbs *Toloſatium*; *Narbo &c.* 10. *Aquitania*, ſeu Guienne, cum Provincia *Vaſconia*, & inferiore *Navarra.* Urbs *Burdegala*; *Lemovicum.* 11. *Britannia* minor. Urbs *Nannetum.* Reliquæ provinciæ Auſtriacis, & Imperio duobus abhinc ſeculis abreptæ ſunt, ac poſtliminio ad regnum Franciæ adjunctæ, veteris patrimonii jure. 1. *Burgundia* Ducatus; Urbs *Divionum.* 2. *Burgundiæ* Comitatus, vulgo Franche Comté: Urbs *Veſontio.* 3. *Alſatia* tota cum *Argentorato* novemque aliis Imperii urbibus, & munitiſſimo *Landavio* in Palatinatu Inferiore ſito. 4. In Lotharingia Epiſcopatus *Metenſis*, *Tullenſis & Verdunenſis*, cum ipſa *tota Lotharingia* an. 1736. occupata. 5. *Belgii* denique magna pars ſupra jam enarrata.

2. In *America Gallorum* ſunt Canada, ſeu nova Francia, & quædam alia, quæ inter famoſa eſt *Miſſiſipi* regio, quæ nuper aureo e montibus promiſſo Gallorum ſpes excitavit, ſed mox ſefellit ita, ut ad incitas pene digerentur.

3. In *Africa* pars Inſulæ *Madagaſcaræ* &c.

Q. VI.

Q. VI. *Quæ fuit origo, quæ series regum Gallorum?*

R. 1. De veterum Francorum rebus verba fecim *in Hist. prof. L. 2. c. 4. §. 1. Q. 1.*

2. Ceterum tres hactenus familiæ e Francico, id e Germanico genere Gallis imperarunt. I. *Merovingi* a Merovæo Pharamundi nepote dicta: ab anno 41 usque ad an. 751. II. *Carolina* a Carolo Magno Pipi filio nuncupata. Is enim Pipinus anno 751. Merovi gicis partim deficientibus, partim neglectis solium o cupavit, ejusque posteri tenuere usque ad annum 98 III. *Capetina*, dicta ab Hugone Capeto Parisiensi C mite, qui Carolino exspirante sanguine corona orn tus est an. 987. Hæc stirps in plures familias div hodieque imperat. Prima familia Capetinorum d fecit anno 1328. cum Philippo V. longo. Inde regn vit *Valesia* a Philippo VI. Valesio usque ad Henricu III. Valesiorum ultimum an. 1589. Denique *Borbon* obtinuerunt, ab Henrico IV. Navarræo an. 1593.

Ceterum superest adhuc alia linea, nempe Ducu *Aurelianensium*, quæ, Borbonia deficiente sceptri h res erit.

Deficiente vero etiam Aurelianensi adsunt lateral aliquæ familiæ stirpis Borbonicæ, quas vulgo dicun Prinzen vom Geblüt: Scil. Principes *Condæi* seu Co de: Principes de *Conti*. Comites *Suessionenses*, seu d Soissons.

Q. VII. *Quæ sunt Gallorum Prætensiones*

R. 1. *Imperiale Diadema* sibi deposcunt, quod illu a Pontifice Leone concessum fuerit Carolo M. reg Galliæ. Nec attendunt Carolum Germanum, & Ger manorum æque regem fuisse: ex quo licet statuere Germanis potius jus esse omnem Galliam sibi repetere nempe a tot seculis jam Germanici sanguinis regibu subditam. Sed hæc res altioris est indaginis, & peni tius inspicienti maximas offert difficultates.

2. Re

2. Repetunt *Cataloniam*, quam Alphonſus Arragonius eripuit an. 1131.

3. *Caſtiliæ* Regnum ob nuptias Ludovici IX. Sancti cum Blanca Alphonſi VIII. Caſtellæ regis filia, ſeculo 13.

4. *Neapolis, Siciliæ & Sardiniæ regna*; quod Carolus Andegavenſis feudi nomine eadem aliquando acceperit a S. Pontifice. *Vid. Hiſtor. Profan. L. 2. cap. 4. §. 2. N. 1.*

5. *Florentinum* Ducatum ob nuptias Catharinæ Mediceæ cum Henrico II. Gall. R. an. 1533. & alias.

6. *Genuenſis* Reſpublica, olim imperio ſubdita: poſtquam ſe ſubtraxit, tutelam Gallicam imploravit. Poſt vero ad Imperatorem potius & Hiſpanos, quamdiu illi Auſtriaci erant, reſpexit.

7. Denique prætendunt in *Mediolanum, Sabaudiam, Auſtraſiæ regnum*, omneque *Belgium*.

Q. VIII. *Prode mihi arcana Politica Galliæ?*

℞. 1. Religionem Catholicam ſuo in regno ſancte tuetur: ita tamen, ut ſibi plus libertatis & arbitrii permiſſum eſſe velit tum in officiis Eccleſiaſticis, tum in aliis ſacris conſtituendis. Aſſidue auditur *Libertas Eccleſiæ Gallicanæ*.

2. In Imperio Germanico ſtudet fovere Principum diſcordiam: ac ſæpe hactenus hæreticorum turbis favit, etſi nunquam eorum ſectam probarit, ſed in locis bello occupatis pro viribus eam eliminarit.

3. Domus Auſtriacæ potentiam æquo animo ferre nequit. Illi ut clavum figat, Batavos jugum excutientes juvit, & Helvetos, quos etiam tanquam perpetuos ſtipendiarios alit. Hoc fine tam ſollicite Coronam Polonicam ambit, ut utrinque Auſtriæ imminere poſſit. Plerique omnes Politici huic etiam cauſſæ adſcribunt, quod Gallia Turcis non admodum inimica ſit: ſed ego credere malim, id fieri eo quod

quod longe dissita occasionem belli discordiæque pri-
vatam non habeat.

4. Quæ olim bella Gallos inter, Anglosque flagra-
rint, paucis ostendimus in *Hist. Prof. L.* 2. *c.* 3. §.
N. VI. Idem accidit cum Hispanis præcipue propte
Italicas ditiones. Hinc cavet semper Gallia, ne v
Hispani, Anglique; vel Domus Austriaca atque Imp
rium cum Anglis aut Hispanis consentiant; hic en
consensus vicinorum discrimen afferre posset Galliæ
medio sitæ. Verum hæ rationes haud parum degen
rarunt postquam hinc Hispania Gallico sanguini par
hinc Austriaca stirps mascula defecit.

5. Denique animadversum est, nullum esse in Euro
publicum inter reliquos Principes negocium, cui n
admoveat manum Gallia: quamvis eam in hac arte in
tentur modo alii fere omnes.

6. Ad extremum notatur, quod Gallia, utut bel
sæpe inferior fuerit, cum tamen ad fœdera ventum e
semper partes tulerit meliores; tum ob reliquoru
paciscentium dissensum, tum ob alias quasdam artes;
quibus & hæc numeratur: quod Gallia non soleat p
cisci cum pluribus fœderatis junctim, sed modo hu
modo illum a fœdere communi seductum in priva
fœdera pelliciat. Intima vero hujus rei causa hæc e
quod alii aliis sint fœderati, qui singuli privatis iisq
sæpe pugnantibus rationibus ducantur. Gallia plerum
que sibimet tantum fœdere est juncta, seu sola ceter
obsistit, suasque unicas ac perpetuas rationes inconfus
tramite facile sequitur.

7. Studet accurate conservando regimini *Mo-
narchico*. Nulli Ducum suorum jus cudendæ mo-
netæ, nulli concedit possessionem locorum munito-
rum &c.

LIBER

LIBER VII.
Anglia, Scotia, Hibernia.

Q. I. *Quæ terræ indoles?*

℞. Miti cælo fruitur. Paſcuis abundat, equis, ovibusque mitiſſimæ lanæ; Stanno quoque laudatiſſimo, Cupro &c. Vino eget.

Q. II. *Qui mores?*

℞. Ingenia muſis omnibus apta, Callida, animi impatientes, &, ut videtur nonnullis, feroces. Lingua e Saxonica, Romana, Gallicaque mixta eſt.

Q. III. *Quæ Religio?*

℞. Olim Sanctiſſima, modo nulla eſſe poteſt, cum cuivis integrum ſit de ſacris pro libitu ſentiendi arbitrium. Vid. *Hiſt. Sacram.* L. 2. c. 7. §. 5. a fol. 203. Ceterum quidquid ſupereſt, quod ſpecie religionis agunt Angli, ad Politicam ſpectat. Duæ ſunt ſectæ hæreticæ, quibus duæ factiones politicæ inhærent.

1. Secta eſt *Presbyterianorum*, qui ritus in Eccleſia Catholicis pene ſimiles patiuntur: Ceterum Monarchico regimini adverſantur. Nuper & ipſi inter ſe ſciſſi, mutuisque odiis colliſi ſunt. His adhæret factio illorum, qui *Whigs* dicuntur, ſeu *molles*, queſi Germanice dicerem Weich.

2. Secta eſt *Independentium*, qui ritus omnes damnant: Monarchicum regimen probant; unde dicuntur die Hoff-Parthey. His conſentit factio eorum, qui *Torys* audiunt, ſeu *rigidi*; quaſi Latine diceres *Duri*.

Q. IV. *Quæ Inſignia?*

℞. Scutum rubrum, tresque Leopardi aurei.

Q. V. *Quæ ditiones?*

℞. 1. *Anglia* ipſa, cujus Metropolis eſt *Londinum* ampliſſima, ſplendidiſſima ac frequentiſſima, denum ditiſſima urbs. Inde *Cantuaria*; *Portus magnus*: *Portus novus*; *Oxonium*, *Eboracum*.

2. *Wal-*

2. *Walliæ* Ducatus in Anglia ſitus regis Primogenito nomen præbere ſolet.

3. *Scotia* regnum, cujus metropolis *Edenburgum.* Inſigne ſcutum aureum, Leo ruber duplici tænia rubra cinctus. Ad hanc pertinent Inſulæ *Orcades*, & *Hebrides.*

4. *Hibernia* regnum, alias tantum comitatus. Sed Henricus VIII. orto ſchiſmate regis ſibi nomen ſumſit in odium Pontificis. Metropolis *Dublinum.* Inſigne ſcutum rubrum, cum nablio aureo.

5, In *America* Anglorum ſunt *Nova Britannia* : *novum Belgium* : *nova Suecia* : *Terra nova* : *Virginia* : *Barbadoſa* : *Jamaica* Inſula quædam ex Antillis; & alia.

Q. VI. *Aveo ſcire originem Anglorum regum.*

℞. De his ſat narravimus tum in *Hiſt. Eccleſ. L.* 1. *c.* 3. §. 2. *N. VI.* tum in *Hiſt. Eccleſ. L.* 2. *c.* 7. §. 5. *de Schiſmate Angl.*

Q. VII. *Quæ prætenſiones Angliæ?*

℞. 1. Galliæ regnum ſibi exigit Anglia. *Vid. Hiſt. prof. loc. cit.*

2. Credi vult ſe maris Dominam eſſe.

Q. VIII. *Arcana Politica Angliæ quæ ſunt?*

℞. 1. Cum ipſimet Angli neſciant, ſitne regimen eorum *Monarchicum*, an *Reipublicæ* Ariſtocraticæ mixtæve formam gerat, utraque pars ſuæ ſtudet opinioni. Rex inter iſtas factiones medius ſat habet, quod capiti ſuo conſulat, de quo profecto periclitatur, ſi Parlamenti auctoritatem vel leviter violet. Eſt autem *Parlamentum* cætus Ordinum regni in duas diſtinctus claſſes. 1. *Domus Superior* continet Epiſcopos, Duces, Comites. 2. *Domus inferior* habet minorum gentium Nobiles, Cives, & Inſtitores. Quorum omnium ſententiis expedienda ſunt cuncta regni publica negocia.

2. Cavet Anglia, ne Gallus cum Hiſpano ſentiat, Hiſpaniſque ditionibus in America inſidiatur.

3. Batavos æmulatur ob commercia: præſertim ob

Hale-

Halecum capturam, quam Hollandi in oris Britannici maris exercent, cruentum bellum patrarunt an. 1652.

4. Danum ne offendant, cavent. Is enim transitum per Sundæ fretum negare posset, Anglicisque mercimoniis obicem ponere, quæ illi exercent in Sueciam, Moscoviam &c.

5. Pecuniarum suarum tam tenacem custodiam agunt, ut nulli liceat ultra 50. Thaleros æris præsentis regno efferre.

6. Præcipua Anglorum, ac præsertim modernorum regum cura est, ne Jacobus III. quem Prætendentem dicunt, e regno nunc exul, in patriam soliumque revertendi viam ullam reperiat.

LIBER VIII.

Dania, & Norvagia.

Q. I. *Quodnam soli ingenium est?*

℞. Frigidum: Sed venatu, pascuisque abundat.

Q. II. *Qui mores?*

℞. Ingenia certe magna sunt, si cultus adsit. Bellis, reique maritimæ adhuc hodie apti sunt Dani.

Q. III. *Quæ Religio?*

℞. Lutherana. In gratiam tamen regum Calviniana quoque locum habet.

Q. IV. *Quæ Insignia?*

℞. Tres Leopardi cærulæi in scuto aureo corculis consito.

Q. V. *Quæ ditiones?*

℞. 1. Chersonesus *Cimbrica*, *seu* Dania. *Juttlandia. Funia Zeelandia Insula*, Totius Daniæ metropolis est *Hafnia*, Coppenhagen. Inde *Rottschilda &c.*

Præcipuus portus ac munimentum est in Freto, quod Sund vocant, inter Scaniam Sueciæ insulam, & Zelandiam, ubi adeo anguste patet mare, ut majora navigia utrinque tormentis peti possint, ni in singulas triremes Rosatum (Rosenobl) pendant: moneta est aurea Angliæ, quinque fere Imperiales valens. Estque hic unicus in mare Balthicum accessus.

2. *Norvagia* aspera regio, magnetem tamen optimum, multumque ferri ac silvæ alens, metropolim habet *Bergam*. Insigne est scutum rubrum, Leo aureus armatus argentea clava (mit einer Streit-Axt.)

3. Multæ denique insulæ frigido axi subditæ. *Islandia. Montes acuti*; seu Spitzberg, de qua dubitatur, num ex aversa regione Americæ conjuncta sit. *Grænlandia*, an Americam contingat in comperto non est: *Glossariæ Insulæ* Scotiæ vicinæ, vulgo *Fero*.

4. Accedit in America *Dania nova*: & quædam in Africa & Asia.

Q. VI. *Regum Danorum initia persequere.*

℟. 1. Primi reges ignoti sunt. Populus tamen Cimbrorum finibus suis egressus jam olim Romanæ potentiæ insultare ausus est, Mario Consule. Quid dein Normanni gesserint compendio indicavimus in *Historia profana* L. 2. c. 4. §. 2. N. 1. & *in Histor. Eccles.* L. 2. f. 116.

2. Ante reges suffragiis petebantur: Verum an. 1523. electus est Fridericus I. Dux Holsato-Schlesvicensis, eidemque jus perpetuæ successionis concessum a regni proceribus. Idque confirmatum est an. 1660. adjectaque regi suprema potestas (*Souverainité*) in totum regnum; cum antea e procerum arbitrio res agerentur.

Q. VII. *Quæ Prætensiones?*

℟. 1. Sueciam deposcunt, utpote olim cum regno Daniæ connexam. 2. Hamburgum civitatem in Holsatia sitam suam esse volunt; quæ tamen nunc temporis leges ab Imperatore petit.

Q. VIII.

Q. VIII. *Quænam Maximæ Politicæ?*

℞. 1. Suecos vigili oculo observat, atque ut iis detrahat, cum exteris maxime Moscis, Polonis, aut Anglis fœdera jungit.

2. Cum nuper Holsato-Gottorfficas ditiones Danus occupaverit. An. 1712. quibus dudum ante inhiaverat, iis conservandis omne studium adhibet.

LIBER IX.
Sueciæ Regnum.

Q. I. *Quæ ditiones Sueciæ?*

℞. 1. *Suecia*, seu Sueonia. Metropolis regni totius est *Holmia*, vulgo Stockholm. Inde *Upsala*. 2. *Laponia*. 3. *Finnia*, cum urbe principe *Aboë*. 4. *Livonia*.

* *Ceterum bello contra Russos, Polonos, Borustos, ac Danos feliciter aliquamdiu gesto Carolus XII. Sueciæ rex, subita tamen clade ad Pultavam accepta, e regno exul Turcarum se fidei permittere coactus est an.* 1709. *Reversus anno* 1714. *sed infelici Marte usus ad Friderici Hallam, Norvagiæ urbem, ictu glandis interiit an.* 1718. *Nystadii deinde* 1721. *pace composita, relinqui debuit Borusso* Pomeraniæ anterioris *potissima pars: Russis tota* Livonia, Ingria, & pars Careliæ: *Dano* Schlesvicum cum Bremensi, Verdensique *Ducatu*.

Q. II. *Quæ origo, & quis ordo regum?*

℞. 1. Reges olim eligebantur. Sed Gustavo I. coronæ hæreditas concessa est in omnes posteros an. 1544.

 2. Qui-

2. Quibus malis Germaniam affecerit Guſtavus A dolphus evocatus ab hæreticis an. 1630. dictum e in *Hiſt. Eccleſ. L. 2. c. 7. §. 5. fol.* 197. Pace tanden Monaſterii juncta velut pro mercede rei ſtrenue geſt Suecis, ſub Chriſtina regina, relicta eſt Pomerania an terior, Bremenſis Archiepiſcopatus & Epiſcopatu Verdenſis, cum quinquies mille millibus florenorum & jure ſuffragii in Comitiis Imp. adeo, ut qui patri hoſtis tanto tempore fuerat, nunc etiam ſit civis.

3. An. 1680. Carolo XI. Poteſtas ſuprema (*Sou verainité*) ab Ordinibus conceſſa eſt. Verum Ulric Eleonora Caroli XII. ſuperſtes ſoror jus illud ſupre mum iterum depoſuit, ut Conjugi ſuo Frideric Haſſo-Caſſellano principi honores regios ab optim tibus imperraret. an. 1720.

* Ceterum Hæreſis Lutherana hic dominatur. In ſignia ſunt ſcutum cæruleum cum tribus coron aureis.

LIBER X.

Poloniæ Regnum.

Q. I. *Quæ ditiones Polonorum?*

℞. 1. *Polonia* uberrima regio totius regni metropo lim habet *Cracoviam:* Inde ſunt *Lublinum*, *Poſnania*, *Warſovia* regum ſedes; *Lembergum* in Ruſſia rubra; *Camenecum* in Podolia.

2. *Lithuania* Magnus Ducatus, Metropolis *Vilna*.

3. *Curlandia* Ducatus Polonis vectigalis.

4. *Boruſſia* Polonica. Urbes *Dantiſcum*, *Thorun* Acatholicorum nuper motibus famoſa.

5. *Li*

5. *Livoniæ* pars.
6. *Cosacci*, Populus bellicosus partim Polonis vectigalis, *Volhiniam* & *Ukraniam* incolunt.

Q. II. *Quinam Polonorum Reges?*

R. 1. De origine nihil adeo certi constat. Attamen a Carolo Magno tributarii facti sunt sub an. 810. Cujus tributi veniam, unaque regios honores impetrarunt ab Ottone III. Imp. an. 1000. Nunc sui juris facti Poloni sibimet reges eligunt.

2. Nuperis Suecorum motibus turbati Poloni spreto Augusto rege Saxoniæ Electore, alium elegerunt *Stanislaum*, Comitem de *Leczinski*, 1704. Verum Suecis pulsis revocatus est Augustus an. 1709. Stanislaus vero Regis Galliarum nunc socer est, ejusque favore nititur. Eum an. 1734. rursus electum esse regem, ac Lotharingiam utendam fruendam accepisse, supra diximus in Historia profana ad hunc annum.

Q. III. *Quisnam Status Politicus?*

R. 1. Polonia *Respublica* libera est. Regem quidem eligit, sed qui sine Senatus, aut Comitiorum arbitrio nihil habet, quod imperet.

2. Ad Comitia singulæ provinciæ mittunt quendam nobilem; eosque Legatos vocant Land-Botten. Quorum tanta est autoritas, ut si vel unus refragetur, totis Comitiis nihil actum sit. Idque ipsum jus tanti est Polonis, ut *Animam libertatis Poloniæ* vocent.

3. Inimicos habent potentes vicinos. Moschum, Suecum, præcipue Turcam & Tartaros. Ideoque opus est, ut Germani Imperatoris amicitiam sibi concilient.

4. Religio Orthodoxa est. Tot tamen motibus, in Borussia præcipue, nidulati sunt etiam Lutherani, qui *Dissidentes* ibi vocantur.

LIBER XI.
Moſcovia ſeu Ruſſia.

Q. I. *Quæ ditiones?*

℞. 1. *Moſcovia* Magnus Ducatus. Metropolis *Moſcua.* Inde *Novogardia*, *Archangelopolis.* 2. *Lapponia.* 3. *Caſanum* regnum. 4. *Bulgaria* regnum. 5. *Livonia* Suecis nuper erepta. Urbes *Riga:* & *Revalia.* 6. *Ingria*, Suecis ſubtracta. 7. *Careliæ* pars, ſpolium Suecicum. Hic nuper freto impoſita eſt Urbs *Petri Caſtrum*, Petersburg, ſedes Ducum ſeu Imperatorum an. 1703.

In Aſia occupat. 1. *Aſtracan* regnum mari Caſpio proximum. 2. *Samojedam* provinciam ad mare Glaciale. 3. *Siberiam* regnum a tergo Tartariæ magnæ. 4. Denique Tartarorum varius populus Moſcis eſt vectigalis: ut *Morduenſes* & *Czeremenſes* Mahometani. *Circaſſi* Græcæ religionis. *Nagatenſes*. *Wogulenſes* in Siberia, Ethnici.

Nuper Perſis in ſuum Principem arma ſumentibus occaſione uſus Czarius, *Derbendam*, *Pacu*, aliaque multa ſuæ ditioni adjecit. an. 1722. Denique tam vaſta eſt Ruſſiæ regis ditio, ut ad Japoniæ usque ac Sinenſe regnum pertineat: ſed longe minus cultæ terræ populique prohibent, ne tam amplo imperio abuti poſſint ad perniciem affinium.

Q. II. *Quos habuit, habetve Principes?*

℞. De incerta antiquitate non eſt, quod ſolliciti ſimus. *Joannes Baſilides* primus fuit, qui ſub an. 1480. Tartarorum, quibus vectigalis erat, jugo ſe ſubduxit. Ejus filius *Baſilius* ſibi nomen ſumſit *Czar*, quod idem ſonat ac Rex. Denique *Petrus Alexius* an. 1721. Imperatoris nomen ſibi adſcivit.

Q. III.

Q. III. *Quis Status Politicus?*

℞. 1. Populum alias barbarie laborantem erudire quæsivit nuperus iste Princeps *Petrus* Alexius, qui susceptis in Europam itineribus circumspexit, quos meliores mores imitaretur; eosque Imperio suo invexit.

2. Princeps Moschorum dicitur *Tzar*, seu *Czaar*, Ejus primogenitus dicitur *Czarovvizius*.

3. Insigne est Aquila biceps nigra: dextris unguibus sceptrum, sinistris pomum librat. Verticibus imminent tres coronæ. Pro pectore gestat scutum rubrum, in quo visitur eques argenteus hasta draconem petens.

4. Religio est Græcorum Schismati addicta.

LIBER XII.

Imperium Turcicum.

Q. I. *Quæ sunt ditiones Turcæ?*

℞. 1. In *Europa* sunt. 1. *Græcia*, quam vulgari verbo *Levante* dicunt hodie nautæ. Urbes sunt in Macedonia *Thessalonica*: in Livadia, seu Achaja *Naupactum*, seu Lepanto. In Peloponneso, seu Morea, quam nuper 1715. Venetis eripuerunt: *Nauplia*, seu Napoli di Romania &c. 2. Accedunt Insulæ *Creta*, seu Candia: *Eubœa*, seu Negroponte, cum ceteris Asiæ finitimis, *Lesbo*, *Chio*, *Rhodo*, *Samo*, *Cypro &c.* 3. *Valachiæ* princeps, quem Hospodarem dicunt, vectigalis est: Religio Græca: Urbs *Targovistum*. 4. *Moldavia* eadem sorte utitur. Urbs est *Soczova*. 5. *Servia* tota: nam partem cum Belgrado, quam a. 1717. obtinuerat Carolus VI. a. 1739. rursus amisit.

 6. *Bul-*

6. *Bulgaria*; Metropolis *Sophia*. 7. *Thracia*, hod. Romania. Urbes *Constantinopolis* totius Turciæ præcipua, Turcice *Stambol* dicta: *Adrianopolis* seu potius *Andrinopolis* Sultanorum frequens sedes. *Dardanelli* sunt quatuor Hellesponti litoribus imposita munimenta, *Abydus* in Asiatico littore, *Sestus* in Europæo; alia bina in extremo exitu ad Propontidem, ubi fretum arctissimum est, nec nisi dimidii milliarii. 8. Ponto Euxino imminent *Bessarabia*, & Tartari *Budziacenses*: hos excipit *Tartaria minor*, alias etiam Crimea & Precopensis, Turcis tributaria. Ejus Princeps (*Chanum* dicunt) Turcarum Imperatori sacramentum dicit, eumque ad bella proficiscentem cum 100000. equitum comitatur. Verum inter utrosque fœdus denique junctum est, quo deficientibus Ottomannis, Tartarorum Chamus Imperium obtineat, ac vice versa.

II. In *Asia* sunt. 1. *Asia minor*, seu Natolia. Urbes *Smyrna*; *Ephesus*; *Nicæa*, seu Isnich &c. 2. *Georgia* tributaria suosmet principes habet. 3. *Mingrelia*, olim Colchis, itidem vectigalis. 4. *Armenia*, seu Turcomania. 5. *Mesopotamia*, seu Diarbec: Urbs *Bagdadum*, quam vulgo Babylonem dicunt. 6. *Syria*, hod. Soria; Urbes *Antiochia*; *Damascus*; ipsaque sancta *Jerusalem*. 7. *Arabia* Turcis quidem tributaria, sed gens rapto vivere assueta dicto parum audiens est: pars etiam Persarum imperata facit. Urbes in Arabia felici *Medina* Mahumedis patria; *Mecca* impostoris sepulcrum; *Mocha* emporium.

III. In *Africa* sunt 1. *Ægyptus*: Metropolis *Cairum* e ruinis Mempheos; *Alexandria*; *Damiata* &c. 2. *Quæ deinceps enumerabo* Barbariæ *nomine vulgo veniunt*. Scilicet *Barca* regnum, olim Marmarica. 3. *Tripolis* regnum, nunc respublica sub tutela Turcica. Ducem suum vocat *Day*. 4. *Tunis* regnum nunc respublica Turcarum cliens. 5. *Algerium* regnum, nunc piratarum respublica, Turcicæ clientelæ.

Q. II.

Q. II. *Quænam Religio?*

℞. De Mahumetica ſuperſtitione verba fecimus in *Hiſtoria Eccleſ. L. 2. c. 3. §. 5.* Ceterum Antiſtitem ſuperſtitionis ſuæ vocant *Mufti*, qui omnibus ſummo in honore eſt.

Q. III. *Qui mores?*

℞. 1. Serviles & Tyrannidem haud ægre ferunt. Sed data ſorte occaſione in Principes ſuos ſumma licentia ſurunt.

2. Vino abſtinent. 3. Uxores ducunt tot, quot alendis quisque ſufficit. 4. Omni muſa ſevere interdictum eſt plebi. Artes potiſſimæ ſunt Phrygio opere texti tapetes, armaque affabre facta, & præſtantia.

Q. IV. *Quæ Inſignia?*

℞. Luna cornuta argentea in ſcuto viridi ſtellis conſito.

Q. V. *Quis Status Politicus?*

℞. 1. Aula Turcica, quam *Portam Ottomannicam* dicere mos eſt, ſecundum ab Imperatore ſeu Suldano habet *Magnum Viſirium*: cujus cum ingens ſit poteſtas, diſcrimen tamen nihilo levius eſt. Si quid enim minus e ſententia eidem ceſſerit, Sultanus miſſis literis cum incluſa ſerica chorda nunciat, ſibi gratioſiſſime placere, ut is hanc chordam lætus accipiat. Mox Viſirius literis Domini ſui de genu ſalutatis oſculoque exceptis, chordam collo applicat, eliſisque faucibus perit.

2. Reliqui majoris ſubſellii proceres ſunt varii *Viſirii*, quorum hi militiæ, illi Gazis, alii aliis præficiuntur.

3. Minores ſunt *Beglerbegii*, & *Baſſæ* majorum provinciarum præſides; ſub ſe habent *Sangiacos* minoribus regionibus præfectos.

4. His omnibus magnificentiæ ergo fas eſt incedere prægeſtis ſibi ex elata pertica caudis equinis. Sultanus ipſe caudis utitur ſeptem: Viſirus magnus Beglerbegii, & Baſſa Babylonicus tribus: Baſſæ alii duabus: Sangiaci & ceteri una.

5. Officia tam aulica, quam militaria non in Turcas indigenas conferuntur, ſed in Chriſtianorum captivorum pueros, quos ſuperſtitioni innutritos clavo admovent. Nunquam filius Patri ſuccedit vel in officio, vel in opibus.

6. Stipendiarium militem perpetuum alunt. Equites dicuntur *Spahis*: Pedites *Janizeri* Janitſcharn. Sagittis hodie rarius utuntur; ſed acinace promtiſſime. Ordo militiæ fere nullus, ſed confertis turmis, qua viſum fuerit, ingenti cum clamore irruunt, ſæpeque multo celerius viam relegunt, iterumque adoriuntur. Hodie libenter patiuntur architectos militares, qui ſeu a Batavis Angliſque, ſeu a Gallis ad ipſos defecerint.

* *Ex his facile diſces, minores eſſe Turcarum vires, quam vulgo opinemur. Nam* 1. *Provinciæ quidem amplæ ſunt, ſed incolarum frequentia, peritia, conſtanti fortitudine &c. Europa longe inferiores.* 2. *Potiſſima pars tantum tributaria eſt, conſtatque populis immorigeris, qui Turcarum Imperio ægre ſubſcribunt.* 3. *Nec mirum ſi audias a Turca exercitum cogi* 400000. *Nam id hodie fieri vix poteſt; & ſi fiat, non niſi e fæce prædonum, & paſtorum, quibus nec arma legitima ſunt, conſtat. Cum contra Europa, ſi junctis viribus rem agat, facile exercitum nutrire poſſit decies & amplius centenorum millium lectæ & exercitatæ pubis.* 4. *Adde Turcas re maritima nihil valere.*

Q. V. *Nunc pauca de Imperatorum Orientalium ſerie diſſere.*

℞. 1. Cum primum a Theodoſii Magni filiis diviſum eſt Imperium (Diviſionem vide in *Hiſt. Prof.* L. 2.

L. 2. *c.* 2. §. 1. *Q. III.*) *Honorius* Occidenti, *Arcadius* imperavit Orienti ab an. 395.

2. Ex ejus posteris *Justinianus I.* Juris Civilis Codicem edidit an. 529. Institutiones & Digesta an. 533 Quid per Belisarium adversum Vandalos Gottosque egerit, dictum est in *Hist. Prof. L.* 2. *c.* 3.

3. Reliqui ab his Imperatores iniqua ut plurimum fortuna excepti sunt, quia vitæ nihilo melioris erant, luxuque, tyrannide in subditos, & in Ecclesiam schismate vituperandi. Quid quod Christianos Germanos Francosque Palæstinam recuperaturos indignis modis habuerint, cum per eorum provincias iter faciendum erat?

4. An. 1205. Balduinus Flandriæ Comes a Græcis electus est Imperator, quem ex eadem gente secuti sunt Henricus, Petrus, Robertus, & Balduinus II. usque ad annum 1261. quo Imperium ad Græcos rediit.

5. Sed anno demum 1453. *Constantino XI. Paleologo* Græcorum Imperatorum postremo, Soldani Ottomannidæ Constantinopolim, & cum ea totum Orientis Imperium subegerunt. Ii fuere posteri *Ottomanni* cujusdam Turcici satrapæ, qui fine seculi XIII. Asiam minorem occupavit, fundamentumque Turcici Imperii jecit.

6. *Selimus I.* Ægyptum, Syriamque sub jugum misit an. 1517.

7. *Solymannus II.* maximi inter omnes Turcas nominis *Rhodum* occupavit an. 1522. *Hungariam* a. 1526. *Viennæ* exercitum primus admovit an. 1529.

8. *Selimus II. Cyprum* eripuit Venetis an. 1571.

9. *Achmet I.* pace cum Cæsare juncta an. 1606. obtinuit, ut utrinque *Imperatoris*, & *Fratris* nomine sese compellarent Romanorum Augustus & Suldanus.

10. *Mahometes IV. Candiam* seu Cretam subtraxit Venetis an. 1669. exceptis tribus urbibus. An. 1661. alte-

alterum bellum Turcicum cum Hungaris cæpit, confectum an. 1664. Sed mox violato fœdere anno 1683. Viennam obſidione preſſit. Sed adverſo Marte: nam tractum eſt bellum a ſequentibus duobus Sultanis *Solimanno III.* & *Achmete II.* Tertius vero *Muſtapha II.* *Carlovicenſi pace* totam Hungariam, & Tranſylvaniæ tutelam Leopoldo Auguſto permittere coactus eſt an. 1699.

11. *Achmetes III.* ejus frater & ſucceſſor nondum finito induciarum tempore (25. anni pacti ſunt) armis adortus Venetos, qui eidem paci ſubſcripſerant, *Peloponneſum*, & quod reliquum erat *Candiæ*, iis eripuit, an. 1715. a Cæſare vero Carolo VI. Auguſto, EUGENII maxime Sabaudi Principis virtute, duplici ingenti clade protritus *Temesvarienſem* comitatum, *Valachiæ* partem, *Albam græcam* cum *Servia* deſerere coactus eſt: induciis in annos 25. compoſitis *Paſſarovici* in Servia an. 1718. 21. Julii. Quæ omnia Mahomet V. Mahometi IV. filius anno 1739. pace Bellogradenſi recuperavit.

LIBER XIII.
Aſiæ reliqua regna.

CAPUT I.
Perſia.

Perſia. Uberrima regio, Incolæ delicati, ſed ad ſcientias, ſi iis vacarent, facti. Mahumedis impoſturas ſequuntur, ita tamen ut a Turcis differre in omnibus ritibus data opera ſtudeant, & in eos ſummo ferantur odio.

Re-

Regem suum seu Imperatorem *Sophi* vocant. Nuper factionibus scissum Imperium pene in potestatem Moschorum & Turcarum venit. Illi certe Derbentam cum finitimis, hi Taurinam provinciam, aliaque sui juris fecerant. Et Turcæ etiamnum his oris insidiantur.

Ispahan caput urbium, ac Sophorum regia est.

Ormus insula, regnum & urbs in sinu Persico, olim Lusitanici juris. At Persæ Anglorum usi opera ejecerunt Lusitanos an. 1622.

CAPUT II.

Tartaria. Quæ de Tartaris certa sunt, exposuimus in Imperio Moschorum & Turcarum. Ceterum Tartaria *Magna*, *Deserta* & *Chinensis* facile e mappis videri possunt.

CAPUT III.

China, seu *Sina*. Imperium amplum, Gens delicatissima, sed & acutissimæ mentis, Mathematicarum disciplinarum studiosa; gaudet antiquitate. Et quidquid Europæi inventionis laudant, gloriantur Sinenses sibi dudum fuisse perspectum atque usitatum, nempe Typographiam, Tormenta ex ære bellica &c. Imperatori adsunt infiniti Proceres, quos Mandarinos vocant. Ceterum Pars Idolis servit, quorum Sacrificuli *Bonzii* dicuntur: Pars Manichæorum fere hæresi similia credit de bono ac malo spiritu. Pars denique Naturam tantum Dominam agnoscit. Nuper Imperatorio Decreto Christiana Sacra populo permissa fuerant: Sed cum una *Confucio*, suo olim legislatori, honores deferre vellent Christianæ legi repugnantes, Pontifexque Romanus eos interdictum iret, acti in furorem Sinenses jugum Christi

ex-

excuſſerunt, quos ſperamus adhuc Divino nutui aliquando manus daturos. * *Inſigne eſt Draco.*

Urbes *Kanton*, ſeu *Quanchu*. *Junan*. *Nanquing*. Sed omnium princeps *Peckinga*.

CAPUT IV.

Japoniæ Inſulæ Imperium. Mores gentis quodcunque vitæ genus elegerint, pertinaces in eo ſervando. Omnia Sinenſibus agunt adverſa: cum illi nigro delectantur, hi albo; illos deliciæ juvant, hos atrocia ſuſtinere delectat. Orthodoxa fides olim his oris illata, non multo poſt, hæreticis ex Europa machinas admoventibus, dirum in modum eſt protrita, ut nunc denuo idolomania obtineat. Urbium præcipua eſt *Jedo*.

CAPUT V.

INDIA Orientalis.

In plura regna ſecernitur.

1. Mogolis Imperium, hinc Perſis, inde Sinenſibus finitimum, Metropolis *Agra*. Subditum illi monarchæ inter alia eſt regnum *Bengala*. Item *Guzura*, ſive *Cambaya*: in qua urbs *Diu* Luſitanorum eſt.

2. Decan regnum, ubi *Goa* Luſitanorum.

3. Malabaria in multa regna diviſa, e quibus eſt *Calecutum*, & *Cochinum*. Dani, ac Batavi partem Malabariæ ſubegerunt.

4. Coromandela ſuo paret regi, ubi Galli, Angli, Dani mercimoniorum cauſa ſedes firmas habent Pondiſcherium, Madras, Trankebariam.

5. Aracam. Tunking. Siam. Pegu. Cambodia. regna itidem ſunt.

6. Ma-

6. Malacca magnam partem Batavis nunc paret antea Lusitanis.

7. Insulas *Philippinas* & *Marianas* diximus Hispanicæ esse ditionis.

8. *Moluccæ* Batavis tributariæ.

9. *Ceylon* partim nunc Batavorum est, detracta Lusitanis.

10. *Sumatra* suos habet principes. Item *Borneo*, *Celebes*, *Java* &c.

11. Nuperrime inventæ sunt *Nova Guinea*; *Terra Papous*, *Nova Britannia*; *Nova Hollandia*, *Carpentaria*.

LIBER XIV.

AFRICA.

* *Turcarum in Africa res paulo ante sunt in medium allatæ. Reliqua sunt.*

1. Nubia regnum Abyssinis tributarium.

2. Abissina Imperium, olim nullis urbibus habitatum, sed tentoriis tantum, Gens est Christiana. Cujus Imperatorem plerique Geographorum dicere consueverunt *Joannem Presbyterum*: Urbes sunt *Ambianum*. *Ambiancativa*. *Zeta*. *Amara* &c.

3. Monomotapa Imperium Ditissimum, sed Ethnicum.

4. Caffaria, in extimo Africæ angulo utroque litore extensa, Promontorium bonæ spei *Cabo de de bona speranza* cum adjacentibus lautissime excoluerunt Batavi, pulsis in interiora Barbaris.

5. *Zanguabaria*; *Madagascare*; *Congo*; *Angola* &c. supra dictum in Lusitanis.

6. Guinea. His litoribus munimenta ac colonias imposuere Angli, Batavi, Dani, Borussi.

7. Ni-

7. *Nigritania*, ampliſſimus terrarum tractus in Barbaros partim Gentiles, partim Mahumedanos diviſus. In mare Atlanticum inter Oſtia Nili nigri porrigitur Promontorium viride, *Cabo verde*.

8. Zaara, vel Saara Deſertum ingens ferarum ſtabulum, & Barbarorum etiam, feris nihilo mitiorum.

9. Biledulgeridia longiſſimus terrarum tractus Mahumedanis plerumque ac Judæis incolis obſeſſus, Tunetanorum, Tripolitanorum, & Algerienſium tributariis.

10. Marocchium, *Marocco* regnum, Mahumeticæ ſuperſtitionis; ſatis potens. Rex amicitiam ambit Anglorum.

11. Feſſa, *Fez*. Uberrimum regnum. Utrumque hoc occupavit Tyrannus *Tafiletanus* e Biledulgeridi Africæ Imperatorem ſe dictitans.

LIBER XV.

AMERICA.

1. Hæc quo pacto ſit inventa, dictum eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica L. 2. c. 7. §. 2. fol. 168.

2. Quæ vero ad Europæorum jura pertinent, ſuis locis in hac Geographia obiter indicavimus.


3. Ceterum duabus conſtat ingentibus peninſulis, quarum altera ad Auſtrum tendens, dicitur *America Meridionalis*, altera ad Boream *America Septentrionalis*. Utraque Iſthmo Panamenſi conjungitur fere in medio, inter æquatorem & tropicum cancri.

4. Situs

4. Sitne America ad Boream continua cum Europæis regionibus Grönlandia, Spizberga &c. adhuc incompertum eſt.

5. Cetera hujus terrarum dimidii leges e mappis Geographicis.

* Alias autem cognita Carthaginenſibus fuiſſe dicitur. Hi enim multorum dierum navigatione inſulam repererunt omnibus rebus prædivitem. At non diu tulit has navigationes Senatus Carthaginenſis; veritus ne, illa nova terra in divitias ac potentiam creſcente, deficeret ipſa Carthago. Sic ex Ariſtotele Lipſius, Phyſiolog. Stoic. Lib. 2. Diſſert. 19.





INDICULUS ACADEMIARUM CELEBRIORUM.

Italiæ.

Bononienſis fundata Anno 432. inſtaurata anno 795.
Florentina a Coſmo Med. 1434.
Neapolitana a Frid II. Imp. 1227.
Ticinenſis ſeu Papienſis a Carolo M. 794.
Patavina a Frid. II. Imp. 1222.
Romana incerti temporis antiqua.

Germaniæ.

Altorffenſis a Ferd. II. Imp. 1575.
Argentoratenſis 1538.
Baſileenſis 1460.
Colonienſis 1358.
Dillingana ab Ottone Thruchſeſſio Card. Epiſc. Auguſtæ. 1549.
Erfordienſis 1392.
Erlangenſis per Carolum VII. Imp. 1743.
Francofordenſis ad Viadram a Joachimo Electore Brandenburg. 1506.
Friburgenſis Brisgoviæ ab Alberto Duce Auſt. 1463.
Fuldenſis 1734.
Göttingenſis 1734.
Græcienſis Styriæ. 1585.

Heidel-

Heidelbergensis a Ruperto II. El. Pal. 1340.
Jenensis a Joan. Frider. El. Sax. 1548.
Ingolstadiensis a Georgio D. Bav. 1410.
Lipsiensis a Frid. I. Elect. Sax. 1409.
Lovaniensis 1426.
Lugdunensis Batavorum 1575.
Moguntina 1482.
Oenipontana Tirol. 1677.
Pragensis a Carolo IV. Imp. 1358.
Salisburgensis a Paride Lodronio Archiep. in Universitatis formam erecta an. 1620.
Tubingana ab Eberhardo Comite Wirtenberg. 1477.
Viennensis Austr. a Friderico II. Imp. 1237.
Vitebergensis a Frider. III. Elect. Sax. 1503.
Wratislaviensis Silesiæ. 1702.

Galliæ.

Avenionensis 1300.
Burdegalensis antiquissima schola tempore S. Hieronymi, restituta ab Eugenio VI. PP. 1441.
Parisiensis a Carolo M. Imp. fundata 790. Ejus præcipuum Collegium est *Sorbona* a Canonico Parisiensi Roberto Sorbon fundatum circa an. 1250.
Tolosana fundat. 800. instaur. 1233.

Hispaniæ.

Complutensis, vulgo Alcala a Franc. Ximenes Card. 1517.
Salmanticensis ab Alphonso IX. 1234.
Toletana perantiqua 500. Instaurata anno 1518.

Lusitaniæ.

Conimbricensis a Joanne III. sub an. 1540.
Ulissiponensis 1290.

Poloniæ.

Cracovienſis	1364.
Vilnenſis	1579.
Regiomontana in Boruſſia.	1544.

Angliæ.

Cantabrigenſis	1280.
Oxonienſis	895.

Hiberniæ.

Dublinenſis	1320.

Daniæ.

Hafnienſis	1539.

Sueciæ.

Aboënſis	1640.
Upſalenſis	1540.
Lundinenſis, Carolina.	1668.



Morum, Rituumque, ac Rerum Veterum Miſcellanea.

* *Agimus hic de Sex potiſſimum.* 1. De artibus, *in ſupplementum hiſtoriæ literariæ ac technicæ.* 2. De Militia. 3. De Ritibus ſacris, *aut* Religioſis. 4. De Civilibus *ſeu* Politicis. 5. De Privatis ac Familiaribus. 6. Denique de Variis.

LIBER I.
De Artibus.

CAPUT I.
De Libris, Scriptura, & Linguis.

§. I. De literis.

Q. I. *Quis invenit literas?*

℞. 1. Adami nepotes, filii Seth duabus columnis inſcripſere diſciplinas varias ſeu ab Avo ſibi traditas, ſeu a ſe inventas. Altera autem columnarum e marmore erat, altera e lateritio lapide: audierant enim ex avo, mortalium genus duplici impoſterum clade deletum iri, ſemel undis, ſemel igne. Voluere itaque, ut irruente clade ſaltem alterutra columnarum ſuperſtes eſſet, cum lateritia poſſet manere illæſa ab igne, marmorea vero ab aqua. Hanc marmoream ſuo adhuc ævo in Syria viſam eſſe teſtis eſt Joſephus Flavius L. 1. antiquitatum Judaicarum. c. 4.

2. Inde Hebræas literas Moses invenit, aut jam antea Abraham. Denique eas novas réstituit Esdras. Vid. *Historiam Sacr.* L. 1. c. 11. Q. 2.

3. Ab Hebræis literæ manarunt ad Assyrios, Ægyptios, Phœnicesque. Ex his *Cadmus* in Græciam eas attulit, eadem pene figura, qua nunc visuntur Græcæ literæ majusculæ.

At Ægyptii literarum loco utebantur figuris animalium, aliarumque rerum, quarum considerata natura scripturam illam divinare magis quam legere oportebat, e. g. Sedulum significabat *apis*, raptorem *accipiter*. Idque scribendi genus hodieque *Hieroglyphicum* dicitur.

4. *Pelasgorum* Græca gens eas transtulit in Latium: aut certe *Arcades*, qui post Pelasgos in Italiam appulsi sunt cum Evandro. Litteræque Latinæ priscæ similes plane erant Græcis, præter eas, quas ipsi ex suo ingenio addidere, nempe F. Q. H.

Q. II. *At suntne eodem modo olim ac nunc pronunciatæ hæ literæ?*

℟. Minime. Ego pauca narrabo; tu si plura voles, Lipsium adibis.

1. Diphtongus Æ efferebatur fere ut *ai*, atque his enim literis scribebatur: *Musai*. Fere ut hodie Galli dicunt *Paix*, *Jamais*.

Imo Claudius Imp. exolescentem illum morem lege reducere voluit.

2. Literam consonam V. velut W. Germanorum pronunciabant.

3. C. olim pronunciatum ut K. etiam ante e. & i.

4. Litera T. ante i & aliam vocalem non prolata ut hodie ci.

§. II. De Scriptura.

Q. I. *Quomodo, aut qua figura scriptæ hæ literæ?*

℟. Ni-

℞. Nihil fere tantas vices subiit, quam literarum figura, ego paucula tantum notabo in literis latinis.

1. Vocales quas productius efferebant, scribebant etiam duplices, vel superimposuere transversam virgulam, ut *leegimus*, vel *lēgimus Musaa* (casu sexto) vel *Musā*.

2. Pro A sæpe scriptum Λ. Pro S. scriptum C. præsertim Græcis.

3. Accentus seu virgulæ olim nec Græcis fuere, nec Latinis. Præsertim Latini nullas adhibuerunt ad distinguendum adverbia a reliquis vocibus, uti quidem hodiernus mos fert.

4. Denique ecce tibi farraginem quandam vocum, quarum tam scriptura, quam pronunciatio prisca a nostro hodie usu abhorret. Plura reperies apud veteres, Terentium, Plautum &c.

Mehe	id est - - -	*Me.*
Mihi	- - -	*Mii*, *vel Mi.*
Vehemens	- - -	*Vemens.*
Voster, *Vortat*	- - -	*Vester*, *Vertat.*
Poplicus	- - -	*Publicus.*
Quase, *Quasei*	- - -	*Quasi.*
Sibe	- - -	*Sibi.*
Mereto, *Ornavet*	- - -	*Merito*, *Ornavit.*
Regeina, *Veita.*	- - -	*Regina*, *Vita.*
Omneis, *Maneis*	- - -	*Omnes*, *Manes.*
Joucundus	- - -	*Jucundus.*
Jousit	- - -	*Jussit.*
Souom mareitom	- - -	*Suum maritum.*
Navebos	- - -	*Navibus.*
Molta	- - -	*Multa.*
Adulescens	- - -	*Adolescens.*
Inclutus	- - -	*Inclytus.*
Lacrumæ	- - -	*Lacrimæ.*
Maxumus, *Optumus*	- - -	*Maximus*, *Optimus.*
Probincia	- - -	*Provincia.*
ꟷelena	- - -	*Helena.*

DIꟷAI - - -	*Divæ.*
Parkæ, Kæſo. - - -	*Parcæ, Cæſo.*
Pucna - - -	*Pugna.*
Vicxit, Conjuxs - - -	*Vixit, Conjux*
Opſes - - -	*Obſes.*
Pleps - - -	*Plebs.*
Quum, Quur - - -	*Cum, Cur.*
Pos, Fros - - -	*Pons, Frons.*
Quips - - -	*Quis.*
Poſtidea - - -	*Poſtea.*
Porpora - - -	*Purpura.*
Servos - - -	*Servus.*
Indoponito - - -	*Imponito.*

Ut taceam, quæ barbara illa ætate ſub ſeculum 6. &c irrepſerunt. *Contempnere. Sumptus.* aliaque; quæ tame exemplum nonnunquam a priſco etiam ævo habent.

Q. II. *Quæ erat materia, cui literas ſua inſcripſere?*

℞. 1. *Membrana* ſeu corium membris ovium, vitu lorumve detractum & ſiccatum. *Pergamena* Chart dicta ideo, quod vulgo diceretur eſſe inventa *Pergam* Aſiæ Græcæ urbe.

2. Cortex interior ſeu tunica arborum ſubtilior fe eodem ritu confecta, quo papyrus, de qua mox. Corte ille latine *Liber* dicitur; & ſolebat literis oppletus *con volvi.* Hinc doctorum ſcripta deinceps dicti ſunt *Libri* aut *Volumina.*

3. Papyrus frutex eſt ad Nili præcipue litora crebro ſuccreſcens. Ejus folia in modum viminis longa exten debantur, multa juxta ſeſe diſpoſita. His in transverſum impoſita obductaque ſunt alia ejuſdem fruticis folia, quæ glutine quodam oblita, ac ita demum lævigata ſunt ad uſum ſcribendi. Idque obtinuit fere usque ad ſeculum Chriſti duodecimum.

4. Tabulæ ligneæ candidæ, cera nigra tenuiter ob-ductæ. His literæ imprimebantur Stilo ferreo. Cumque

mu-

mutandum forte aliquid esset aut delendum, stilus (is ex altera parte latus erat) vertebatur ac cera diducta delebantur literæ. Hinc adhuc hodie erroris correctio dicitur *Litura:* corrigere scripturam dicitur *Vertere stilum.*

5. Inscriptum denique *Palimpsesto* deletili. Item tabellis *Eboreis*, quas Pugillares dicere solebant. Item in *plumbeis laminis.*

6. *Charta* nostra, qua nunc utimur, e linteis centonibus coagulata ante annum Christi 1100. nullo in usu fuit. Fuit quidem olim Chartæ genus e linteis, non tamen tritis atque in pollen redactis, sed tantum integris, & glutine quodam firmatis. Eam dicunt *Carthagine* inventam ex illa nomen tulisse. Denique Palmarum, aliarumque arborum *foliis* inscribebatur. Hinc paginæ librorum *Folia* hodiedum dictitantur.

Q. III. *Quibus instrumentis scriptum?*

℞. 1. Stylo in ceratis tabulis. 2. Atramento in papyro, Charta, membrana, libris &c. 3. Principum epistolæ Rubrica scribebantur, id est Minio, Cinnabari, sanguine Purpuræ: aliquando etiam auro.

Q. IV. *Quo ordine ac modo scriptum?*

℞. 1. Lineas Hebræi quidem a dextra ad sinistram duxerunt, hodieque ducunt. 2. Sed Græci & Latini vulgo a sinistra ad dexteram. Pauca quædam inveniuntur, quæ primam lineam ad dextram protendunt, ac mox pergunt, alteramque lineam ducunt ad sinistram, tertiam iterum ad dexteram &c. Nonnulli consueverunt a summitate chartæ deorsum scribere, iterumque sursum &c. 3. Olim tantum scribebant in una pagina continua tam ampla, ut totam materiam, quæ scribenda erat, facile caperet. Sed Julius Cæsar primus dicitur librum in plura folia distinxisse. 4. Olim etiam tantum adversa pagina

 scribe-

ſcribebatur, non item averſa. Id ipſum dicitur eme
daſſe Cæſar. 5. Denique Epiſtolas olim tabellis ſigne
inſcribebant, unde earum bajulis nomen manet *Tab*
lariorum. Sic ſcriptas ligabant *lino*, ſeu filo multiplic
bus ſpiris circumducto, totamque epiſtolam tegent
quare obligare epiſtolam adhuc hodie dicimus, etſi n
non ligemus, ſed tantum plicemus cartham. Lino i
cum *cera* aut creta impreſſum eſt annuli ſignum, qu
ſeu propriam ſcribentis imaginem, ſeu alicujus e Ma
ribus reddebat.

§. III. De Linguis.

Q. I. *Quænam fuit prima lingua?*

℞. Id quidem certa nulla ratione conſtat: Vero t
men ſimillimum arbitror Hebræam fuiſſe. Vid. Hiſto
Sacra L. 1. c. 3. Q. V. Ubi diximus de ortu multipl
cium linguarum.

Q. II. *Quæ gentes Græcam linguam colu re, & quomodo ea eſt propagata?*

℞. 1. Præter Græcos ipſos, ſcilicet Peloponneſio
Macedonas, Theſſalos &c. inſulasque ſubjectas, ſuſce
illam *Græcia Magna*, id eſt Sicilia, cum maxima Itali
oræ parte, quæ nempe a coloniis e Græcia huc profe
tenebatur. Dein *Græcia Aſiatica*, id eſt Æoles, Jone
& Dorii, quæ Græcæ itidem coloniæ erant.

℞. 2. Romani ſubjugata Græcia, eorum linguam fr
quenti in uſu habuerunt. Atque, uti nunc literati no
ſtri callent Latinam, ſic literati Romanorum callebar
Græcam.

Q. III. *Quid de Latina narras?*

℞. 1. Olim Latina gens cum lingua ſua anguſtiſſimo
Italiæ angulo delituit, nempe modico & paucorum
milliarium agro a Roma verſus Campaniam.

2. Paulatim vero cum armis etiam linguam protule-
runt,

runt, eamque cum jugo suo multis populis imposuerunt. Ad gentes enim domitas suas misere colonias, qui linguam una detulere. Dein Præsides suos ac Judices provinciarum vetuerunt Jus dicere, testes audire &c. nisi Latio sermone: atque hinc necessitatem imposuere populis Latinam discendi, ut notat S. Augustin. L. 19. de Civitate Dei c. 7. Quin omnia egere, ut subjecti populi suammet vernaculam dedifcerent, & contra Latina uterentur: eo sane consilio, ut Romano Imperio fierent conjunctiores, nec consilia clam Romanis miscere possent. Hinc Africa, Hispania, Gallia, ipsaque Britannia latine loquebantur.

3. Sed Francorum, Gotthorum, Langobardorumque irruptionibus corrupta est Latina, natæque sunt Barbaræ istæ, nempe hodierna, *Italica*, *Gallica*, atque *Hispanica*, quæ postrema multum etiam hausit ex Arabibus seu Mauris, qui post Gotthos Hispaniam oppresserunt.

Q. IV. *Quid de Germanico idiomate factum?*

℞. 1. Germanicam seu Celticam linguam usi sunt olim omnes populi a Pannoniis ad Hispanos usque inter mare Germanicum & Adriaticum siti, ipsique adeo Galli.

2. Illi populi, qui hodie Germanorum nomine gloriantur, Latinum idioma nunquam susceperunt, etiam qua parte illorum jugum subire coacti sunt.

3. Caroli Magni ævo in Gallia usualis lingua fuit ista, quam hodie Galli loquuntur: quæ tunc *Romana* dicebatur, & *Rustica*, eo quod vulgus tantum illa uteretur: Nobiles enim & honestior civium pars *Theotiscam* id est Germanicam servabat. Vid. Lips. Centur. 3. ad Belgas. Ep. 44.

4. Britanniæ Germanam linguam intulerunt Angli & Saxones. His postea supervenerunt Nordmanni e Gallia. Unde hodierni Britanni loquuntur linguam, quæ

quæ partim e Latina, Germanica, & Gallica conf
est. Nam veteris Britannicæ linguæ parum aut n
remansit.

Q. V. *Quæ tandem hodie idiomata obtin*
in orbe notiora?

℞. Duplicis ea sunt generis: *Orientalia*, & *Europ*
seu Occidentalia.

Orientalium radix ac fons est *Hebraica* ling
quam quidem hodie nulla terra loquitur, sed Ju
sparsi, & docti alii. Ab hac profectæ sunt *Syriac*
Arabica, quam loquuntur plerique Turcæ ac Ma
metani etiam in Africa. Altera Orientalium prima
est *Græca*, Græcis adhucdum usitata.

Europæarum tres sunt fontes. 1. *Latina*, quæ q
dem nulli genti hoc ævo propria est, sed commu
gentium vinculum. Ex hac natæ sunt *Itala*, *Hispa*
Gallica, & partim *Britanna*. 2. *Germanica*, ex
prodierunt *Belgica*, *Danica*, *Suecica*, & par
Gallica, *Anglicaque*. 3. *Sclavonica*, quæ pep
Polonicam, *Boëmicam*, & partim *Moscoviticam*.

CAPUT II.

De Philosophia.

Socrates omnium fere deinceps Philosophor
Græcorum parens extitit. Ab hoc enim origin
trahunt *Cynici*, *Academici*, *Peripatetici*, *Stoici* &c.

I. Academica.

1. Academicorum dogmatum caput hoc fuit: nih
certo verum esse, sed quædam tantum probabili
Itaque de omni re hærentes disputabant in partem
utramque.

2. Huic rei ansam aut potius initium fecit Socrates
cui solemne erat dicere, se *nihil scire*.

3. Postea

3. Poſtea, ut eſt humanum ingenium nunquam diu ſibi conſtans, in multas opiniones abierunt Academici Philoſophi. Ac profectò *quinque* eorum ſectæ numerantur: id videre licet in hac eorum velut Genealogia.

Socrates *Academiæ veteris Dux.*
|
Plato.
|
Speuſippus Athen.
|
Xenocrates Chalcedon.
|
Polemo Athen.
|
Crantor Solenſ.
|
Arceſilas Pitanæus *Academiæ ſecundæ ſeu mediæ autor.*
|
Evander.
|
Hegeſinus Pergamen.
|
Carneades Cyrenæus, *Academiæ tertiæ ſeu novæ Princeps.*
|
Clitomachus Carthagin.
|
Philo. *Acad. quartæ autor.*
|
Antiochus. Autor quintæ Acad.

II. Peripatetica.

1. Hujus autor eſt *Ariſtoteles*, Platonis diſcipulus, de quo in *Hiſtoria profan. L.* 1. *fol.* 256. dictum. Eamque multum auxit *Theophraſtus* ejus auditor.

2. Peri-

2. Peripatetica dicta est a Græco verbo περιπατέ id est ambulo: solebat enim Aristoteles docere a bulando. Inde locus scholæ Aristotelicæ *Peripatus* ci consuevit.

III. Cynica.

1. Autor est *Antisthenes* Atheniensis Discipulus S cratis; cui successit *Diogenes* Sinopensis Cynicu *Crates Thebanus &c.*

2. Cynici dicti sunt seu *Canini* ob impudentiam, qu more canum quævis etiam fœda palam agerent.

IV. Stoica.

1. Autorem habuit *Zenonem* Cittiæum Cratetis C nici discipulum. Inter ejus successores clari fu *Chrysippus*; *Panætius*; *Posidonius*; *Seneca*; *Epi tus &c.*

2. Stoici dicti sunt a *stando*; Solebat enim Zeno d cere *stans* sub quadam *Porticu*, quæ propterea d est *Stoa*.

3. Præcipuum dogma fuit, animum ita compon dum esse, ut nulla re moveatur, nullo agatur aff amoris, gaudii, tristitiæ, metus &c. Sed sapien debere esse immobilem & impatibilem, quæ impatib tas Græce *Apathia* audit. Unde homines tardos, d ros atque immobiles moris est vocare Stoicos. Insu voluere nullam esse creaturis libertatem, sed *fato cessario* cuncta stringi, ac fieri.

V. Eleatica & Atomistica.

1. A *Xenophane* Colophonio instituta, qui luna habitari docuit.

2. Ejus successorum ordine tertius *Leucipus* Eleat cæpit aliquid comminisci de *Atomis*: Id ipsum celebr

reddidit *Democritus* Abderites, Leucippi discipulus, & septimus ab illo *Epicurus* summam atomis manum addidit.

3. Docuere hi mundum compositum esse ex *atomis*, id est corpusculis insecabilibus (id enim significat græca vox atomos) seu indivisibilibus. Præterea nullam esse Numinis providentiam, aut fatum, sed *casu* omnia fieri.

4. Epicurus præterea summum hominis bonum in voluptate situm esse voluit.

VI. Scepsis.

Seu *Sceptica* Philosophia omnia plane in dubium vocabat, nec cuiquam assentire, nec quidquam negare solebat. Autor est *Pyrrho* Eliensis unus e discipulis seu posteris Xenophanis. Hinc omnia negandi libido inter doctos hodieque *Pyrrhonismus* dicitur.

VII. Eclectica.

A Potamone Alexandrino instituta ante tempora M. Antonini Imp. Ex aliis singulis sectis eligit dogmata saniora; hinc *Eclectiva* dicitur.

* *Hodie vigent sectæ; Thomistica, Scotistica, Recentiorum, Nominalium, Atomistarum, Carthesiana &c. & maxime experimentalis, seu Empirica.*

CAPUT III.

Medicina.

1. Medicinæ inventioni ansam fecit experientia. Tradit Aristoteles, eos qui ad idola voti causa confluxerant, ut restituerentur sanitati, in tholis deorum scribere solitos fuisse remedia illa, quibus recuperassent sanitatem. Hippocrates deinde delubra obiens illa conscripsit, & de suo aucta in ordinem digessit.

2. Me-

2. Medici præcipui nominis funt Hippocrates Galenus, ac recenter Theophraftus Paracelfus, cui adhærent Chimici. *Vid. Hiftor. Profan.*

CAPUT IV.

Mufica.

1. Mufica, ficut lingua non tam eft inventum hominis, quam Donum eximium a Deo conceffum. Et fane qui nulla afficitur mufica, humani tam parum habere videtur, quam qui nulla lingua aut voce.

2. *Pythagoras* dicitur primus obfervaffe plurium muficorum intervallorum feu tonorum concentum & Harmoniam. Idque lepido cafu. Fabros enim audivit incudem exercentes, cumque notaffet difparem fonum edi a malleis, cum quadam tamen harmonia rei indagandum ratus malleorum pondera examinavit, comperitque, malleum majorem graviore tono fonare, minorem acutiore, ficque adhibita arithmetica proportione invenit intervalla illa mufica, nempe *Quintas, Octavas, Tertias &c.*

3. Litteras illas feptem, quibus omnis mufica varietas comprehenditur, inveniffe dicitur S. Gregorius Magnus Papa. Nempe *a: b. c. d. e. f. g.*

4. *Solmifandi*, ut vocant, artem excogitavit Guido Aretinus fex fyllabis : *ut, re, mi, fa, fol, la,* vid. Hift. Ecclef. L. 2. c. 5. §. 6. Q. 1. n. 5.

5. Antiqui *Notis* muficis caruerunt, quæ fub annum 1000. demum inventæ funt, fed literas ipfas loco notarum pofuere.

CA-

CAPUT V.

Poësis.

1. Eandem fere originem Poësis habet, quam Musica. Cum enim semel canere inciperent homines, cantui adjunxerunt verba, & sic paulatim *metri* ratio inventa aut observata est.

CAPUT VI.

Pictoria.

1. Hanc invenisse tradunt vel Apollinem, aut Gygem Lydium, vel alium quendam Pastorem, qui umbram oviculæ ductis in arena lineis secutus artis hujus rudimenta fecerit. At sacræ literæ multo ante quemvis Apollinem tradunt Hebræos & aliarum gentium sculptores fuisse.

2. Deinceps *monogrammata* tantum picta sunt seu lineis uno colore ductis rerum formæ utcunque redditæ.

3. Post quatuor aut quinque colores simplices adhibiti, sine ulla lucis aut umbræ vice: quin nec in tabulis pictis, nec in statuis sculptis expressi sunt oculi, labia, manus, pedes, vestis &c.

Apelles invenit modum pingendi vultus dimidiatos, ut jam diximus in *Hist. prof.* fol. 264.

Nicias Atheniensis Olympiade 112. seu ante Christum fere annis 328. invenit umbræ lucisque in pictura vicissitudinem.

4. Denique hoc scias, antiquiores pinxisse testa colorata contrita. Post cera colorata calenteque pictum est, Senecæ etiamnum tempore. Sed jam Apeles Vernicem quandam invenisse dicitur.

LIBER II.
De Militia Veterum, & ad eam ſpectantibus.
CAPUT I.
Romani Exercitus Deſcriptio.

1. *Milites* ſcripti lectique e civibus aut ſtipendio conducti erant quadruplicis potiſſimum ordinis. 1. *Velites*, hi e paupere vulgo lecti levis tantum armaturæ milites eminus pugnare conſueverunt, aut levioribus præliis hoſtem experiri. 2. *Haſtati* Flos juventutis. 3. *Principes* Virili ætate milites. 4. *Triarii* miles veteranus & robur exercitus.

2. Totus Romanarum virium *Exercitus* viginti & aliquot Legionibus conſtabat. Cui præfectus erat Dux ſeu *Imperator* ampliſſima gaudens poteſtate; quippe non ſolum coccineo paludamento conſpicuus erat, auro purpuraque diſtincto, ſed Lictores etiam (quemadmodum ipſimet Conſules) cum faſcibus ſecuribusque ſuo in comitatu habuit.

3. *Legio* conſtabat viris 6200. peditum, 300. equitum. Qui diſtincti erant in 10. Cohortes pedeſtres, & 10. Turmas equeſtres. Toti legioni præficiebatur *Tribunus*. Signum Legionis antiquitus fuit Lupus, Equus, Taurus, Aper. Id antiquavit C. Marius ſecundo ſuo conſulatu, & Romanæ legioni propriam fecit,

fecit, dicavitque *Aquilam.* Hæc minutæ figuræ, ut sinu tegi facile posset, ex auro cusa imponebatur hastæ argenteæ, ferebaturque in medio legionis: agmina, quæ ante illam stationes tenebant suas, *Antesignanorum* nomen tulere, quæ post eam, postsignanorum.

4. *Cohors* pedestre agmen est, constatque manipulis tribus, id est militibus fere 620. Illa porro, quæ latus Imperatoris semper & ubique texit, lectissima manus, *Cohors Prætoria* audiit, nostris hodie dicta Leib = Regiment, Leib = Compagnie.

5. *Manipulus* pedester constabat duabus centuriis seu viris 207. Huic *Signum* suum erat diversum ab Aquila: nempe hasta argentea cum transverso paxillo in modum crucis: ipsi hastæ adhærebant clypeoli aurei, in quibus pictæ deorum aut Imperatorum icones.

6. *Centuria* centum viris implebatur. Huic præerat *Centurio*, & is quidem, qui primam in Legione centuriam ducebat, *Centurio primi pili*, vel Primipilus dicebatur, singulari semper in honore habitus, quique Aquilæ præerat, eamque regebat.

7. *Turma* equitum 30. viros numerabat. Ea *Vexillum* habebat forma fere quadra e pertica pendulum, ut nunc templorum vexilla, purpura auroque intextum.

8. Hæc omnia *Signa* sacra habebantur. Per ea jusjurandum & sacramentum militare concipiebatur. Iis honor habitus non aliter atque deorum simulacris. Ad ea confugientes Asylo gaudebant. Hæc denique deserere, aut in manu hostium relinquere summo dedecori erat, & plerumque capite ipso luendum piaculum. Ancipiti pugna cum nutarent acies, sæpe signa ab ipsis Imperatoribus in confertum hostem missa sunt, ut segnis miles in pugnam revocaretur &c.

CAPUT II.

Arma Romanorum.

1. Gravis armaturæ miles pluribus armis, levis armaturæ paucioribus instructus erat.

2. *Parma* scutum erat rotundum parvum e ligno.

3. *Scutum* longum ovi figura, vel imbricatum (wie ein Holziegel) quatuor pedum longitudine; combinatum e lignis aquaticis, corioque obductum. Margo erat ferreus. E medio prominebat Apex seu *Umbo* ferreus, argenteus, vel aureus, quo hostem arcere aut urgere solebant.

4. *Clypeus* scutum est rotundum mediæ magnitudinis.

5. *Cetra* parma est Coriacea, & equitum fere propria.

6. *Cassis* ferrea cui Galli nonnunquam imponere consueverunt ardentem focum.

7. *Galea* seu cudo e pelle tantum confecta.

8. *Lorica*, *Cataphracta*. Eaque induti sunt non equi minus quam viri.

9. Sed equitibus paucis *ephippia* fuere: & vulgo ephippiati contemtui habiti, quasi molles, & qui non auderent ex equo nudo pugnare. Præterea dextro tantum crure *Ocream* ferream induti erant, sinistro coriaceam.

10. *Pilum* hasta erat quadrangula ea crassitie, ut manum impleret; septem pedibus longa, mediamque partem lignea, mediam ferro crasso tecta. Cuique militum bina talia, quandoque & terna aut quaterna pila fuerunt.

CA-

CAPUT III.

Machinæ.

1. *Vinea* domuncula quædam lignea eſt & portatilis tecto inſtructa. Intra hanc gradientes milites ſecum eam tuti ferebant, ac mœnibus admovebant, itaque arietes, quos una intus tulere, applicabant quaſſando muro; vel aliis modis urgebant obſeſſos. Hinc per *vineas oppugnare* aliquem, eſt tecte inſidiari,

2. *Aries* ingens trabs ſeu truncus arboris gravi ære præfixus, quod in arietis formam artifex ignis fuderat. Hic medio ſuſpenſus e catenis librabatur vi militum adverſus muros, repetitis identidem ictibus. Oppugnatores, ut ictus fruſtrarentur, objicere ſolebant vimineas crates, aut ſaccos lana infertos.

3. *Terebris* etiam grandibus tortuoſe adactis lapidum compages ſolvere conſueverunt.

4. *Catapulta* machina lignea, haſtas vel tela quaterna aut plura evibrans.

5. *Balliſta*, *tormentum* etiam dicta, ingentis operæ machina lapides molares, trabes ignitos, piceata dolia, aliaque demum mittebat in hoſtem.

6. *Fundis* ſuis non lapides ſolum, ſed glandes etiam plumbeas oblongas librabant tam fido ictu, ut ad 400. paſſus metam tangerent; tam valido, ut plumbum aliquando medio in aëre liqueſceret. Quin & ollulas incendiarias jactare fundis ſolebant more noſtrorum incendiariorum militum, quos barbare *Grenadier* dicunt.

CAPUT IV.

Obſidio.

1. Circumvallabant oppida arceſque triplici ſæpe in gyrum & vallo & foſſa turribus præaltis undique diſtincta.

2. Turres quoque ſtruxerunt trium contignationum, onuſtas armatis: quas mœnibus admovere, iterumque, cum receptui caneretur, retraxere.

3. *Corona* vel per *coronam* cingere aut capere urbem erat, cum perpetuo militum ordine, eoque interdum triplici, circumdaretur locus, factaque ab omni parte impreſſione mœnia ſuperarentur. Id quod nos fere dicimus, **mit ſtürmender Hand eroberen.**

4. *Teſtudo* inſigne erat fortitudinis bellicæ exemplum. Etenim ordo virorum conjunctus, confertusque ſcuta ſuper capita extulit. Pone ſequebatur alius ordo priori cohærens, ſed corporibus nonnihil inclinatis, ſcutis vero eodem modo erectis. Hos excipiebat tertius, quartusque ordo &c. Quorum cum alter altero humilior eſſet, ſcuta cervicibus imminenti ſpeciem præbebant declivis tecti. Sic compoſiti mœnia acceſſerunt. Horum dein tergis ſeu ſcutis ſeſe injecerunt alii; & ſic in ſumma mœnia ſumma fortitudine graſſati ſunt. Teſtudine ea uſi ſunt etiam in acie, rebus præcipue deſperatis. Sic enim conferti omnes telorum ictus, ſed & equos curruſque ſubinde immiſſos ſine noxa exceperunt.

CAPUT V.

Pugna.

1. *Teſſera* erat tabella lignea, cui inſripta Ducis mandata ſæpe unico aut aliquot tantum verbis. Hæc

ſingu-

singulis commilitonibus distributa, tum in itinere, tum in vigiliis, sed & ante pugnam: eo fine, ut commilitones a peregrinis dignoscerent.

2. *Classicum*, ipsum est ad pugnæ faciendum initium signum: quod concentu tubarum dabatur.

3. Ipsam aciem instruxerunt pro opportunitate. Consuetæ formæ erant *Globus*, *Orbis*, *Forfex*, *Luna*, *Cuneus quadratus*, hodie **gevierdte Ordnung**, seu Gallorum lingua *Bataillon Quarrée*.

CAPUT VI.

Disciplina.

1. *Iter justum* erat 20000. passuum, intervallo quinque horarum conficiendum gradu militari, id est graviori seu tardiori.

2. Onus militis (fascem dicebant) hoc erat: 1. *Cibus*, id est bis coctus panis aut frumentum crudum in triginta dies. Posteriore ævo remissum est ad dies 17. 2. *Utensilia*; id est Corbis, serra, securis, rutrum, falx, catena, lorum. 3. *Valli* quatuor, & aliquando 7. aut 12. Sunt autem valli *pali*, hodie *Fachins* Gallis, sive sudes ad varium belli usum, castrametandi præcipue, ac tumultuario opere munimentum quoddam excitandi. 4. *Arma*, nempe scutum, galea, hasta. Sicque iter conficiebant pedibus aperto capite &c.

3. Inter omnia delicta turpissimum habebatur, *signa deserere*.

4. Pœnæ quidem variæ, sed nulla majoris ignominiæ, quam *Missio inhonesta*, quum nempe miles cum dedecore ab exercitu dimitteretur. Factum id per *solutionem cinguli* seu baltei militaris.

CAPUT VII.

Supplicationes, Triumphus, Ovatio, Coronæ.

1. Accepto de insigni Ducis ac decretoria victoria nuncio, Senatus decreto indictæ sunt *Supplicationes*, eodem fere modo peractæ, ac nostræ hodie *Processiones*. Hæ Sabinis devictis ad quartum diem extendebantur; Mithridate subacto ad 15. Gallis a Cæsare domitis ad 20. post victoriam Augusti Mutinensem ad 50mum.

2. *Triumphus* decernebantur 1. a Senatu populoque Rom. Duci, qui debebat esse Civis Romanus; debebat etiam vicisse hostem, non cives aut rebelles populi; & eorum, sine notabili Romanorum jactura, saltem 5000. in pugna confecisse. 2. Pompa ipsa, seu celebris in urbem ingressus hoc ordine ducebatur. Multi currus, muli, equi, elephantes &c. prædam armaque hostibus erepta vehebant. Proximo dein loco imagines gestabantur tam urbium captarum, quam terrarum. Has sequebantur, qui coronas victori donatas ferebant. Proximum his agmen erat captivorum, ac præcipue regum aut principum, qui ante currum triumphantis ducebantur onusti vinculis. Ipsum currum aut equi generosi (albos excipias velim, quibus sola deorum simulacra vehi fas erat) aut cervi, aut elephantes, aut mansueti Leones trahebant, vel quidquid aliud luxus excogitavit. Victorem denique curru eminentem circumdabat purpura auro distincta, laurus tempora velabat, oleam præferebat manu cum sceptro. Vultus non raro minio oblitus haud secus atque deorum statuæ. 3. Denique arma, navium rostra, aliaque victoriæ signa foribus Victoris affixa sunt, aut in vestibulo perpetuum collocata: positæ statuæ, arcus &c.

3. *Ovatio*

3. *Ovatio* triumphi quoddam genus eſt, ſed humiliore ritu celebratum. Etenim Ovantis amictus nonniſi albus erat; nec curru, ſed equo vehebatur; ac Lauri vice Myrto redimitus erat. In Sacrificio etiam non taurus, quemadmodum a triumphantibus factum, ſed *Ovis* mactabatur.

* *Profecto autem ingentem oportet triumphorum apparatum fuiſſe: ſanctus enim Auguſtinus tria potiſſimum ſuismet oculis arbitrandi votum habuit*, Chriſtum in carne, Paulum prædicantem, & Romam triumphantem.

4. *Coronæ* varii modi erant, quas ex Agellio totidem verbis delineabimus. *Triumphalis* olim e lauro, poſtea etiam ex auro erat. *Obſidionalis* eſt, quam ii, qui liberati ſunt obſidione, dant ei duci, qui liberavit. Ea corona graminea eſt; obſervarique ſolitum, ut fieret e gramine, quod in eodem loco natum eſſet, intra quem clauſi erant, qui obſidebantur. *Civica* corona appellatur, quam civis civi, a quo ſervatus eſt in prælio, teſtem vitæ ſalutisque perceptæ dat. Ea fit e fronde querna, vel Ilice. *Muralis* eſt corona, qua donatur ab Imperatore, qui primus murum ſubiit, inque oppidum hoſtium per vim aſcendit. *Caſtrenſis* eſt corona, qua donat eum Imperator, qui primus hoſtium caſtra pugnans introivit. *Navalis* eſt, qua donari ſolet maritimo prælio, qui primus in hoſtium navem vi armatus tranſiliit. Et muralis vero, & caſtrenſis, & navalis fieri ex auro ſolent, prima muri, altera valli, tertia roſtri navalis ſigno cælata eſt.



CAPUT VIII.

De Jani Templo.

1. Belli tempore patebat id fanum, ut omnes eo accedere ac pro sarta belli alea deos precari possent. At revocata pace signa, arma ac trophæa in eodem delubro suspensa sunt, & templum occlusum.



LIBER III.

De Sacro, Religiosoque ritu.

CAPUT I.

Sacra & Sacerdotes.

1. *Saturnalia* Sacra, aut festa potius, Saturno dicata erant Deo, olim Latii regi. Celebrata 16. Kalendas Jani, seu mense Decembri uno tantum die: sed Cæsar tres præcepit, & Caligula quinque. Eo die togam posuere Domini, eamque sumserunt servi: quin mensæ assidentibus servis ministrarunt Domini.

2. *Bacchanalia* sacra a Græcis instituta sunt, dictaque *Dionysia*. Hæc in Etruriam, mox Romam delata ita agebantur in delubro, ut nocturno tempore nonnisi gravissimæ matronæ convenirent, ter in annos singulos. Post quini dies menstruatim huic rei destinati sunt. Sed cum promiscua turba ad hæc sacra denique

nique admitteretur, & infanda quæque patrarentur, abrogata sunt a Consulibus anno V. C. 568.

Erant præterea Ludi alii, e. g. *Lupercales* die 15. Februarii patrati, quod Romulus & Remus a Lupa essent nutriti. *Circenses* ludi fiebant tum equorum cursu, tum gladiatorum pugna.

3. *Vesta* Dea habebatur Saturni filia Junonis, Jovis &c. Soror. Sed qui poëtarum fabulas ad usum quendam reducere conati sunt, Vestam interpretati sunt esse vel *Terram* vel *Ignem*. Certe Vestæ simulacrum apud Romanos aliud non erat quam *Focus* in templo perpetuo alendus. Eum focum Troja attulit Æneas, deposuitque Lavinii, condita a se urbe; Ascanius Albam longam transtulit: denique Tullo regnante Alba eversa & cives Romam traducti sunt una cum Vestæ igne. Templum tamen Vestæ jam a Numa conditum erat, & Vestales Sacerdotes institutæ. Eæ erant Virgines numero Sex arbitrio Pontificis maximi, ac sorte electæ. Earum officium erat alere perpetuum Vestæ focum: custodire etiam Imperii illud pignus *Palladium*. Statua erat Palladis tricubitalis dextra gestans hastam, læva fusum ac colum. Ilus Trojæ conditor cælitus eam accepisse fertur, cum oraculo, invictam fore urbem, donec Palladium hoc servasset. Troja deinde prodita in Italiam illud secum vehit Æneas. Obligatio Vestalium erat, manere Virgines idque triginta annos: postea licitum nubere; etsi nuptiæ plerumque infaustæ putarentur. Si quæ in pudicitiam peccasset, specui subterraneæ immersa est, quæ lectulum habebat, lucernam, mensamque stratam: hocque in specu defossa est viva. Atque hæ Vestæ Romæ desierunt primum sub Theodosio M. Imp.

4. *Auguria* erant, & *auspicia* cum seu ex avium volatu, seu cantu, seu esu futura ominarentur: Augurumque

gurumque collegium summæ erat apud Romanos auctoritatis.

5. *Aruspicina* erat, quæ inspectis victimarum ad aram mactatarum *extis* seu visceribus futura conjectabat. Qui eam exercebant *Aruspices*, *Auspices* seu *Extispices* dicti.

6. *Flamines*, sive sacerdotes Numa tres creavit, unum Jovi, qui *Flamen Dialis* dictus; alterum Marti, tertium Quirino.

7. *Pontifex Maximus* omnia sacrorum Jura temperabat.

8. *Salii* duodecim Martis erant Sacerdotes, pictis tunicis, æneisque thoracibus vestiti. Hi *ancilia* ferebant. Erat *ancile* scutum rotundum cælo, ut ajunt, delapsum: cumque respondissent aruspices, illic fore Orbis Imperium, ubi ancile servaretur; Numa illud in templo Martis suspendit, suspensis tamen una multis aliis ejusdem plane formæ; ut hoc modo falli posset is, qui ancile templo subrepturus esset.

CAPUT II.

De Ritu Funeris.

1. Apud Barbaros barbari erant funerum ritus, *Persæ* non prius humabant cadaver, quam a cane aut ave esset carptum. *Massagetæ* & *Derbices* cognatos suos satis proximos devorabant. *Tibareni* senes e patibulis suspenderunt. *Ægyptii* cerebro visceribusque extractis cadaver aromatibus oppletum ad 70. diem sale macerabant: demum extractum myrrhinoque oleo probe tinctum lignea effigie circumdederunt. Sic imbuta cadavera diutissime durant incorrupta; & hodiedum refodiuntur, dicunturque *Mumiæ*. Credebant enim Ægyptii, tamdiu animam hominis superstitem

ſtitem fore, quamdiu ejus corpus putredinem nullam traheret. *Scythæ* mortuorum charos, una cum cadaveribus defodiebant vivos, adjunctis famulis, equis, canibus, ac cibis. *Thraces* cum plauſu ac lætitia ſepulturam agebant, contra Natalem cum luctu. *Bactriani* ſenes objecere canibus, ad hoc ipſum nutritis.

2. Græci uſtorum cadaverum cineres urnis imponebant, ipſasque urnas ſplendidis monumentis.

3. Romani olim cadavera terræ mandarunt. Sed cum animadverterent, variis ac civilibus præſertim turbis ea e tumulis erui, licentia emotæ plebis; ſtatuerunt ea Græcorum more cremare.

4. In monumentis repoſitæ ſunt duæ urnæ, fictiles, vitreæ, vel aureæ: altera cineres, altera amicorum lacrymas capiebat. Addita lampas eo ſæpe artificio, ut mille & amplius annis arſiſſe in comperto habeamus. Cadaveribus, quæ integra defodiebantur, additus eſt in ore nummus, Charonti pro naulo dandus.

LIBER IV.

De Politicis.

CAPUT I.

De Magiſtratibus.

1. *Conſules* a *conſulendo* patriæ dicti, conſtituti ſunt poſt reges exactos. Bini, ut alter alterum me-

metueret, coërceret. Uno tantum anno magiſtratu
iis permiſſus, ut eſſent humani, qui ſe ſcirent poſt an
num poteſtate carituros. Poteſtas eorum primo re
gia nihil minor fuit: ſed poſtea Tribunorum inte
ceſſione circumſcripta eſt; ab Imperatoribus auten
plane extincta. Inſignia Conſuli præferebantur duo
decim *Faſces* a totidem lictoribus. Faſces erant ba
culi aliquot ex Ulmo vel Betula loro colligati, adnex
ſecuri: Sed Valerius Poplicola ſecures demſit, eæqu
prægeſtæ deinceps ſunt tantum extra urbem, n
populo terribilis videretur Conſulum poteſtas. Licto
res hisce faſcibus populum e via ſubmovebant, fo
res eorum virga feriebant, ad quos intrare conſu
vellet; ſed cum major magiſtratus forte obvius fieret
faſces ſubmittebant. Sed illi faſces alternis menſibu
tantum alteri e conſulibus præferebantur, alterum in
terim comitatus eſt *Accenſus* cum ſequentibus duo
decim lictoribus, qui baculos tantum ferebant. Præ
terea conſules induti erant *Trabea*, ſeu toga ampla
picta inſignibus geſtis propriis aut majorum; man
geſtabant ſcipionem eburneum, in cujus ſummo figu
ra aquilæ.

2. *Ædiles* duo inſtituti an. V. C. 271. dictiqu
Ædiles plebis. His additi e Patribus *Ædiles Curule*
an. V. C. 388. Cæſar adjecit duos *Cereales*, qui re
frumentariæ curam haberent.

3. *Tribuni* plebis ſeu tribuum ductores ſeditione
populi creati ſunt, qui An. V. C. 260. in Montem ſa-
crum ſeceſſit, nec rediit ante, quam duo Tribuni ple-
bis crearentur, qui Conſulum poteſtati obſiſtere va-
lerent. An. 297. facti ſunt decem. His jus erat Con-
ſulum geſtis *intercedendi*, ſeu ea impediendi; quod
faciebant illa formula: *Veto*.

4. *Quæſtores* An. V. C. 269. Ærarium publicum
curabant.

5. *Di-*

5. *Dictator* primus creatus an. V. C. 255. Cum enim Consulum nomen contemtui haberetur, propterea, quod ab illis ad populum provocatio esset, omnia ad seditionem spectabant: quare, cum etiam externus hostis immineret, alius magistratus creatus est, a quo provocari non posset: Hic omnia suo arbitrio decernebat. Ne tamen abuteretur, imperium hoc gessit uno tantum semestri. Aliquando prorogatum est in annum integrum. Sylla autem & Cæsar perpetui dictatores creati sunt, id quod exitium Reipub. peperit. Dictatori equum ascendere fas non erat, nisi ad bellum.

6. *Censores* duo creati sunt. An. V. C. 311. Qui recensebant non solum capita civium & facultates, sed maxime etiam mores, illosque, si pravos deprehendissent, *Nota*, id est ignominia affecere.

7. *Imperatores* vocabantur, qui gerendo bello summa cum potestate præfecti erant. Sed post illud nomen sibi proprie asciverunt Cæsares tantum.

CAPUT II.

Ordines Civium seu Classes.

1. *Senatorius* Ordo, seu *Patricius* complectebatur Senatum, Consules, Nobiles, & qui olim has dignitates aut magistratus gesserunt. Hi uno verbo *Patres* dicebantur, aut *Patres conscripti*. Ceterum Nobiles censebantur ii, qui e Patrum antiquo genere nati fuissent. At Novi nobiles, seu *Homines novi* vocabantur, quorum majores aliquem gesserunt magistratum, cui ponendæ imaginis jus erat, nempe Consulatum, Dictaturam, Censuram, Ædilitatem Curulem. Imagines erant e *Cera* Vultus tantum exprimente (Brust-Bilder). Hæ cum inscriptionibus & *titulis*, poni solitæ in Atriis, ligneis thecis seu armariis inclu-

inclusæ, quas diebus lætis festisque aperuerunt, th reque incenso prosecuti sunt; unde *fumosæ ceræ*. I funere proferebantur ordine supra perticas, quas *F retra* dicebant.

2. *Equestris* ordo alter erat, complectebaturqu Juventutem Nobilium Patriciorum a 18vo ann ætatis.

3. *Plebeius* ordo tertius. Erat autem plebs divi in 35. *Tribus*, e quibus quatuor *Urbanæ* erant, qu cum e libertis potissimum conflatæ essent, inferio sortis existimabantur. Reliquæ *Rusticæ* erant, se civium, qui extra Urbem per reliquam Italiam suis i prædiis habitabant.

4. Erant præterea *Servi* seu mancipia; quasi man capta. Quos si dominus manu misisset, *Liberti* voc bantur; & qui ex his postea nati sunt, *Libertini*.

CAPUT III.

De Re Monetaria.

1. Illi, qui remotissimo ævo vixerunt homine mercimonia sua ita celebrarunt, ut non nisi res cu rebus permutarent, v. g. calceum cum pane. At ho non diu tulit usus: sed oportuit constitui aliquod ge nerale quasi pignus, quod universarum mercium vi cem subire posset. Itaque *Ferrum* aut *æs* primo con stitutum est. Et qui alterius rem magni æstimatam sibi comparare volebat, magnum æris pondus eidem vicissim tradebat. Post discrimine ponderis omisso signum quoddam æri impressum, quo vel magnam vel minorem æstimationem seu pretium politicum ac cipiebat. Denique *pecudum* corio eadem signa im pressa sunt, unde credimus *pecuniam* esse dictam; cum alias diceretur *moneta*, tanquam admonens hominem constituti a Republica pretii.

2. *Æri*

2. *Ærei* nummi hæc erat apud Romanos ratio. *As* non aliud erat, nisi Libra æris. *Quadrans* seu Triuncis quarta Libræ pars: quæ sæpe etiam e plumbo; nigraque moneta hæc dicta. *Sextans* pars assis sexta. *Triens* pars tertia. Ceterum assis integri valor non erat amplior nostris 8. vel decem numulis, Pfenning.

3. *Argenteus* nummus alius erat *Denarius*; alias etiam *bigatus* & *quadrigatus* dictus ob signum impressum. Valebat fere nummulos nostros 32. seu cruciferos 8. & in scripturis ac monumentis veterum indicatus est hac nota (*) seu stellula. *Quinarius* seu *Victoriatus* ob victoriæ effigiem dictus, dimidium denarii valebat. *Sestertius* quarta denarii pars, sic scribi solebat HS. Sed cum dicebatur per nomen substantivum masculinum e. g. *decem Sestertii*: intelligebantur singuli sestertii: cum vero dicebatur neutro genere e. g. *decem sestertia*, intelligebantur totidem millia sestertiorum. Denique cum per adverbium dicebatur e. g. decies HS. seu *decies sestertium*, toties centena sestertiorum millia intelligebantur.

4. *Aureus* nummus, sive *solidus* varie dictus & nomen plerumque ab Imperatoribus sortitus est e. g. *Antonianus &c.* valuit 25. Denarios.

5. Græci Minis utebantur, & Talentis. *Minæ*, id est Libræ in Talento Attico erant 60. quarum singulæ valebant 100. denarios, id est nostrorum florenorum tredecim cum dimidio fere.

Talentum Atticum 60 Librarum, valebat denariorum 6000. Id est nostrorum florenorum 800. sive Philippæos aut Coronatos 600. Itaque mille Talenta argenti sunt 800000. fl. Mille talenta auri hujus numeri fere triplum conficiunt.

LIBER V.

De Familiaribus ac Privatis ritibus.

CAPUT I.

Vestes.

1. Quin primi mortalium ferarum pellibus corpo[ra] protexerint absque multa artis & elegantiæ cura, d[u]bium haud est.

2. *Pallium* vestis est totum obtegens corpus: q[uo] apud Græcos singulariter Philosophi utebantur.

3. *Toga* pura, vestis est ad talos pertingens, qu[am] sumebant, qui adolescentum ætatem egressi era[nt]. Hinc, *Togam sumere*. Ea usi Romani in foro, [&] toto pacis tempore: Hinc *Toga* clari, id est pac[is] studiis.

4. *Sagum* vestis curta genuum tenus, nec man[i]cata: qua in bello utebantur Romani. Hinc, *Sag[o] inclytus*.

5. *Prætexta* vestis prolixa, purpurea fimbria præ-texta. Hanc gestarunt pueri & adolescentes ad 16. ætatis annum. Hinc *Prætextam ponere*. At etiam magistratus plerique hac veste ornabantur.

6. *Latus Clavus* dicebatur toga clavis latis ornata sive ii fuerint florum quædam figuræ in toga depictæ siv[e]

sive argentea purpureave schemata. Hoc clavo usi sunt Senatorii ordinis viri; Equestres tantum angusto; reliqui pura toga.

7. *Palmata* toga, picta erat palmis &c. Magistratuum supremorum & Imperatorum tantum insigne.

8. *Trabea* vestis seu toga colorum distinctione velut in modum trabium virgata. Consulum erat.

9. *Paludamentum*: Belliducum vestis.

10. *Chlamys*, *lena*, & *abolla* militum, vel inferiorum militiæ præfectorum palliola erant.

11. *Stola* Matronarum longa & ampla vestis.

12. *Bulla aurea* puerorum nobilium.

13. *Apex* apud sacerdotes Pontifices capitis ornamentum erat ea fere figura, qua nostrorum Infulæ.

14. *Vittæ* teniæ erant in nodum collectæ atque in humeros defluentes (ein Busch-Bänder). Hæ imponebantur victimis. Sed & Vestales Virgines iis redimitæ erant.

15. *Cothurnus* Vestis talaris, quam induti erant in scena poëtæ tragici.

16. *Soccus* vestis arctior Comicorum.

17. *Lacerna* vestis amplissima, qua supra reliquas omnes utebantur pluvia maxime tempestate.

18. *Petasus* pileolus erat, fere ut ii, quos nunc in scena producimus, vocamusque cascetas. Sed eo nunquam usi Romani (uti nec aliæ gentes, præter delicatos Asiaticos) nisi in sacris, ludis, saturnalibus, itinere & militia. Sed cum operiendum esset caput (raro id fiebat) laciniam vestis reducebant in caput, eamque iterum removebant, quum honoratiorum aliquem obvium haberent. Pileolo tamen uti licuit Libertis, ægris, senibus.

19. *Braccæ* antiquis nullæ, nisi Gallorum parti, quæ *braccata* inde dicta. Est autem Bracca genus vestimenti totum corpus ipsumque adeo caput involvens.

20. Pedes armabant vel puris *soleis* loro adstrictis, Sandalia hodie dicunt: vel *calceamento* in modum nostrorum calceorum confecto: vel *Caligis* ad suram usque ascendentibus, Halbstifel, Bundschuhe.

21. *Annulos* gestabant primo nonnisi Senatores & Equites. Post latius in omnes fere extensum: sicut primi ordinis viri aureos, reliqui argenteos, servi ferreos haberent.

22. *Linea* veste rarissimi utebantur: necdum enim cognita erat hæc lini nostri cultura. Atque hinc opus iis fuit tot balneis & lavationibus ad abstergendos sudores, pulveres &c.

23. *Sericum* illis longe a nostro diversum fuit. Etenim ab ultimis Indis *Seribus* petebatur, ubi lanugo quædam tenuissima certarum arborum foliis abrasa in filum extendebatur, indeque Sericea texta conficiebantur.

CAPUT II.

Convivium.

1. Romanis mos ter de die cibum sumere. *Jentaculum* mane; *Prandium* seu merendam meridie; *Cœnam* seu Vespernam vesperi sub horam diei nonam ab ortu.

2. Mensa rotunda; circa eam tres lecti strati purpura, panno &c. qui sigma vocantur, ob figuram, quam habent, Græcæ antiquæ literæ signa, nempe C. Atque hinc *Triclinium* etiam vocatum est cœnaculum.

3. Mensæ non assidebant (ante tempora quidem Ciceronis) nisi feminæ, sed in cubitum sinistrum reclinati accubabant, positis calceis, sumta cœnatoria veste, ac lotis antea manibus.

4. Men-

4. Mensæ imponebatur simulacrum alicujus Dei, qui Genius mensæ audiebat.

5. Solemnioribus conviviis etiam rex quidam mensalis eligebatur, *Modimperator* dictus.

6. Convivium habebat tres *Missus*, seu ter apponebantur aliqui simul cibi. 1. *Antecœna*, seu Gustus aut Gustatio vocabatur, aut etiam Promulsis, ob mulsum tunc bibi solitum. In ea potissima fercula erant *Ova* cum lactucis, rapulis, radicibus &c. 2. *Cœna* secundus erat missus; cujus præcipuum ferculum *Caput cœnæ* dicebatur. 3. Tertius missus *Bellaria*, seu Mensa secunda, in qua delicata conditorum ciborum frugum &c. & maxime *Poma*. Hinc intelliges, quid sit *ab Ovo usque ad Mala.*

7. Plerique Romani delectabantur esu pultis; unde Pultivagi dicti sunt.

8. Cœnis suis præter vinum frequentem adhibuerunt aquam tam frigidam, tum caldam, seu calidam, eamque bibebant aut solam, aut vino mixtam. Caldamque singularis luxus, & delicii caussa potabant.

LIBER VI.
De Varia Antiquitate.
CAPUT I.
Septem mundi mira.

Septem fuere opera, quæ ab omni antiquitate præcipua in admiratione habita sunt.

1. *Babylonis* muri, quorum ambitus erat 385. stadiorum, seu passuum 48125. altitudo pedum 200. latitudo seu crassities 50. In ipsa urbe horti pensiles erant, id est columnis innixi. Hæcque universa opera erant Semiramis reginæ.

2. *Pyramides* ingentes erant moles e lapide quadrato coctove structæ ab Ægyptiis regibus prope Memphim urbem. Earum grandiorem trecenta & sexaginta hominum millia totis viginti annis condiderunt: cumque nihil annonæ aut mercedis penderetur operis, præter pauculas cæpas & allia, in ea tamen ipsa impensa sunt 800. talenta.

3. *Mausolus* rex erat Cariæ, cui defuncto Artemisia fidissima conjux monumentum excitavit adeo magnificum, ut obstupesceret orbis. Huic inclusit cineres mariti, deque iis quotidie partem e poculo generosissimi Massici hausit; quasi se ipsam præbitura pro vivo sepulchro. Hinc splendida sepulcra hodie *Mausolea* dicuntur.

4. *Labyrinthi* non erant horti vario auleorum flexu implicati, sed ingentibus ac spaciosissimis ædificiis varios mæandros redeuntibus. Horum quatuor erant celebratissimi. Primus in Ægypto prope Arsinoës urbem, & Mœrim lacum. Alter in Creta a Dædalo fabricatus, cui inclusus erat Minotaurus, quem Theseus occidit, præbito ab Ariadna Minois regis nata filo reditum inveniens. Tertius in Lemno insula. Quartus Italicus pone urbem Clusium, quem sibi pro monumento condidit Porsena rex.

5. *Colossus* apud urbem Rhodum statua erat Solis in aditu portus, ære fusa, tantæ altitudinis, ut triremes passis velis ejus crura trajicere possent. Terræ motu dejectus est.

6. *Di-*

6. *Dianæ* Epheſinæ templum excitatum eſt totius Græciæ Aſiæque collatis opibus, artibusque, labore in ducenteſimum annum protracto. Centum viginti ſeptem columnæ a totidem regibus poſitæ totum opus intus fulciebant. Sed Heroſtratus omnia flammis dedit. *Vid. fol.* 243.

7. Turris in Pharo inſula excitata prope Alexandriam, quæ navigiis noctu accedentibus lumen præbuit. Hujus loco ab aliis memoratur Jovis Olympii ſtatua.

CAPUT II.

Romæ miranda.

§. I. Hominum frequentia.

Eam Lipſius hoc modo recenſet. Nobilium ac divitum ſunt - - - 300000.

Civium e plebe - -	300000.
Feminarum cum pueris -	900000.
Servorum - -	2000000.
Militum, gladiatorum, aurigarum &c.	200000.
Peregrinorum - -	2000000.
Univerſe - -	5700000.

id eſt quinquies mille millia, atque inſuper ſeptingenta millia: ſeu fere ſex milliones.

§. II. Amplitudo Urbis.

Ambitus continebat 42000. paſſuum, ſeptemque montes ſeu colles complectebatur. Ad hæc ſuburbia latiſſime extendebantur, fere Oſtia usque ac Tibur, nempe 10. & 14. millibus paſſuum. Profecto Heliogabalus olim ſervis imperavit, araneorum telas tota urbe colligere; collegerunt 10000. pondo.

§. III. Ædificia, Structuræ.

1. *Capitolium* ideo dictum, quod cum fundamentis jactandis locus foderetur in monte Tarpejo, calvaria humana erueretur.

2. *In Foro Rostra* erant fixa navium illarum, quas primas Romani eripuere Antiatibus, quorum in locum posita sunt ea, quæ ex actiaca pugna reportavit Augustus. Illis impositæ exedræ seu Cathedræ oratorum.

3. *Cloacæ* subterranei ductus erant, equidem non nisi ad ejiciendas ex urbe sordes structi a Tarquinio Prisco. Septem præcipui meatus e septem montibus deducti sexdecim pedes lati erant, & omnes denique in Tiberim evolvebantur. Tam vastum hoc opus, ut in earum reparationem Censores aliquando mille talenta, id est sexcenta Philippæorum millia expenderint.

4. *Aquæductus.* Appius Claudius sub annum V. C. 441. aquas lateritiis canalibus, qui fornicibus impositi erant, ab undecimo milliario adduxit. Sed Caligula Aquæductum inchoavit & Claudius consummavit a quadragesimo milliari; quo opere montes perfossi, valles ingentibus fornicibus æquatæ sunt.

5. *Viæ.* Media urbe in capite Fori Romani Statua erat aurea ab Augusto posita, quam *Milliarium* dixerunt, seu *Columnam milliarium*, atque ad hanc terminabantur omnes Italiæ Viæ. Singulis millenis passuum millibus lapides grandiores positi erant & in iis milliarium numerus scriptus. Et hinc si dicunt antiqui e. gr. *quarto ab Urbe lapide*, non aliud volunt nisi quaternis millibus passuum. Multæ erant viæ Roma ducentes in diversam orbis plagam: stratæ illæ sunt grandi lapide quadrato, & in multa millia extensæ.

Ce-

Celeberrima fuit *Appia* ab Appio Cenſore ſtrata, quæ Capuam, & inde Brunduſium usque ducebat. *Flaminia, Salaria, Numentana, Tiburtina, Præneſtina, Latinia, Ardeatina, Oſtienſis, Aurelia, Triumphalis*, aliæque non minoris nominis & operis.

CAPUT III.

Nomina.

1. Ingenui homines, ſeu cives ac liberi apud Romanos tria tulere nomina: Prænomen, Nomen, Cognomen. *Prænomen* præponitur nomini familiæ, ad diſcernendum inter fratres &c. uti apud nos hodie Petrus, Joannes, Sebaſtianus &c. Indebatur poſt ſumtam togam virilem. Atque iſtiusmodi prænomina apud Romanos non fuerunt ultra octodecim, nempe hæc fere *Aulus*; *Cajus*; *Decimus*; *Kæſo*; *Lucius*; *Marcus*; *Marius*; *Titus*; *Appius*; *Cnejus*; *Spurius*; *Tiberius*; *Mamercus*; *Servius*; *Sextus*. *Nomen* alicui familiæ perpetuum ac proprium erat, uti apud nos ea, quæ cognomina dicimus, v. gr. Mayr; Bauer; Kling ꝛc. Apud Romanos hæc omnia, pauciſſimis exceptis, in *ius* deſinebant, ut *Julius*, *Antonius*, *Livius &c.* *Cognomen* nomini adjectum eſt ad diſcernendas inter ſe plures ejusdem nominis e. gr. *Cajus Julius Cæſar*. Cajus eſt prænomen, Julius nomen, Cæſar cognomen.

2. Adoptivi, ſeu qui in alienam familiam adoptati ſunt, omnia ejus nomina adſciverunt, ſed his inſuper adjecerunt aut proprium ſuum nomen cum aliqua inflexione: ut Octavius a J. Cæſare adoptatus dictus eſt *Cajus Julius Cæſar Octavianus*. Vel adjecerunt ſuum cognomen ſine ulla inflexione. Ut Marc. Junius

Junius Brutus adoptatus a Q. Servilio Cæpione dict est *Q. Servilius Cæpio Brutus.*

3. *Servi* antiquitus prænomen Domini gesserunt e. g. *Marcipor, Publipor,* id est Marci puer, Pub puer. Postea nomen suummet & proprium serv concessum est, sumtum plerumque a patria, ut Davu Syrus, Geta. Manumissi, cum Liberti fierent, Præ nomen ac Nomen Domini sui assumserunt, se loco cognominis suum pristinum nomen retinuerunt, ut *Marcus Tullius Tiro.*



CHRO-



CHRONOLOGICA.

* Chronologia eſt Scientia temporum, quæ accurate determinat, quid quoque tempore factum ſit. Ex hac ſcientia paucula libabimus 1. *De uſu anni*. 2. *De uſu variarum Epocharum*.

CAPUT I.

De Anno.

I. Anni apud Antiquos varium erat *ſpatium*. 1. Ægyptii, Chaldæi, Perſæ, Aſſyrii, Hebræi, ac Græci anno lunari gaudebant, ſeu luna duodecies ſuum curſum abſolvente. At annus ille Lunaris 11. diebus brevior eſt anno ſolari; quos undecim dies ſtatis temporibus *intercalarunt*, ſeu interpoſuerunt. 2. Romani initio 10. menſium annum habebant. Numa duos adjecit, ut alibi dictum.

II. *Inchoatio* anni non minus diverſa fuit. 1. Aſiatici omnes ab Æquinoctio autumnali annum ſuum exorſi ſunt. 2. Sed Hebræi duplici anno utebantur. Eccleſiaſticum & Hiſtoricum, ſecundum quem feſta celebrabant, & Hiſtorias notabant, inchoarunt ab æquinoctio verno. Politicum autem & œconomicum, juxta quem contractus, decimarum præſtationes &c. metiebantur, orſi ſunt ab æquinoctio autumnali. 3. Græci a Solſtitio æſtivo. 4. Romani ab Æquinoctio

verno

verno primum. At Numa autore a solstitio Brumali sive Januario. Quem morem etiam gentibus & orbi se victo postea imposuerunt.

Annus tropicus, naturalis, seu solaris est tempus illud, quo sol ab uno Zodiaci puncto exiens denuo ad idem revertitur. Fit illud spatio dierum 365. Horarum 5. minutorum 49. ita ut a sexta hora desint 11. minuta.

Veteres autem illas horas & minuta residua neglexerunt, unde grandis confusio temporum nata est. Nam pone primum diem veris hoc anno esse 25. Martii. Si horas 6. in singulos annos negligas, post annos quatuor primus dies veris incidet maturius uno die (qui ex quatuor sex horis, seu 24. conflatus est) nempe in diem Martii 24. & sic deinceps singulis quadriennis maturius ver inchoabit: donec tandem initium veris incideret in Januarium, Decembrem &c.

Ergo Julius Cæsar adhibitis præstantissimis astronomis Calendarium correxit. Jussitque peracto semper anno quarto & quinto incipiente, nempe mense Februario unum diem integrum, ex quater 6. horis residuis collectum, intercalari.

Verum neque sic Calendarii correctio proba fuit. Erravit enim Cæsar, cum putavit 6. integras horas superesse ultra dies 365. cum tamen a sexta deficiant minuta undecim. Itaque singula quadriennia Cæsariana abundant quater undecim minutis, sive minutis simul 44. Ex quo secutum est illud, ut spatio mille sexcentorum & viginti sex annorum (scilicet a correctione I. Cæsaris ad annum Christi 1582.) ex illis neglectis 11. minutis colligerentur omnino dies fere 13. Ita, ut Æquinoctium vernum, quod Cæsaris ævo die 24. Martii erat, anno 1582. incideret in diem Martii 11.

Itaque Gregorius XIII. PP. medelam adhibuit, jussitque decem dies illos in Calendario abundantes omitti, atque in suo correcto Calendario pro die 11. Martii mox scribi 21. Martii.

Non

Non autem 13. sed 10. tantum dies omisit: quia voluit Calendarium reduci ad statum, quem tempore Concilii Nicæni habuerat, ut ejus cyclus Paschalis, aliaque decreta semper in Ecclesia observarentur: atqui a Jul. Cæsare ad Concil. Nicænum tres dies fere superfluebant, quos dissimulari Gregorius voluit.

Ut autem error Julianus deinceps evitaretur, præcepit, ut quidem singulis quadrienniis dies unus intercaletur. Sed undecim minuta colligi jussit, donec efficiant diem integrum: id quod fit post annos 130. & dies 335. horam 1. minutaque 30. Is dies sic collectus detrahitur anno Juliano, atque hinc post illos 130. annos dies unus bissextus (qui intercalari alias deberet) omittitur. Attamen facilioris methodi ergo non præcise post annum 130. fit omissio intercalationis, sed ipso anno centesimo. Quod tamen ipsum ne errorem generet, provisum est, ut quadringentesimo semper anno intercalaris dies non omittatur. Itaque anno 1600. intercalatio omissa non fuit. Sed anno 1700. intercalatio fuit omissa: idemque fieri debebit an. 1800. & 1900. Sed annus 2000. iterum intercalabitur &c.

CAPUT II.

De annis mundi, sed ab orbe condito.

Quilibet fere Chronologorum alium annorum numerum colligit, qui a condito orbe ad Christi nativitatem fluxerunt. Caussa est, defectus antiquorum monumentorum, & in ipsa S. Scriptura obscuritas &c.

2. Si in autore quopiam legas v. g. Alexandrum magnum vicisse anno mundi 3630. & libenter velles scire,

ſcire, quot annis ante Chriſtum id contigerit? debes prius noſſe, quoto anno mundi Chriſtum natum eſſe aſſerat ille autor ſeu in quotum annum Mundi dicat incidiſſe annum primum æræ vulgaris Dionyſianæ; illud ubi deprehenderis, pone illum numerum annorum, quos autor dicit usque ad Chriſtum elapſos eſſe, ex illo dein numero detrahe annum mundi 3630. quo victoria Alexandri accidit: reſiduum indicabit, quot annis ante Chriſtum Alexander vicerit. e. gr. nos dicimus ab ortu mundi ad Chriſtum fluxiſſe annos 3960. Itaque

Pone annos ad Chriſt.	3960.
Detrahe illis annum	3630.
Reſiduum - - -	330.

Ergo conclude, Alexandrum viciſſe anno 330. ante Chriſtum.

CAPUT III.

De Epocha Olympiadum.

1. Olympici ludi erant ab Hercule primum inſtituti, ab Iphito vero reſtaurati anno mundi 3184. ſeu ante Chriſtum 776. a quo anno incipiuntur numerari Olympiades.

2. Celebrabantur ludi iſti anno quarto ſemper elapſo, atque iſtud quatuor annorum intervallum Olympias dicebatur. Anni vero Olympiadum ſic numerabantur:

Annus	Mun.	3184.	Olpadis	1mæ	annus	1.
A.	M.	3185.	Olpadis	1.	an.	2.
A.	M.	3186.	Olpadis	1.	an.	3.
A.	M.	3187.	Olympiade prima.	ſcil.	elapſa.	
A.	M.	3188.	Olpadis	2dæ	an.	1.
A.	M.	3189.	Olpadis	2.	an.	2.

3. Itaque

3. Itaque si dico Olympiade sexta, intelligo annum ab institutione Olympiadum 24tum qui est annus mundi 3208. Si vero dico Olympiadis sextæ anno 3tio condita est Roma, intelligo quinque completas Olympiadas, sive annos 20. quibus addendi sunt adhuc 3. anni, qui ex Olympiade sexta effluxerunt.

4. Si ergo in autore quodam legis e. g. Plato obiit Olympiade 170. Et velles scire, in quotum mundi annum incidat illa Olympias, numerum Olympiadum multiplica semper per 4. & invenies annos 428. qui nempe anni effluxerunt ab anno M. 3184. Itaque

Anno Mundi	3184.
Adde	428.
Plato ob. A. M.	3612.

5. Si legas Olympiadis 109. anno 3tio natus est Epicurus; tum 108. Olympiades multiplica per 4. Annos: prodibunt 432. his adde annos tres Olympiadis 109næ & fient 435. Hos 435. annos adde ad annum mundi 3184. habebis annum mundi 3619.

6. Cognito semel in quem mundi annum incidat Olympias quævis; facile est invenire, quotus is annus fuerit ante Christum. Id enim paulo ante cap. 2. diximus.

CAPUT IV.

Epocha Urbis Conditæ.

1. Annus, quo Roma condita est, non idem est apud omnes Scriptores. Vero proximum est, quod annus primus Urbis conditæ incidat in annum mundi 3207. Olympiadis sextæ annum tertium: & in annum ante æram Christianam 753.

2. Legis anno V. C. 244. Reges Roma expulsos esse, & velles scire, quotus is annus sit ante Christum? Ergo ex annis 753. detrahe annum 244tum, quem legisti; prodibit annus ante Christum 509nus.

3. Si

3. Si velles ſcire, quotus annus mundi ſit ille annus V. C. 244.? adde hunc numerum ad annum mundi 3207. (qui nempe annus primus eſt Urbis) & invenies annum mundi 3451. eundem eſſe cum anno Urbis 244.

4. Si etiam ſcire aves, in quotam Olympiadem annus ille V. C. incidat? divide illum numerum per 4 hoc modo.

244 f 61
44

Habes itaque Olympiades 61. quæ ab Conditu Urbis effluxerunt: ſed cum ante conditam Urbem jam quinque Olympiades abierint cum annis tribus, hinc adde illas 5. illis 61. fientque 66. cum annis tribus. Ergo dices, reges pulſos eſſe Olympiadis 67mæ anno 3tio.

CAPUT V.

Epocha Æræ Chriſtianæ.

1. Æra Chriſtiana eſt initium numeri annorum, qui a Nativitate Salvatoris numerantur.

2. Mos per annos Chriſti numerandi inventus eſt a Dionyſio exiguo ſeculo Eccleſiæ ſexto: & in uſum publicum traductus circa ſeculum nonum. Et hæc dicitur *Æra vulgaris*.

3. Dionyſius quidem exiſtimavit a vero Chriſti natali ad annum illum, quo ipſe ſuum inventum excogitavit, elapſos eſſe annos 532. Sed in hoc deceptus eſt, cum elapſi ſint anni omnino 536. Itaque Æra vulgaris ſeu Dionyſiana a vero Chriſti natali diſtat *quatuor* annis tardius. Attamen anni Chriſti numerantur non a *vero natali*, ſed ab *Æra vulgari*, ob morem receptum, quem auferre impoſſibile ſit.

4. Ceterum annus primus Æræ vulgaris incidit cum Anno C. V. 753. cumque Olympiade 194. cum anno a correctione Juliana 45.

SYN-

SYNCHRONISMUS
Præcipuarum Rerum ab orbe condito.

* *In his tabulis cum nomina Pontificum, Regumque ponuntur, intellige eos tum cæpisse regnare, Philosophorum, Doctorum, aliorumque nomina eorum mortem indicant, nisi additum sit:* natus *vel,* floruit.

NB. *Imperio diviso, Imperatores Orientis exprimi voluimus literis pronis, quas cursivas vocant; quales sunt hæ ipsæ, quas hic legis.*

An. Mun.	Hebræorum res.	Res memorandæ.
1657		Diluvium universale Noëmi.
1757		Turris Babel. Linguarum divisio.
1758		*ASSYRIÆ Monarchiæ initium.*
1948	Abram.	1957. Semiramis.
2048	Isaac.	
2108	Jacob.	Apis Ægypti Rex.
2216	Joseph Vend.	2250. Job. floret.
2364		Cecrops I. Athenarum Rex.
2373	Moses.	Oenotrii ex Arcadia in Ital.
2430		Phaëton. Deucalionis Diluv.
2453	*Exodus.*	2467. Dardanus Trojæ Rex.
2493	Josue.	Jordan. divisus.
2507	Othoniel.	
2547	Aod.	Minos rex Cretæ.
2582		Tros rex Trojam condit.
2587		Tantalus Phryg. Rex.
2625		Janus I. Italiæ Rex.
2627	Debbora.	Bellerophon, Phryxus, Helle.
2631		Ilus arcem Trojæ struit.
2637		Perseus Argivor. Rex Medusa.

A.M.	Hebræor. res.	Res memorandæ.
2641	- - -	Saturnus a Jove Cretenſi expulſus in Latio regnat. Neptunus; Pluto.
2647	- - -	Midas Rex Phryg.
2667	Gedeon.	Dædalus: Icarus. Orpheus. Atlas.
2707	*Interregnum.*	Theſeus. Argonautæ.
2716	Abimelech.	Hercules Hiſpanus.
2719	Thola.	2739. Latinus Ital. Rex.
2742	Jair.	
2764	Jephte.	
2770	Abeſan.	2778. Troja capta. Antenor Patavium condit.
2777	Ahilon.	
2787	Abdon.	2780. Æneas in Italiam venit.
2795	Heli, &	
2810	*Samſon.*	Alba longa condita.
2835	Samuel.	
2857	Saul R.	Codrus ult. Athen. Rex.
2878	- - -	Homerus floret.
2897	David.	
2937	Salomon.	
2941	*Templum.*	
2977	Roboam.	
2994	Abias.	
2997	Aſa.	
3038	Joſaphat.	Elias Prophet. fl.
3063	Joram.	Eliſæus Prophet. fl.
3071	Ochozias.	
3073	Athalia.	
3079	Joas.	3085. Carthago condita. Lycurgus flor.
3118	Amaſias.	
3147	Ozias.	Jonas Prophet. flor.
3184	- - -	*OLYMPIAdum initium.*
3199	Joathan.	Pyramides Ægypti ſtructæ.
3207	- - -	*ROMA condita.*

A.M.	Hebræor. res.	Res memorandæ.
3215	Achaz.	3213. Sardanapalus exustus.
3231	Ezechias.	
3246	- -	Numa Rom. R. Gyges Lydiæ R.
3252	- -	Sibylla Erythrea.
3260	Manasses.	Janus 1mo clausus.
3270	*Esaias.*	3275. Caranus Rex I. Macedon.
3289	- -	Tullus Rom. R.
3291	- -	Horatiorum & Curtiorum pugna.
3315	Amon.	
3317	Josias.	3321. Ancus Martius Rom. R.
3345	- -	Tarquinius Prisc. Rom. R.
3348	Joachaz. Joackim.	Sappho Poëtria.
3352	*Captivitas.*	Nabuchodonosor. Magn. Rex.
3359	Jechonias. Sedecias.	
3370	*Templum Eversum.*	Jeremias Proph. floret. Arion. 3378. Solon Athen.
3383	*Daniel.*	Servius Tullus Rom. R.
3388	- -	Phalaris Tyrann. Sicil.
3416	- -	Crœsus captus, septem sapientes flor.
3422	Finis captiv.	Cyrus Babyl. potitur. PERSICÆ Monarchiæ init. Pythagoras.
3427	-	Tarquin. Superb. Rom. R.
3431	-	Cambyses Persar. Rex.
3438	-	Smerdis Persar. R. Polycrates R. Sami.
3439		Darius Hystaspes Persar. Rex.
3440	-	Anacreon Poëta. Pindarus natus.
3451	-	Reges Roma pulsi ob Lucretiam.
3452	-	*Consulatus* primus Romæ.
3453	-	Porsena Romam obsid. Mut. Scævola.

A.M.	Res Romanæ.	Res Perſar. &c. Græcorum.
3469		Marathonia pugna Græc. & Perſ.
3475		Xerxes I. Perſ. R.
3476		Herodatus natus.
3480		Thermopylarum pugna ; Mauſol. R. Euripides natus.
3482	Trecenti Fabii	3481. Arthemiſia pugna. Athenæ captæ.
3483	Roſtra in Foro	
3493	Subjug. miſſi Æqui a Cincinnato.	Thucydides natus. 3495. Artaxerxes Perſar. R.
3510	XII. Tabulæ.	
3535		Xerxes II. Perſ. Rex. Sogdianus Perſ. R. Hippocrates.
3536		Darius Nothus Perſ. R. 3540. Phidias ſculptor. 3545. Timon hoſtis hominum. 3550. Dionyſius Maj. R. Sicil.
3555		Artaxerxes Mnemon. Perſar. R.
3556	Stipendia militibus data.	Euripidis mors. 3560. Socratis nex. 3576. Ariſtoteles natus.
3570	Brennus obſidet Romam.	3590. Pugna Leuctrica. 3594. Artaxerx. Ochus Perſ. R. 3595. Dionyſius Min. Sicil. Rex. Democritus.
3599	M. Curtius armatus in voraginem.	3600. Philipp. II. Maced. R. Alexand. Pater Xenophon. ob.
3604		Alexander M. natus. Templum Epheſi uſtum.
3612		Plato.
3619	Bell. Samnit.	Epicurus & Menander nati.
3620		Arſes Perſar. R.
3622		Victoria Cheronæa Philippi.

A.M.	Res Romanæ.	Res Græcorum &c.
3624		Philippus necatus. Alexander Rex Macedon. factus. Thebæ deletæ.
3630	Pax cum Alexandro Epiri R. Al. Magni avunculo facta.	*GRÆCÆ Monarchiæ initium* post victoriam ad Arbelam. 3636. Diogenes Cynicus. 3639. Aristoteles. Demosthenes.
3648	Via Appia.	
3651		Carthago a Siculis obsessa.
3679	Bel. Tarentin.	
3680	Pyrrhus irruit.	Apelles Euclides. Colossus Rhodius an. 3682.
3689	Samnites subacti.	Pyrrhus occisus.
3691		LXX. Interpretes.
3699	Bel. I. Punicum	3700. Zeno Stoicus.
3721	Livius primam tragœdiam edit.	
3722	Pax Punica.	Ennius Poëta natus.
3726	Janus 2. clauf.	
3741	Bell. II. Punic.	
3744	Clades Cannensis.	3749. Syracusæ a Marcello captæ. Archimedes occisus.
3759	Pax Punica.	
3761	Plautus obit.	3775. Hannibalis & Scipion. mors.
3793		Perseus & Macedonicum regnum deletum a Rom.
3801		Judas Macchabæus.
3802		Terentius Poët.
3810	Bel. III. Punic.	Pacuvius floret Romæ. 3814. *Carthago deleta.*
3827	Numantia cremata.	

A.M.	Res Romanæ.	Res Græcorum &c.
3832	Scipio Jun.O.	3833. Hipparchus aſtronomus.
3840	- -	Praxiteles natus.
3854	Cicero natus.	
3855	Pompejus natus.	
3859	Marius Cimbros delet Aquila pro ſignis.	3957. Ariſtobulus I. Regiam digni tatem apud Judæos reſumit.
3865	Lucretius nat.	
3872	Bell.I. Mithridat. cædes eodem die facta.	3873. Triumviratus Marii, Syllæ Cinnæ.
3887	Bell.II.Mithridat.	
3891	Virgilius nat.	
3894	Bell. Piratic.	Dejotarus R. Armen.
3896	Horatius nat.	3895. Pompejus Aſiam in Provinciam redigit. Mithridates ob.
3898	Cicero Conſ. Catilinæ conjur. Auguſtus nat.	
3900	Triumvir. Craſſus, Pompejus, Cæſar. Livius nat.	Praxiteles.
3903	Bellum Gallic. Cicer. exul.	
3906	Craſſus a Parthis occiſus	3907. Lucretius poët.
3912	Bellum civile Cæſaris.	
3913	Pharſalica pugna. Pompejus perit.	Alexandrina Bibliotheca exuſta.

A.M.	Res Romanæ.	Alia memoranda.	
3916	Primus annus *Correctionis Julianæ.*		
3917	Cæſar occiſus Triumviri Auguſtus, Antonius, Lepidus.	3918. Cicero necatus.	
3919	Pugna Philippenſis, Caſſius & Brutus.	Ovidius & Tibulus nati.	
3920	- -	Herodes I. Rex Judæ.	
3922	- -	*Æræ Hiſpanicæ initium.*	
3930	Pugna Actiaca	Cleopatra cum Antonio perit. Ægyptus in provinciam redacta.	
3932	Janus 3. clauſus.		
3934	Octavius dicitur *Auguſtus.*		
3942	Virgilii mors.	3944. B. V. Maria nata.	
3953	Horatii & Mæcenatis ob.		
3955	XPꝰ natus xta Pagi.	Lælio, & Antiſtio Coſſ.	
3958	XPꝰ natus xta Baron.	Cornel. & Valerio Coſſ.	
3960	XPꝰ natus xta *Dionyſium.*	Lentulo & Calpurnio Coſſ.	
A.C.			
7	- -	- -	Ovidii exilium.
14	- -	*Auguſt.* O.	
- -	- -	Tiberius.	15. Ovidii mors.
33	- -		*CHRISTUS Crucifixus.*

A.C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
37		Caligula.	39. Philo Judæus fl.
41		Claudius.	Fames ingens.
54	Petrus.	Nero.	60. Persicus fl.
64			*I. Persecutio.*
65	Linus.		Simon magus ruit. SS. Petri & Pauli Martyrium.
67	Clemens.		66. Seneca. Lucanus necati.
68		Galba.	Silii Italici consulatus.
69		Otto. Vitellius. Vespasian.	70. Jerusalem excisa.
77	Cletus.		
79		Titus Vespasianus.	Statius, Juvenalis, Solinus florent. Plinius Maj. ob. 80.
81		Domitian.	
83	Anacletus.		
93			*II. Persecutio.* Josephus flav. edit. Antiquitates.
95	Evaristus.		
96		Nerva.	
98		Trajanus.	100. Quintilianus Martial. flor.
108	Alexand. I.		Floret Tacitus Hist.
112			*III. Persecutio.*

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
116	Sixtus I.		S. Ignatius M.
117		Hadrianus.	119. Solima nomina Æliæ inſtaurata. Plutarchus flor.
126	Teleſphorus.		130. Florus; Sueton. Agell. flor.
137	Hyginus.		135. *IV. Perſecutio.*
138		Antonin. Pi.	138. Marcionitæ hæret.
141	Pius I.		140. Ptolemeus flor.
151	Anicetus.		160. Epictetus.
161	Sother.		
167		M. Antoninus	*V. Perſecutio.*
170	Eleutherius.		
180		Commodus.	Galenus flor.
185	Victor I.		184. Origenes nat.
193		Pertinax. Julianus. Severus.	Initium controverſiæ Græcorum ob celebrationem Paſchæ.
197	Zephyrinus.		201. *VI. Perſecutio.*
207			Tertullianus natus.
211		Caracalla.	Papinian. ICtus.
217	Caliſtus I.	Macrinus.	
218		Heliogabal.	
222	Urbanus.	Alexander.	
			226. Artaxerxes victo Artabano regnum *Parthorum Perſis* vindicat.
230	Pontianus.		S. Cæcilia. Pomponius ICtus.
235	Anterus.	Maximinus.	*VII. Perſecutio.*
236	Fabianus.		

	A.C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
	237		Gordian. I. & II. Balbinus & Pupienus.	
	238		Gordian. III.	240. Herodianus Hiſtor.
	244		Philippus.	
	249		Decius.	*VIII. Perſecutio.* S. Sebaſtian. 7. Dormientes.
22.	251	Cornelius.		S. Agatha, S. Apollonia.
23.	252	Lucius.	Gallus & Voluſianus.	
24.	253	Stephan. I.	Valerianus & Gallienus.	Origenes ob.
25.	257	Sixtus II.		*IX. Perſecutio.*
	258	*Vacat.*		S. Laurentius. S. Cyprianus.
26	259	Dionyſius.	*Valerianus captus.*	
	262		30. *Tyranni.*	265. S. Greg. Tavm.
	268		Claudius II.	
27	269	Felix I.	*Valerian. excoriat.*	
	270		Quintillus. Aurelianus.	
28	275	Eutichian.	Tacitus & Florianus.	Porphyrius Phil.
	276		Probus.	
	282		Carus; Carinus; & Numerianus.	Manichæi hæret.
29.	283	Cajus.		
	284		Diocletianus & MaximianusHerculius.	290. Arnobius.

296.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
296	Marcellinus.		
305	*Vacat.*	Galerius & Conſtantinus I. Chlorus.	302. *X. Perſecutio.*
306		Conſtantinus II. Mag.	S. Pachomius Monaſteria inſtituit.
308	Marcellus.		307. S. Catharina.
310	Euſebius.		
311	Melchiad.	*Galerius ob.*	Donatiſtarum Schiſma.
312		*Crux apparet Conſtant.*	*Indictionum initium.*
313		*Diocletia. ob.*	Arius hæret.
314	Sylveſter I.		315. Lactantii Inſtitution.
324		*Licinius tyran. victus.*	316. S. Blaſius.
325			*Concilium I. Nicænum.* Conſtantinop. ædificata.
336	Marcus.		
337	Julius I.	Conſtantinus III. Conſtans; Conſtantius.	
340		*Conſtantius ſolus.*	S. Ambroſius natus.
342			S. Nicolaus. S. Paulus Eremita I. Franci in Galliam.
352	Liberius.		354. S. Auguſtinus natus.
355	*Exulat.* Felix II.		356. S. Antonius Mag. ob.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
358	*Liber. revocatur.*		
361		Julianus Ap.	
363		Jovianus.	
364		Valentinian. I. & Valens.	367. Bel. I. Gothic.
366	Damasus.		370. S. Hilarion.
376		Valentin. II. & Gratianus.	373. S. Athanasius. 378. S. Basilius ; Ephrem.
379		*Valente extincto Theodosius Mag.*	Ausonii poëtæ consulatus.
381			*II. Concil. Gener. Constantinop.*
383		Theodosius *solus.*	387. Eremitæ S. August.
384	Siricius.		390. Helvidius : Jovinianus hæret. Claudian. poët. fl.
395		Divisio Imperii. Honorius. *Arcadius.*	Rufinus necatus. 397. S. Ambrosius.
398	Anastasius I.		
401	Innocent. I.		400. S. Martinus.
406			Vigilantius hæret.
407			S. Chrysostomus.
408		*Theodos. II.*	Pelagius hæret. Stilico necatus.
409			*Roma capta* a Gothis. Vandali, Suevi Hispaniam occupant. Burgundi.
410			Britanni deficiunt.

417.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
417	Zosymus.		413. Regnum Visigothor. Tolosanum.
418	Bonifac. I.		*Pharamundus* Francor. 1. Rex.
420			S. Hieronymus.
422	Cælestin. I.		421. Venetiar. ortus.
425		Valentinian. III.	428. Nestorius hæret.
429			Wandali Africam occupant.
430			S. Augustinus.
431			*III. Concil. Gener. Ephesi.* S. Paulinus. S. Patricius Hibern. Apost.
432			S. Isidor. Pelusiot.
438	Sixtus III.	*Codex a Theodos. promulgatur.*	
440	Leo I.		441. Bellum Attilæ.
442			Eutyches hæret.
445			*Merovæus* Francorum R.
448			Angli & Saxones in Britanniam.
451			*IV. Concil. Gener. Chalcedon.* Attila profligatur.
455		Maximus.	454. Attila perit.
		Avitus.	
457		Majorianus.	
		Leo I.	
461	Hilarius.	Severus.	S. Simeon Stylita.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
465		Ricimer. *Tyran.*	
467		Antemius.	
468	Simplicius.		
472		Olybrius.	
473		Glycerius.	
474		J. Nepos. *Leo II. Zeno.*	
475		Augustulus.	
476		*Occid. Imp. extinctum ab* Odoacre.	INTERREGNUM MAXIMUM in Occidente.
483	Felix III.		
489		Theodericus in Italiam.	
491		Anastasius.	
492	Gelasius.		
493		Theodoricus Ostrogoth. R.	
496	Anastasius II.		Clodovæus Franc. R. baptizatur.
498	Symmachus.		S. Maria Ægypt. fl.
514	Hormisdas.		
518		*Justinus I.*	520. Regula S. Benedicti.
523	Joannes I.		524. S. Sigismund. Burgund. R. occisus. Boëtius.
526	Felix IV.	Athalaricus R.	
527		*Justinianus I*	Langobardi in Pannoniam.
529		*Codex Justiniani.*	
530	Bonifacius II.		
532	Joan. II.		

533.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
533		*Instituta & Digesta.*	Belisarius Africa potitur.
534		Theodatus R.	
535	Agapetus I.		
536	Silverius.	Vitiges R.	Belisarius Romam capit.
537	Vigilius.		
540		Theutobald. R.	Cosroës Persa bellum infert.
541		Totilas R.	*Consulatus* Ordinarius sublatus.
544			S. Benedictus O.
553			*V. Concil. General. Constantinop.*
554		Tejas R. cum regno Ostrogot. deletus a Narsete.	
555	Pelagius I.		556. Garibaldus Bojorum I. Dux.
560	Joan. III.		
565		*Justinus II.*	Cessat Romæ lingua Latin. Belisarii mors.
567		*Longinus Exarchus I.*	
568		Alboinus Longob. R.	
574	Benedict. I.	Celphus Longob. R.	575. Cassiodorus.
578	Pelag. II.	*Tiberius II.*	
582		*Mauritius.*	583. Suevi in Hisp. extincti.
585		Antharit. Longob. Rex.	S. Hermenegildus.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
590	Gregor. I.		589. Hispania ab Arianismo purgata.
591		Agilulph. Long. R.	
602		*Phocas.*	
604	Sabinian.		
607	Bonif. III.		
608	Bonif. IV.		
610		*Heraclius.*	614. S. Crucem ra- piunt Persæ.
615	Deusdedit.		S. Columbanus.
616		Adalvald. Lo. R.	Monothelitæ hære
619	Bonif. V.		
625	Honorius.		
626		Ariovaldus R. Long.	624. S. Gallus. S. Crux reducta.
629		Rotharit. Lo. R.	630. *Mahomet perit.*
639	*Vacat.*		637. Jerusalem a Saracen. capta.
640	Severinus. Joan. IV.		
641		*Constant. III.*	
642	Theodorus.	*Constans II.*	
645		Rodaold. Lo. R.	
649	Martin. I.		
651		Aripertus Long. R.	Persarum regnum a Saracenis extinctum.
653	*Exul*		652. S. Emmeramus.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
654	Eugen. I.		
657	Vitallan.		
661		Grimoald. Regni Lo. uſurpator.	*Zechus* Boëmici regni autor.
668		*Conſtantinus IV.*	667. S. Ildephonſus.
671		Pentharit Long. R.	
672	Adeodatus.		
676	Donus.		
678	Agatho.		680. *VI. Concil. Gen. Cpoli.*
682	Leo II.		681. Pipinus Heriſtallus Major Domus Franciæ.
684	Benedict. II.		
685	Joan. V.	*Juſtinian. II.*	
686	Canon.		
687	Sergius II.		
688		Chunipert. Long. R.	690. S. Chilianus M.
700		Luitpert. Long. R.	
701	Joan. VI.		
702		Aripert. II. Long. R.	S. Rudbertus Boiis prædicat.
705	Joan. VII.		
708	Siſinnius. Conſtantin.		
711		*Philipp. Bardanes.*	710. *Mauri in Hiſpaniam.* Libuſſa Boëmorum Duciſſa.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
712		Anſprand. Long. R. Luitprandus	
713		*Anaſtaſius II.*	714. Carolus Martellus Maj. Dom.
715	Gregor. II.		
716		*Theodoſ. III.*	
717		*Leo III. Iſaurus.*	S. Suitbertus Friſio Apoſt.
718			S. Rupert. obitus.
723			Iconoclaſtæ hæret.
724			Friſingenſis Epiſcopatus.
730			S. Corbinianus ob.
731	Gregor. III.		Ven. Beda.
741	Zacharias I.	*Conſtant. V. Coprony.*	Pipinus Junior. Major. Dom.
744		Rachis Long. R.	Monaſterium Fuldenſe.
751		Aiſtulphus Long. R.	750. S. Joan. Damaſcen.
752	Stephan. II.	*Exarchatus ſublatus ab Aiſtulpho.*	Pipinus Franc. R. ungitur.
755	Stephan. III. *Lxarchatus datur PP.*		S. Bonifacius M.
756		Deſiderius Long. R.	S. Wicterpus Epiſcop. I. Ratisponæ Ordinarius ob.
757	Paulus I.		

758.

A.C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
758			Eneco R. I. Navarræ.
767	*Vacat.*		762. Bagdad condita a Sarac.
768	Stephan. IV.		Carolus M. Franc. R.
772	Hadrian. I.		Bellum Saxonicum.
774		Desiderius captus a Carolo. Et Reg. Long. extinct.	
775		*Leo IV.*	
780		*Constant. VI. & Irene.*	785. S. Virgilius Ep. Salisburg. ob.
787			*VII. Conc. Gener. Nicææ.* S. Wilibald.
791			I. Bellum Hunnicum.
793			Tentata a Carolo unio Rheni & Danubii.
795	Leo III.	*Irene filium excæcat.*	799. Finis Belli Hunnici.
800		CAROL. I. Mag. Imp. coronatur.	
802		*Nicephorus I.*	
804			Finis Bel. Saxon.
811		*Michaël I.*	808. B. Alcuin.
813		*Leo V. Arm.*	
814		Ludov. I. Pius.	
816	Stephan. V.		Regula Canon. Reg.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
817	Paſchalis I.		
820		*Michaël II. Balb.*	
824	Eugen. II.		823. Creta a Saracen. capta.
827	Gregor. IV.		Sicilia a Saracen. capta.
829		*Theophylus.*	
840		Lotharius I.	841. Normannorum maxima in Gall. Irruptio.
842		*Michaël III.*	
844	Sergius II.		
847	Leo IV.		
855	Benedict. III.	Ludovic. II.	
856	*Fab. Joannæ.*		B. Rhabanus.
858	Nicolaus I.		861. S. Meinradus.
867	Hadrian. II.	*Baſilius I.*	*SCHISMA GRÆCOR. a Photio conflatum.*
869			*VIII. Concil. Gen. Romæ.*
872	Joan. VIII.		870. Strabo Gloſſator.
875		Carol. II. Calvus.	
878		Ludovic. III.	
879		Carolus III. Craſſ.	
882	Marinus I.		Anaſtaſius Bibliothecar.
884	Hadrian. III.		

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
885	Stephan. VI.		
886		*Leo IV.*	
887		Arnulphus.	891. Compositum Schisma Græc.
		In Italia Berengar. &c.	
891	Formosus.		
896	*Bonifac. VI.*		893. Novi Hungari a Tanai in Pannoniam.
	Stephan. VII.		
897	Romanus.		
898	Theodor.		
	Joan. IX.		
899		Ludov. IV.	
900	Benedict. IV.		
903	Leo V.		
	Christophor.		
904	Sergius III.		
910	Anastasius III.	*Carolinis deficientibus*	
913	Lando.		
914	Joan. X.	Conrad. I. *Eod. Anno Constantin. VII. Imp. Ori.*	
918		Henricus I. Auc.	923. Torneamenta instituta ab Henr. Aucupe.
928	Leo VI.		
929	Stephan. III.		924. Drahomita Bohem. Dux hiscente terra absorpta.
931	Joan. XI.		
936	Leo VII.	Otto I. M.	

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
939	Stephan. IX.		937. S. Wenceslaus Boëmiæ I. Rex a Cæsare dictus.
942	Marin. II.		S. Odo.
946	Agapitus I.		955. Hunnorum clades Augustæ.
956	Joan. XII.		
959		*Romanus I.*	961. Creta cedit Græcis.
963	*Leo VIII.*	*Nicephor. II.*	
964	Benedict. V.		
965	Joan. XIII.		S. Bruno Colon.
970		*Joannes I. Zimisc.*	
972	Bened. VI. *Bonifac.* VIII.		973. S. Udalricus.
974	Donus II.		
975	Bened. VII.		
976		*Basil. II. Constan. VIII.*	
983		Otto III.	
984	Joan. XIV.		
985	Joan. XV.		987. Capetina stirps Reg. Gall.
993			S. Udalricus primum novo ritu canonizatus.
996	Gregor. V.		994. S. Wolfgangus.
999	Sylvest. II. *Joan. XVI.*		

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1000			Camaldulenses. Genua, Pisa, Florentia Respublicæ.
1002		S. Henricus II.	1001. Primus Hungar. Rex S. Stephanus.
1003	Joan. v. XVII.		
	Joa. v. XVIII.		1022. Guidonis Solmisatio.
1009	Sergius IV.		
1012	Bened. VIII.		
1024	Joan. v. XIX.	Conrad. II. Salic.	1027. S. Romualdus.
1028		*Romanus II.*	1032. Burgundiæ R. accedit German. Imperio.
1033	Bened. IX.		
1034		*Michaël IV.*	
1039		Henr. III. Nig.	
1041		*Michaël V.*	
1042		*Constant. IX.*	
1044	Gregor. VI.		Berengarii hæresis.
1046	Clemens II.		
1048	Damasus II.		Turcæ Saracenis cæsis Sultanos constituunt in Persia. S. Odilo.
1049	Leo IX.		
1050			Cresimirus Rex I. Croat. Dalmat. & Sclavon.
1054		*Theodora.*	*Schisma Græc. renovatum a Cærulario.* S. Hermannus contractus O.
1055	Victor II.		

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1056		Henricus IV. *Michaël VI.*	
1057	Stephan. X.	*Isaacius Comnen.*	
1058	Nicolaus II.		1055. S. Casimirus R. Polon. Ob.
1061	Alexand. II.	*Constant. X.*	
1066	*Bened. X.*		S. Eduard. Angl. R O. regnum capi Wilhelmus Normandus.
1068		*Romanus III.*	
1071		*Michaël* VII.	1072. B. Petrus Damiani.
1073	Gregor. VII.		1074. Schisma ob *Investituras.* Regnum Marocchi Arabum.
1078		*Niceph. III.*	
1081		*Alexius I. Comnen.*	Sabaudi & Burgundi Comites in libertatem se asserunt.
1084			S. Bruno Cartusiam condit.
1086	Victor. III.		
1088	Urban. II.		Wratislaus Polon. & Boëm. Regium titulum adeptus.
1095			Indulgentiarum origo.
1096			I. Expeditio Cruciatorum.

1098

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1098			Ciſtercienſis Ordo.
1099	Paſchal. II.		Regnum Jeroſolymæ.
			Ordo Equit. Maltenſium.
1106		Henricus V.	
1115			Mathildis Comitiſſa.
1118	Gelaſ. II.	*Jo. II. Comn.*	
1119	Calliſt. II.		Ordo Templariorum.
1120			Ordo Præmonſtratenſ.
1122			*Comitia Wormatienſ.*
1123			*XI. Concil. Gener. Lateranenſ.*
1124	Honor. II.	Lotharius II.	
1130	Innoc. II.		Abaëlardus hæret.
			Rogerius Sicil. & Neapol. I. Rex.
1131	*Schiſma Petri Leo.*		
			1134. S. Norbertus.
1138		Conrad. III.	Arnaldiſtæ hæret.
1139			Alphonſus R. I. Luſitaniæ.
1143	Cæleſtin. II.	*Manuel I.*	1139. *X. Concil. Gen. Lateran.*
1144	Lucius II.		
1145	Eugen. III.		S. Otto Bamberg. ob.
			1142. Rob. Pullus 1. Theol. Schol.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1147			II. Expeditio Sancta.
1151			Decretum Gratiani, Gradus Academici.
1152		Frider. I. Ænob.	
1153	Anaſtaſ. IV.		S. Bernardus.
1154	Hadrian. IV.		Andegavenſes fiunt Angliæ reges.
1158			Wladislaus II. *Rex* Boëmiæ iterum dicitur.
1159	Alexand. III.		Waldenſes hæret.
1175			Monarchium conditur.
1176			Albigenſes.
1179			*XI. Conc. Gen. Lateran.* Romanenſium fabular. origo.
1180		*Alexius II.*	
1181	Lucius II.		1182. Judæi tota Gallia pulſi.
1183		*Andronic. I.*	
1185	Urban. III.	*Iſaacius II. Angelus.*	
1187	Gregor. VIII.		Jeruſalem a Saladino capta, & regnum extinctum.
1188	Clemens III.		
1190		Henricus VI.	1192. Richard. Angl. R. Cyprum occupatam vendit Guidoni, olim Solymæ regi: hoc initium regni Cyprii. Ordo B. V. M. Equitum Teutonic.
1191	Cæleſtin. III.		
1195		*Alexius III.*	
1197		Otto VI.	

1198.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1198	Innocent. III.		Ordo Trinitarior.
1203		*Alexius IV.*	1201. Joachimus Abb. Prophet. de Pontific.
		Alexius V.	
1204		*Balduin. I.*	
1205		*Henricus.*	1206. Avercoës.
1214		Frideric. II.	
1215	Honor. III.		*XII. Concil. Gener. Later.* Minoritarum Ordo; & Dominicanorum.
1216		*Petrus.*	
1218			Rudolph. Habsp. nat. 27. April.
1221		*Robertus.*	S. Dominicus. Ordo de Mercede.
1223			1226. Carmelitæ.
1227	Gregor. IX.		S. Francisc. Seraphicus ob.
1229		*Balduin.* II.	
1241	Cælest. VI.		1233. Ordo Servitarum.
1244	Innoc. IV.		
1245		Fridericus *exautoratus in Concil.* *INTERREGNUM Magnum.*	XIII. *Concil. Gener. Lugdun.*
1254	Alexand. IV.		
			1260. Flagellantium secta.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1261	Urban. IV.	*Michaël VIII.*	1268. Conradinus Suevus, & Fridericus Austrius capite plexi Neapoli.
1265	Clemens IV.		
1271	Greg. X.		
1273		Rudolph. I. Habsp.	Electorale Collegium.
1274			*XIV. Conc. Gen. Lugdun.* S. Thomas Aquin. S. Bonaventura.
1276	Innoc. V. Hadrian. V. Joan. v. XXI.		1276. S. Raymundus. O. collector Corporis Juris Canonici.
1277	Nicolaus III.		
1281	Mart. v. IV.		1280. B. Albertus Magn. *Vesperæ Siculæ.*
1283		*Andronic. II.*	Austria ad Albertum Habspurgicum delata: Suevia ad Rudolphum Habsp.
1285	Honor. IV.		
1288	Nicolaus IV.		
1291		Adolph. Nassov.	1284. Latinum idioma in Judiciis Germanorum omissum.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1294	Cæleſt. V. Bonifac. VIII.		Stemma Witelſpachium per *Rudolphum* & *Ludovicum Bav.* diviſum in *Bojum* & *Palatinum.*
1298		Albert. I.	
1300			*Jubilæus primus.*
1303	Bened. X.		*Ottoman. I. Sultanus Turc. Bythin.*
1305	Clem. V.		Avenione ſedet Papa.
1308		Henric. VII.	Joan. Duns Scotus. *Fœdus Helvet.*
			1311. *XV. Concil. Gen. Vien.*
1314		Ludovic. V. Bavar. & Frid. III. Auſt.	Templarii extincti.
1316	Joa. v. XXII.		
1328		*Andronic.* III.	Schiſma Sacerdot. & Imper.
1334	Bened. XI.		1327. *Orchanes* Turc. Sult.
1341		*Joan. V.*	
1342	Clem. VI.		
1347		Carol. IV.	Peſtis ingens.
1352	Innoc. VI.	*Joan. VI.*	1356. *Aurea Bulla.*

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1362	Urban. V.		1358. *Amurath* I. Turc. Sult.
1371	Greg. XI.		1370. Wiclefus hæret.
1377		Wenceslaus	Avenione Romam remigratur.
1378	Urban. VI. *Schisma Petri de Luna.*		1379. Joan. Thaulerus.
1389	Bonifac. X.		1380. Bombardæ & pulveris nitri inventio. Accursius Glossator Juris.
1390		*Andronic.* IV.	1389. *Bajazeth* I. Turc. Sult.
1392		*Emmanuel* II.	
1400		Rupertus I.	1403. *Solyman.* I. Turc. Sult.
1404	Innoc. VII.		
1406	Greg. XII.		
1409	Alexand. V.		Hussitæ hæret.
1410		Sigismundus	1413. *Mahomet* I. Turc. Sult.
1414			XVI. *Conc. Gener. Constantiense.*
1417	Martin. v. V.		1419. S. Bernardini Reformatio Franciscana.
1424		*Joan.* VII.	1422. Amurath. II. Turc. Sult.
1429			Joan. Gerson. Joanna Dorica *Virgo Aurelianensis.* Dux belli.

1431.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1431	Eugen. IV.		
1438		Albertus II.	1432. XVII. *Conc. Gen. Basil.*
1439			XVIII. *Conc. Gen. Florent.*
1440		Frideric. IV.	*Typographiæ inventum.*
1447	Nicol. V.		
1448		*Constant.* XI. *Palæolog. ult.*	1448. Concordata Germaniæ.
			1451. Mahomet III. Turcar. Sult.
1453		*Mahomet.* II. *Turcar. Sult.*	*CPOLIS a Turcis capta cum Imperio Orientis.*
1455	Callist. III.		
1458	Pius II.		1459. Conrad. Celtes Poëta I. German. S. Antoninus.
1464	Paulus II.		
1466			Scanderbeg. Ob.
1469			Turcæ primum in Germaniam (Carniolam) irruunt.
1471	Sixtus IV.		Thomas Kempens.
1474			Paulani.
1477			Caroli Audac. Burgund. Ducis cædes.

1481

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1481		*Bajazeth. II.*	Mauri tota Hispania pulsi.
1484	Innoc. VIII.		1487. Wormatiæ ultimum Torneamentum.
1492	Alexand. VI.		*Novus Orbis detectus a Columbo.*
1493		Maximil. I.	Basilius Moschorum Dux nomen Czarii primus sumit. 1495. Pax publ. Camera Imper.
1479			Americus in novum orbem cum primo Missionario Buellio Ab.
1500			Carol. V. nat. 24. Febr. 1507.
1503	Pius III. Julius II.		
1512		*Selimus I.*	
1513	Leo X.		1513. Hispanica regna ad Austriacos delapsa.
1517			*XIX. Concil. Gen. Lateran. Lutheri hæresis.*
1519		Carolus V.	Zvvinglius.
1520		*Soliman. II.*	Raphaël Urbinas pictor.
1521			Matricula Imperii condita.
1522	Hadrian. VI.		Rhodus a Turcis capta.

A.C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1523	Clemens VII.		1523. Capucini. Theatini. Rustici tumultus.
1526			Hungaria, & Boëmia ad Austriacos.
1529			I. Viennæ obsidio. Nomen *Protestantium*.
1530			Augustana Confessio. Melita Equitibus data.
1533			*Anglicum Schisma Henr. VIII.*
1534	Paul. III.		
1537			Smalcaldicum fœdus, Ludovic. Vives.
1538			FF. de Misericordia.
1540			*Societas JESU confirmata.*
1542			*Calvinus hæret.*
1543			Copernicus Ob. Joan. Ekius.
1545			*XX. Conc. Gener. Trident.*
1548			Electoratus Saxon. ad Albertinam lineam translatus Liber *Interim*.
1550	Julius III.		
1551			Tripolis regnum Melitensibus ereptum.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1552			*Transactio Passaviens.*
1555	Marcell. II.		*Pax Religiosa.*
1556		Ferdinandus I.	Polydorus Virgilius.
1558	Paul. IV.		Jul. Cæs. Scaliger.
1559	Pius IV.		1560. Melanchthon.
1563			*Finis C. Tridentini.*
1564		Maximil. II.	Calvinus perit.
1566	Pius V.	*Selimus II.*	Ludovicus Blosius.
1571			Cyprus a Turcis capta. Naupactæa victoria Joannis Austrii.
1572	Gregor. XIII.		Nuptiæ Parisinæ. 14. Aug.
1575		*Amurath* III.	Neriani Clerici.
1576		Rudolph. II.	1579. *Batavorum fœdus.* 1582. *Correctio Calendarii.*
1585	Sixtus V.		1587. Maria Stuarta Scot. R. capite plexa.
1590	Urban. VII. Gregor. XIV.		
1591	Innoc. IX.		
1592	Clem. VIII.		
1595		*Mahom. III.*	1601. Tycho Brahe.
1603		*Achmet I.*	1606. C. Baronius. Lipsius.
	Paul. V.		

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1610			*Liga & Unio.*
1612		Mathias.	
1617		*Mustapha I.*	
1618		*Osmanus.*	
1619		Ferdinand. II.	*Bellum Tricennale.* Winter-König.
1620			Victoria Pragensis Maximil. Bav.
1621	Gregor. XV.		
1623	Urban. III.	*Amurath. IV*	*Maximil. I. Elector Bavar.*
1629			Edictum Restitutorium.
1630			Suecus in Germaniam.
1632			Idem occisus ad Luzenum 6. Novemb.
1637		Ferdinandus III.	1634. Wallensteinii nex.
1638			Jansenius.
1640		*Ibrahim.*	Lusitaniæ regnum renovatum.
1644	Innoc. X.		1645. Hugo Grotius.
1648		*Mahom. IV.*	*Pax Westphalica.*
1649			Carol. I. Angl. R. decollatus.
1655	Alexand. VII.		1653. Cromvvelus.
1658		Leopold.	1662. *Comitia perpetua Ratispon.*
1667	Clemens IX.		1669. Creta Venetis erepta.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1670	Clemens X.		1679. Caramuel.
1676	Innoc. XI.		1679. Pax Neomagensis.
1682			Cometa. Tekelius rebell.
1683			Bell. Turc. II. Obsidio Vien.
1687		*Soliman. III.*	Michaël Molinos Quietist.
1689	Alexand. VIII.		1688. Jacob. II. Ang. R. pulsus.
1691	Innoc. XII.	*Achmet II.*	1690. Camera Imp. Wezlariam.
1692			*Nonus Elector. Hannoveran.*
1695		*Mustaph. II.*	
1697			*Pax Rysvicens.*
1699			Pax Carlovicens. Turc.
1700	Clemens XI.		1701. Novus Rex Borussiæ Fridericus. *Bellum ob Successionem Hispanicam.*
1703		*Achmet III.*	Ragozius rebellis.
1705		Josephus.	1708. Mabillon.
1711		Carol. VI.	
1713			Constitutio *Unigenitus.* Pax Ultrajectina. Sanctio Pragmatica.
1714			Pax Baadensis.

A. C.	Pontifices.	Imperatores.	Memoranda.
1715			Bellum Turcicum Peloponnesus Venetis detracta.
1717			Alba Græca capta a Cæsare.
1718			Pax Passarovic. cum Turcis in an. 25.
1721	Innoc. XIII.		Petrus I. Czarius Moschorum titulum Imperatoris sibi sumit.
1724	Bened. XIII.		1725. Pax inter Cæsarem & Hispanum.
1730	Clemens XII.	*Mahomet V.*	
1734			Bellum ob electionem Polonicam.
1735			Neapolis & Sicilia regem accipiunt Carolum Hispano-Borbonium.
1736			Pax fieri cœpta. *Lotharingia* Galliæ accessit. *Etruria* Lotharingo data.
1737			Bellum Cæsaris in Turcam infelix. Bellogradum amissum.
1740	Benedictus XIV.		Carolus VI. obit. *Habsburgica* Domus extinguitur.
1741			Bellum ob hereditatem Austriacam.
1742		Carolus VII.	
1745		Franciscus I.	



INDEX.

A.

S. Aman-

B.

Ba-

Do-

E.

F. Fa-

F.

G.

Gon-

H.

Hol-

K.

L.

M. Ma-

M.

N.

O.

P.

Pe-

Q.

R.

S.

T.

Tur-

V.

W.

X. Xan.

X.

Z.

FINIS.



